BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
B
70
NAPOLI

XL B 70

IHS

ALEXANDRI DONATI SENENSIS E SOCIETATE IESV CARMINVM VOLVMEN PRIMVM

Romæ apud Iacobū Maſcardū

SVPERIORVM PERMISSV

Anno Iubilei

M DCXXV.

BIBLIOTECA NAZ. NAPOLI

MVTIVS VITELLESCVS,
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVM Volumen primum Carminum P. Alexandri Donati noſtræ Societatis Sacerdotis tres eiuſdem Societatis, quibus commiſſum fuit, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſg. & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 18. Nouembris. 1624.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

EGo Iulius Roſpiglioſius Philoſophiæ, & V. I. D. iuſſu Reuerendiſs. P. F. Nicolai Rodulphi Magiſtri Sacri Palatij Apoſt. Carmina R. P. Alexandri Donati diligenter perlegi, & nihil deprehendi contra pietatem, aut bonos mores: immò ſingularem in illis candorē, & elegantiam inſpexi. Quapropter æquiſſimum eſſe cenſeo, vt Typis mandentur.

Iulius Roſpiglioſius.

Imprimatur Fr. Andræas Biſcionus Prædic. Gener. Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

FRANCISCO

BARBERINO

CARD. AMPLISS.

AD REGES LEGATO

ALEXANDER DONATVS
è Societate IESV *F.*

QVORSVM (dices Card. Ampliſs.) hæc Soli credere? quæ fortaſſe non ferent ætatem, breuiq. depoſita, & conclamata parenti ſuo celeri morte præludent. Quid dicam? obtrudam amicorum adhortationes, & querimonias: aut illorum, quorum nutu regor, imperia? Hanc ego facti mei rationem afferre non audeo, quam ipſa iam vetuſtate anti-

quatam, & mihi inutilem, & amicis incommodam iudico. Eam enim ab æuo vſque Fabij Quintiliani omnes pœne ſcriptores ſuis voluminibus allinunt, qua tanquam Cedro perunctas paginas cariem non paſſuras arbitrantur; legimuſque poſt Fabium, & Caſſiodorum alios deinceps pœne innumerabiles ſcripſiſſe arbitrio ſuo, alieno ſcripta promulgaſſe. Quod ſi opus exſe inſtructum, & coloratum, abſque bullis & vmbilicis lucem poſtulat, quid neceſſe eſt ab alijs compelli in publicum Solem? Sin obnitentibus meritis, ſolo amicorum impulſu in prælum compingitur; magna enimuero iſtorum laus, qui vitium non viderint, quod omnis deinde litteratorum peruidebit vniuerſitas. Itaque hortatores non habeo, ne dicam dehortatores; quibus dumtaxat probatur, quod olim Neroni placuit: Occul-

tæ

tæ Muſicæ nullum eſſe reſpectum; ſed tamen aiunt, fuſcam & abſonam vocem ad riſus aucupandos proferri non oportere: Neque ſuauibus Poëtarum cantilenis hodie plauſum excitari; quod grande illud plaudentium σοφῶς grandiori pecunia nuſquam comparetur à mendicis. Splendide iſta quidem, ac vere; ſed tamen canuntur ſurdo ſeculo. Nunc enim, ſi vnquam alias

Scribimus indocti, doctiq. poemata paſſim,

Atque hæc poetica plusquam licentia euulgamus; vt, quoniam delectamur fabulis, etiam de nobis non iniucunda interdum fabula narretur. Ego quidem in tanto Scriptorum prouentu, vt ſentire cum pluribus velim, ita deſipere cum paucis; quod vereor, nè Poeticæ ſua deſipientis natura, vel pauperis ingenij ſponſione præſtare poſſim. Quare ſuſcepti conſilij incertos euentus, Princeps Sapientiſſime fortunare

mihi

mihi poteris; cui nihil offerri,dedicarique, niſi prudenter initum, perfeꝺumque ſapienter videatur. Tu enim (quod rarum eſt inter Principes) cum ampliſſima Purpuræ maieſtate incredibilem Sapientiam copulaſti omnium doctrinarum ſtudio exaggeratam; te Muſarum Humaniorum, in quam ego etiam aliquid contuli, illuſtris eruditio, te Philoſophia, Iuris Prudentia, te Princeps diſciplinarum Theologia, Ethicæ, Mathematicæq. cognitio ſingularis exornat. Vt Platonis votum Philoſophos ad Rempublicā gerendam vocantis, & Antoninos Cæſares noſtro æuo ſuperari iā videat Roma, quæ tuarum cumulo doctrinarum metitur magnitudinem fœlicitatis ſuæ. Verum hæc omnia in clariſſimo Principe illuſtriora ſunt, quòd à ſingulari Prudentia ſplendorem accipiunt; quæ prouida publicæ ſalutis poſtquam Ro-

mæ abundè conſuluit, maiorem ſibi agendi claritatem munere amplisſimę Legationis adiunxit, vt etiam in exteris Regum Auguſtalibus, multò quam ante, videretur auguſtior. Ad hunc Solem clariſſimum purpuratę Sapientiæ minuet caliginem ſuam Poeſis noſtra, & lucem libēter aſpiciet, quam ante, veluti nonnullis animalculis, noxiam ſibi, & infeſtam metuebat. Quod ſi ex tua Humanitate, qua infimos quoſque benigne complecteris, humiles haſce Carminum curas probari tibi, commendarique ſignifices; firmiſſimum timidis, & imbellibus Muſis conſtitues munimentum, vt appareant ſine periculo, & quæ hactenus celauerant, ſecuræ depromant. Vale. Romæ Idibus Martij 1625.

AD EVNDEM

Ode.

APIS Imperij ſignum.

NAm quis (ò Princeps) dominos in orbem
Extulit Reges? tumidoq. bello
Gentibus victis docuit ſuperbos
Tollere faſces?
Ante, murali redimita vallo
Tecta quàm ſtarēt, rigidiſq. in antris
Solus incertum ſibi quiſq. ductor
Viueret æuum.

Tunc

Tunc Apum rexit populos volucres
Squameus Cæſar, fera nec gerentes
Bella, ſeruantes ſua temperauit
Mella Quirites.

Candidum cingens diadema fronti
Ibat inſignis maculis & auro,
Florea pendens operum diurnos
Lance labores.

Non ita auguſtas coluit ſecures
Tybris oblitus veterum parentum
Liberas leges, dominiq. doctus
Dicere nomen.

Vt duces magnos Apis, & decoris
Inclitos pennis famulante circum
Milite obnubit, præit ac vetuſto
Faſce regentem.

Illius denſis populus frequentat
Regiam turmis: ſequitur iuuentus
Sæpe certantem, grauiorq. bello
Prouocat hoſtem.

For-

Forſan hinc primas orientis artes
Imperi duxit ſubiens cupido?
Atq. Apis regni docuit magiſtros
Regia ritus?

Artifex mellis, populator Auceps:
Sedulus florum iubet impotentes
Nectari byblæo ſimilem Tyrannos
Fingere morem.

Melleas clemens animus regentis
Afferat leges: & amica virtus.
Floreis laudum decorata ſertis
Nutriat annos.

Libat vt rores Apis, & propinqua
Potat Auroræ lacrymam cadentem:
Dona ſic Reges reditura cœlo
Diuite ducant.

Non iubar quærant radiantis auri
Quod ſpecus condunt, & auara tellus;
Lapſa diuinis melius coronant
Munera gemmis.

Talis

Talis in gentem renouas Quirini
Iura, & Vrbano propior potentem
Purpurã Princeps, minor atq. magno
Sole coruſcas.

Finge mellitæ pretioſa linguæ
Flumina: hæc fundis. quoties ab ore
Vox ſonat dulcis, fluit eloquenti
Mellea riuo.

Cerne libratas adeuntis aſtra
Virginis lances: paribus regendo
Artibus, tutas moderaris æquis
Legibus vrbes.

Aureos mores, niueamq. mentem
Soſpitat cælum; fouet vnde virtus
Inclitum pectus, grauis ac ſereno
Emicat ore.

At gemit raptum veluti coortis
Nubibus Solem tremefacta Tellus;
Sic tuos bellis queritur negari
Roma nitores.

Ibis

Ibis ardentis cobibere Martis
Fulmina ò Princeps : aderis, ſonantes
Grandibus qualem lituis in oras
Fama canebat.

Hauriat linguæ propior liquores
Sequana, immoto placiduſq. fluctu
Cereas vinclo dare molliori
Geſtiat aures.

Aureum fandi decus, ac fluentes
Purius voces radiante lympha
Ebibat diues Tagus, & quietas
Mulceat vndas.

Obijcem neſcit generoſa Virtus
Quam regit prudens animus : loquẽdi
Dulce cui pondus, ſimul & Latinum
Fulgurat oſtrum.

Errata Corrige.

Pag.	Verſ.		
5	1	g;mit	gemit
9	9	lacerans	lagro
10	8	examinata	exanimata
17	7	ſacras	ſacra
23	4	moda	modò
28	2	lina	lino
32	7	liquoret 16.ignet:	liquores. ignes.
37	7	Policarpæ nomiue.	Policarpe. nomine.
43	21	volentibus.28.Siletia.	voluentibus.Sileſia
52	22	excidum	excidium
72	10	ſonat	tonat
104	18	menſtris	monſtris
101	19	inermi	inermis
79	19	vbem	vrbem
81	1	ſubmittere	ſubmittet
98	8	litteris	littoris
105	23	fortta	fortia
161	27	luminè oras	luminis oras
169	10	diponit	diſponit
173	2	iuxere	iunxere
175	11	deſcripta	diſrupta
182	5	Arcia	Aricia
185	1	promitte	Promite
188	26	tumultiſq.	tumuliſque
191	2	roſtris	raſtris
193	1	ſecundæ.	ſecundat
193	14	fondentibus	frondentibus
194	9	a&a	alta
228	25	diſpoſitas	diſpoſitos
280	25	in feuſto	infauſto
284	4	decuutit	decutit
332	6	populis	ſcopulis

Leuiora, & perperam interpuncta tute corriges.

ALEXANDRI DONATI CARMINVM

Liber Primus.

MORS CHRISTI DOMINI, Luctuſq. Virginis Matris.

I.

PAr fuerat ſcelere in magno, ne triſtia mortis
Robora Colle ſuper rigido fabricaret Idume,
Terrarum, Cœliq; plagas, fluctuq; natantes
Coniurare manus, Solimamq; vt ſcinderet Vrbem,
Non concepta prius properare in fœdera Mundum.
Alta immortales extinguere ſydera luces
Debuerant, delere diem, currumq; cadentem
Excutere, aut patrio Phœbus diſcedere Cœlo.
Quin & collectis nubes in fulmina flammis
Igniferos imbres, tonitruq; horrenda ciere
Fulgura, fulmineoque viros inuoluere nimbo.
Manibus at tellus penitus conuulſa profundis
Inſtabili mugire ſolo, laxare latentes
Abrupta compage ſinus, gremioque recuſſo
Saxea diſiectis impingere culmina ſaxis.

Aut, melius, fauces Erebi, Ditiſq; voraces
Inferni reſerare lacus, atq; impia regna,
Iſacidumq; genus meritis immergere flammis.
Hæc Natura ſui funus crudele Parentis
Queſta repoſcebat; Mundi iamq; vltima forti
Vertiſſet caſura manu, nè mœſta videret
Crimen atrox, labemq; ſuam. Tu ſcilicet auctor
Extinctæq; iterum vitæ ſator, obuia telis
Nubila fulmineis, terræq;, vndæq;, tumultus
Preſſiſti, aſtrorumq; iras, vt morte liceret
Mortis & vltrices ſcelerum perſoluere pœnas:
Tu Deus humanæ poſt longa pericula vitæ
Ingrato generi non vitam, aut ferre putabas
Gaudia, pacato ni pronus ab æthere noſtros
Dulcis in amplexus aperires pectora; latè
Sanguineis eadem fluerent ni feruida riuis,
Totq. eſſent hominum vitæ, quot vulnera, fontes,
Idem inſurgentes vtroq; ſub axe furores,
Vlturoſq; necem prohibes, Mundumq; minantem,
Expectata Crucis donec ſublimè teneres
Brachia, tum nigra condi ferrugine Solem,
Et veſtire diem tenebris, tunc ima ſinebas
Fundamenta quati terrarum, excuſſaq; fractis
Oſſa virum, & viuos cineres migrare ſepulchris.
Montanis tum ſaxa iugis, tum vela ſacratis
Reſcindi protenſa adytis; cum certa videntes
Exitia incaſſum tundebant pectora Ciues,
Certabantq; ſuis trepidæ ſe condere tectis.

Sed quamuis ſeu Pontus aquas, ſiue aſtra coruſcas
Armarent ad bella faces, ſeu terra reuulſis
Nutaret lapſura iugis; non dextera vindex
Adfuit, aut ſæuas rapuere incendia gentes.
Tu nocitura vetas, & cuncta pericula ſoluis;
Vsq. adeo moriturus amas, & parcere gaudes.
Ergo quòd extremæ ſignabas tempora vitæ,
Iuraq. certa necis, quòd auerna in nocte poteſtas
Dira tenebrarum feralibus adfuit horis,
Sponte feris adiuncta ſubis ludibria pœnis.
Iamq. ſuburbanis miles religarat in hortis,
Sudor vbi roſeos proruptus ſanguine riuos
Fuderat, & bibulas latè madefecerat herbas.
Tum furijs acti proceres, rabidoq. Senatu
Damnauere patres, totaq. in nocte dedere
Illudi inſontem, & primos libare dolores.
Circumſtat furibunda manus, pars tempora velis
Cingere, fulgenteſq. oculos: pars tundere palmis,
Et fœdare genas, frontiq. auellere crines:
Cædere pars calamis, & amaris ſcindere dictis,
Et noctem infandam furiali abſumere ludo.
Ille ſilet (medioq. tener velut Agnus Ouili
Tondentem obſeruat tacitus, inguloq. minantem)
Sic vultus pulſanti aperit, crinemq. trahenti,
Seraq. non vllam ſceleri dedit hora quietem.
Et iam Sol aderat pallentibus obſitus vmbris,
Surgentemq. diem Cœlo decuſſerat, atro
Nec dabat ore iubar, trepidiq. ad frena iugales

Auerſi tenuere iugum. Nocturna per Vrbem
Sed tamen innumeræ rupere ſilentia voces:
Conſilijs nam ſacra Patres ad templa coactis
Eduxere adytis Regem, denſaq. corona
Cæſaris implorant leges, latiumq. tribunal.
At non dum caſus, & lamentabile Mater
Supplicium Nati ſenſit, dubioq. recondit
Pectore curarum fluctus. Nempè ipſa futuros
Præſcia fortè agitat motus, & funera voluit
Abſentemq. ciet lacrymis: iterumq. vocatos
Currit in amplexus; rapitur tamen ille per Vrbē,
Tercentum grauibus dura ad Prætoria vinclis,
Audiat vt miseræ mandata nouiſſima mortis.
Tuq. adeo nuper fortunatiſſima Mater
Surge precor tacitis conclauibus; ignea totos
Vnde iacis vota in ſuperos, nimiumq. fatigas
Sydera, & iratum placas Regina Tonantem.
Linque humiles ò Diua domos, atq; vltima nato
Oſcula, complexusq. refer. Præbere facultas
Non eadem poſthàc, rigido cum languida ligno
Corpora pendebunt, gelidaq. in morte videbis
Diſſociata procul nigro impalleſcere Cœlo.
Te verò quantum ſtimulis nouus angeret error,
Occumbat ſi forte veci, ſi forte patenti
Te ſine contortam lateri Deus hauſerit haſtam.
Perruptoq. fluant duplices è pectore fontes.
Ergò ades ò Genitrix:, vox flebilis vrgeat Vrbem
Turturis; haud equidem fallor, ceu cōpare Turtur

Amiſſo ſine finè g;mit, deſertaq. luctu
Et nemora, & ripis latices. & montibus Euros,
Nec reſponſuras ad murmura prouocat vmbras.
Non aliter dequeſta gemes, egreſſaq. tectis
Caſta Columba tuis quo fletu compita latè
Mœniaq. & mœſtis implebis vocibus auras?
Nec mora virgineos crudeli in funere queſtus
Diſtulit. inſanos vulgi reſonare tumultus
Vix Diua, & populos ſenſit mugire frementes.
Agnouit cum ſigna necis; ſecumq. volutans
Heù cari horribiles raptus, & vulnera Nati
Quæ non ore dedit pauidi ſuſpiria cordis?
Illa & humum ſparſit lacrymis, & tecta querelis.
At non hæc (fatur) dederas promiſſa parenti,
Vt ſine me dura velles occumbere morti.
Spreuiſti noſtras nec tu dulciſſime voces
Nate, ſequi Mater cum te per tela per ignes
Spondebam, ferroq. caput, pariliq. vouebam
Siue trabi affixos artus, ſeu colla ſecuri.
Dixi equidem; rurſumq. f:ror moritura per hoſtes,
Ni comitem refugis, comitem per tempora vitæ
Quam tua ſẽper habes. Antrũ nemorale ſubiui,
Et tecum hiberni gemui mala frigora Cœli,
Aegyptumq. procul, ſeptenaq. flumina Nili
Non ſine Matre petis. mecum voluentibus annis
Nazareos habitas Galilæa per oppida montes,
Aſſueſcens operi Mundi faber. ipſa remotos
Luſtrantem populos, vrbesq. ſequuta piantem

Non ſine te vixi: tu iam ſine matre peribis?
Nonità diuellar. Si Crux tibi tollitur, altos
Atque infauſta ſuper montes præfigitur Arbor,
Ipſa quoque adiungar; pendentibus Arbore ſumma
Ipſa etiam membris fœlici in morte recumbam,
Ni fortè antè dolor vitam auferat. Annue votis
At Pater, vt Nato immoriar. Sic vltima voci
Facta via eſt. imo clauſit ſub pectore queſtus,
Et lacrymas expreſſit amor, qui verba repreſſit.
Vt rediere animi, properato concita greſſu
Ire parat, qua vulgus atrox, denſataq. circum
Turba fremit, proceresq. & adacta in vota tubĕtũ
Iſacidum voces ſeruilia funera poſcunt.
Anxius at Prætor, rebusq. incertus agendis
Quærebat lethoq. moras, tempusq. furori.
At non & contra abſiſtunt, ferrumq. trabesq.
Lethiferas clamore vocant, precibusq. Tyrannum
Tardantem ſtimulant, funeſtaq. iuſſa morantem.
Et iam victrices populi non ampliùs iras
Pertulerat Iudex, dederatq. immanè frementi
Funera. proripiunt ſeſe, properantq. cruenta
Horrida tela necis; diſſecto hi lignea trunco
Brachia diducunt: hi ſæua in vulnera ferrum
Exacuunt, terebrasq. nouant, clauosq. trabales:
Expediunt alij faſces, dumosq. miniſtrant,
Purpureasq. ferũt chlamydes. calamosq. paluſtres;
Ingeminant fremitus, offenſaq. vocibus altis
Mœnia. reſponſant, Cœlum tonat omne tumultu.

Hor-

Horruit aſpectu Genitrix, luctuq. per omnes
Carnificum tendit cuneos: & vos mihi (dixit)
Non dũ arma, aut ignes, aut hæc tormẽta paratis
Crudeles? nihil ille meus fraudiſq. doliq.
Nil potuit; Cœlum teſtor, vos credite Matri.
Ille paleſtinas viduauit peſtibus Vrbes,
Atque æſtus, morboſq. manu, mortemq. fugauit
Aut linguæ voces, oculis aut munera lucis
Reddidit: ille potens dominis ſuper æquora plantis
Quòd vectus placauit aquas, domuitq. procellas,
Et Caurum tumidos voluentem turbine fluctus:
Quòd procul eiectum torrentibus addidit antris
Agmina torquentem Stygium captiua Draconem:
Sæpè quòd arcanis animas exire ſepulchris
Iuſſit, & amiſſæ redeuntia Corpora vitæ,
Cæditur? & virtus dat iniquæ exordia mortis?
Cauſa mali nulla eſt, hominum ſi prima nocentũ
Culpa vacet; commune nefas, & veſtra piantur
Crimina. ſed geminate iras, duo iungite ligno
Funera: mœrentem Nato componite Matrem;
Crux capit illa duos; geminæ ſolatia mortis
Natus erit, Materq. ſimul. Nec plura dolentem
Effari ſinit atra cohors, nec longà precantem
Audijt. accelerant omnes, fremituq. ſecundo
Supplicium intentant, ſtragemq. & funera versãt.
Ecce trahebatur media inter millia, morti
Crimine deuotus nullo reus; vndique ferro
Cingit, & ardenti lictor mucrone coruſcat.

Ipſe caput (caput heu textis quod ſerta coronant
Aurea ſyderibus) ſpinis redimitus acutis
Implebat rigidos roranti ſanguine dumos ,
Et circum roſeo manantia tempora nimbo.
Pulſus ab ore decor, deiectaq. gratia frontis
Auia lux oculos , nuper duo ſydera, fugit :
Colla catenato ſtringebant languida ferro ;
Stridentes Chalybes,vinclisq. ſonantibus vrgent.
Pectora hiant crebro, ſulcataq. vulnere terga ,
Atque omnes liuent uirgis immanibus artus.
Ille tamen ſuſpenſa Crucis iam viribus æger
Robora fert humeris , ſæuiq. ad culmina Collis
Inſtrumenta ſuæ portat rigidiſſima mortis .
Infelix ſterili turgebat in aëra dorſo
Trans Solymum Collis , quà ſoli obuerſa cadenti
Inferiora locat depreſſo mœnia vallo ;
Triſtiaq. æternum dederuut Caluaria nomen.
Illic , vt perhibent, veteri compoſta ſepulchro
Noxia primæui iacuerunt oſſa Parentis ;
Cui malè floriferis cuſtodia credita Septis ,
Admouitq, manus rutilantibus arbore pomis ,
Nec miſer aſpexit pendentes fulminis ignes ,
Fataliq. ſuper ludentem caudice mortem ,
Ipſe informis humo , ſqualenti vertice Collis
Exundat pœnis morientum, & pinguia truncis
Membra cadaueribus , putriq. fluentia tabo
Oſtendit latè, eluuiſq. nocentibus albet .
Huc ſubeunt omnes , Ciuesq. & ferrea circum

Mi-

Miles in arma fremens, volitãt vexilla per auras,
Aëra ſonant, ſignumq. tubæ ferale remugit.
Quid faceret Mater? quò ſe mœſtiſſima luctu
Inferret populis? rabidos quà voce moueret?
Illa quidem Natum furibunda per agmina curſu
Veſtigat, propiorq. inſtat; non illa pericli
Exitij non illa memor: per tela, per enſes
Donec iter ſibi fecit Amor; iamq. aſtitit ante,
Et vultum, lacerat indubitans, viſuq. pererrans
Vix tandem agnouit. roſeis, pulcherrimus ore
Heu non ille genis, oculis non ille ſerenis
Lætus adeſt, qualem ſuperi cinxere decoris
Sæpe miniſterijs: qualem ſe nuper ad Vrbem
Egit, & infeſtam vultu pacauit Idumen,
Palmiferóq. ducem vexit Solyma alta triumpho.
Vix credit potuiſſe feros tot vulnera dorſo
Ducere, tam rigidis transfigere tempora dumis.
Attonitis relegens oculis: iterumq. videndo
Sanguine rorantem luſtrabat, & alta ferentem
Robora: ſed lingua mœror ſua verba negabat.
Ingenti tum forte trabis ſub pondere Natus
Æger anhela trahens iam corpora, corpora tandem
Heu languens declinat humi; ceciditq. ruina
Inuoluens roburq. & vincla ſonantia ferro;
Allapſu reſoluta nouos dant vulnera riuos.
Tum verò tremefacta parens, ſubienſq. periclo,
Atq. allapſa ſolo pariter, complexaq. natum,
Tune, inquit, Rex imperij, dignate paternis

Hæc humeris tormenta geris? tu ferrea collo
Vincula? nec quiſquam officijs ſuccedit amaris?
Ponderaq. iſta leuat? Surge ò, diſſolue tenaces
Da nexus, da ferre trabes; ſi tantus iniquos
Ad montes impellit amor, ſine pondere montes
Ocyor aſcendes. Ego iam non iſta relinquam
Vincula, non quercus; miſerè vt diuulſa recedam?
Rurſus & hinc vitam, procul examinata requirã?
Et tu ſupplicijs ſperaſti ò care ſupremis
Membra dare, & duro defigere brachia ligno,
Et ſine Matre mori? vitam ſine vulnere Mater
Deſeret, indecoremq. animam? ſic pectoris huius
Eſt tibi notus amor? Sed tu lacrymabilis arbor
Me quoq. flexa feres. Dixit, voluitq. ſubire
Pondus, & infauſto circumdare brachia ligno;
At ſubito vires dolor abſtulit. ante petitos
Deficit amplexus, medijſq. recumbit arenis;
Nec Natum potis eſt audire, & reddere voces.
Fuſtibus ille autem crebris, & faſce cruento
Sæpè repercuſſus, vix tandem elatus iniqua
Surgit humo; properat lictor, ſtimulanſq. trahenſq.
Ante gradu volitat, ſequitur leuis ille volantem
Quamquã feſſa labãt, lapsãtq. in ſanguine mẽbra,
Montanoq. ſubit figendus in arbore cliuo.
Me miſerum: fabor nè? an iuſta ſilentia mandat
Exitiale nefas, ſcelerataq. Golgotha poſcunt?
Ite oculis, gemino Vatis de fonte cadentes
Pro verbis lacrymæ, faciles pro carmine fletus.

Forſitan

Forſitan hos durum molleſcere pectus ad imbres
Incipiet, moeſtoq. bibens humore fauillas
Hauriet irriguos Regis morientis amores.
Proh Cœli violata fides, & prima parentum
Crimina. Culpa vetus quantò ſtetit! aurea mala
Sanguine quo redimenda voras, qui prodiga vita
Oſſa paleſtino condis male credita buſto!
Ecce ſuper tumuli cineres, regnataq. Morti
Marmora, vitales prorupto flumine venas
Ipſe vnà immoriens aperit Deus; arida vita
Non alias arbor ſurgat rediuiua per vndas.
At vos, Iſacidæ, nondum furor, altàq. cordis
Expleuit rabies? ſummo quæ robora ſaxo
Strata iacent? quæ virgineo formata pudori
Corpora nudantur? truncoq. extenſa trabali
Traiectis duplici figuntur cuſpide palmis?
Cuſpide traiectiq. pedes? Heu qualis adacto
Terrificat ferro ſonitus? quis defluit amnis
Sanguineus? quali cum pondere ſurgit in auras
Prodigiale Crucis tormentum, impulſaq. ſubter
Terra recuſat onus, tremefactaquè mole laborat?
Vos æternæ arces, oculata volumina Mundi
Vidiſtis, nec dum trepidæ vertiginis orbes
Siſtitis? ac magni leges non frangitis axis?
Non iras pluuiò demittitis igne tonantes?
Tuq. adeo aſtrorum Princeps quæ lumina terris
Spargis adhuc? ſcelus ecce fugat lucemq. diemq.
Proiectas extingue faces, cinge ætheris alti

Squa-

Squalentes nigra umbrarum formidine campos;
Ipſe dehinc poteris Sol circunfundere noctem,
Nunc & funereos Cœlo prætendere amictus,
Solis ad occaſum, quo tu de fonte bibebas
Lumina: nunc tempus lugubrè ardentibus aſtris
Exequiale ſacrum, tumuloq. accendere flammas.
Ecce per obſcuras diræ caliginis umbras,
Horrenteſq. auras, & formidabile cœlum
Elatus Mundi genitor demiſſa recondet
Lumina; lethales ſtridunt in membra dolores
Feſſa labat ceruix, ceruix neq. feſſa recumbit.
At ſilet immotus, ſpectanſq. imitanſq. tacentem
Horrificæ noctis per vaſta ſilentia Mundum.
Interea Genitrix (rediuiuos ſpiritus artus
Cui regit) accelerat crudelis in ardua collis
Vixq. animæ patiens, curſu tamen incita natum
Aſtitit ante parens. Superi, quorum agmina mille
Inſuetis Regem lacrimis fleuiſtis ademptum,
Dicite? qui ſenſus fuerit, quæ cruda duorum
Vulnera. Vicina pallens in morte, rigentes
Ille quidem, fixuſq. trabi malè ſuſtinet artus,
Sanguinea exangui decurrunt flumina dorſo.
At mater pallore genas ſuffuſa madentes,
Iamq. ſimul moritura, oculos immota tenebat,
Non gemitus, non verba dabat, dolor omnia ſecum
Abſtulit, atq. animam ſecreta in corda coëgit.
Sæpe obluctantes conata eſt reddere voces:
Reſtitit, & linguæ vox intercepta receſſit.

Sæpè mouere gradus, atq. oſcula figere trunco ;
Obſtitit, & gelidos tenuit ſtupor obuius artus.
Optabat riguos Nati libare cruores
Optantem vis nulla iuuat. quid? ſcandere iuxta
Cum voluit, Natumq. alto demittere ligno ,
Aut ſimul ipſa mori? ſenſit tamen irrita vota
Nec ſe mœrentem, ſe nec cognoſcit amantem,
Sola mori neſcit, quæ neſcit viuere Mater.
Vix bene languentis poterat componere Nati
Lumina luminibus, vix triſtè audire loquentem,
Iuraq. virginco iuueni materna dicantem.
Quod ſupereſt, iam vocis egens, iam neſcia vitæ
Muta loquebatur, tacitoq. in corde gemebat.
Te nè Deum? te ſiderea ſuper arce ſedentem
Regnatorem orbis, dira hæc portenta manebant?
Nec tamen ipſa queror tua funera. funera pridem
Poſcebas; teneros poſtquam Deus induis artus,
Non alius cogebat Amor. mea funera viuens
Ipſa queror: rapis hanc animā, raptamq. relinquis
Vt moriar, viuamq. ſimul. tamen accipe vitam
Hanc quoq. cœleſtis Genitor, ſolare parentem,
Redde precor Nato: fas eſt iam cedere vitæ
Cumq. Deo moriente mori. ſubit vltimus illi
Spiritus, expiratq. vnà qui vixerat Orbis,
Ipſa moror? tacitis patuit vox nulla querelis
Amplius; exanimæ ſimilis poſt illa iacebat.
Nos quoq. vox, Mundi vita fugiente, refugit.

Mor-

MORTEM CHRISTI DOMINI ſequuta Hieroſolymæ ruina.

I I.

Flebilis attonitas longè vox impulit aures:
Impulſoq. nouos fingens in pectore ſenſus
Mens alio diuerſa ſubit. vagus incola Mundi
Cernere deſertas videor trans æquora terras,
Et Solymæ aſſirijs ardentia mœnia flammis.
At vatem contra lacrymantem, & colle ſedentem
Cui dira excidia, & Iudeæ funera gentis
Dicere cura fuit; nunc illi mœſta cadentes
Ora rigant lacrymæ, ſqualetq. impexa comarum
Cæſaries, ac voce refert miſerabile carmen.
O Patria, ò cineres, ò quæ monumenta ſupremo
Barbarus igne rapit! cecidit decor ille vetuſti
Imperij. Regumq. domos, certantiaq. aſtris
Culmina, & erectas æterna in ſecula moles
Ferrea peſtis habet, miſſoq. incendia ferro.
Ne tamen vrbs inter miſeræ mœſtiſſima mortis
Funera quære iterum conſurgere: neue per auras
Sacrilego ferale caput ſuſtollere muro.
Quid ſtruitis Ciues? quid mœnia condere ſaxo
Audetis, lapſos quid cingitis aggere muros?
Et te cta antiquas iterum viſura ruinas?

Huc

Huc video quendam regnatis lapſus ab aſtris
Omnipotens, duro defixus corpora ligno
Candidaquè inſertis traiectus tempora dumis
Pollutas tenebris vitam expirabit in auras,
Quo feror ? accliuis duplicato poplite terræ
Multa gemit, largis humectans imbribus ora;
Pulſa per exangues expirat gratia vultus,
Membraq. ſanguineus madefecit pallida ſudor.
Irrumpit legio, vinclis Regemq. Deumq.
Innectunt, lacerantq. comas, celeratq. per vmbras
Confeſtim, & ſæuam veniens ſubit agmen in vrbē.
Et video, & vidiſſe dolet quos ſæua furores
Turba viro, & quantas violentior aggerat iras.
Pars oculos denſo geminos obnubit amictu.
Pars vultum manibus quatit, inſultatq. flagello:
Turpibus ora notis fœdant, lacerantq. reuulſam
Cæſariem, horrendum pœnæ genus, & mora nulla
Aut requies tormenta leuat, populuſq. patreſq.
Miſcentur longis denſa ad Prætoria turmis,
Exacuuntq. iras, atque vltima funera poſcunt.
Tuq. adeo inſontem uirgis, & vindice ligno
Quid ſceleratè reum tentas extinguere? quis te
In furias iubet ire metus? quid tela? quid enſes?
Cur video pendere Cruces? ô pone furores
Pectore, tela manu ſanguis meus. Ille per vrbem
Quem rapitis, geminis deuinctum colla catenis,
Indignum aërij quem figitis Arbore montis;
Ille ingens, Deus ille, altos qui iura per axes
Diuidit

Diuidit atq. manu pendentem ſuſtinet orbem,
Et dabit immites flammis vltricibus arces.
O Solyma, ò Regum nutrix: incendia tectis
Illapſura tuis, iterumq. reſurgere bellum
Victa gemes, Italum ſignis, & vindice Roma.
Sat vidi crudele nefas; inſtatq. ruitq.
Et clades, & dira fames, & triſtis Erinnys,
Et tanto nunquam mors exaturata cruore.
Nunc mihi ſi quis adhuc oculis lãguẽtibus humor
Effluat; ora decent lacrymæ, decet addere fletus,
Et properare meum geminato funere funus.
Dixit, & in lacrymas oculos effudit, & omnes
Plorandi patuere viæ. mihi reddita ceſſit,
Officijs mens apta ſuis. Verum ille futuri
Præſcius arcano cecinit quæ numine bella,
Exitium, geminumq. nefas; labentibus annis
Videre, & cladem miſeri doluere nepotes,
Ipſe modo expediam, repetamq. ab origine cauſas.
Mitia Romanæ damnarant fœdera gentis
Iſacidæ, & dominos prohibent dare iura Nerones;
Iamq. potens contra validis exercitus armis
Aſtitit, irataque acies, & Romula caſtra.
Sed magis infeſto minitantur numina Cœlo,
Maioreſq. cadunt regnis cœleſtibus iræ.
Infandi pœnas ſceleris per tela, per ignes
Cœlicolæ repetunt; ſed enim nec tela, nec ignes
Sufficiunt. fœda immanes abolere ruina,
Fulmina moliri, conuerſaq. ducere contra

Et

Et maria & terras, & auerna vndantia flãmis
Eſt animus. Iamq. exitij manifeſta futuri
Signa ferunt; viſa in noctem turbata per aſtra
Æthereum flammis acies incendere martem
Et criſtæ capitum, galeæq. ardere minantes,
Diſpergi & longo ventorum incendia tractu.
Sæpe auguſta Dei moles, vbi ponere ſacras
Mos erat, atq. aras votis onerare ſecundis,
Sponte ſua patuit, magnoq. excuſſa tumultu
Oſtia, & abrupto patuerunt cardine poſtes.
Vox quoq. inhorrentes latè exaudita per vmbras,
Cuſtodes fugiſſe Duces, ſimulacraq. paſſim
Ora recedentum nocturno erumpere motu.
Ipſe ſuos ignes rigidum curuatus in enſem
Annuus infeſto ſuſpenditur axe Cometes.
Nec deſunt hominum voces, luctuſq. pauorq.
Et gemitus, mediaq. ingens vlulatus in vmbra,
Ergo vbi poſt domitam ſe Veſpaſianus Idumen
Vertit ad Italiam, & ciuili concita bello
Roma ſui tandem venerata eſt Principis ora;
Auguſto nec patre minor, nec Conſule Conſul
Arma Titus cladeſq. iterum Solymæque ruinas
Aggerat; haud illi quiſquam contenderet; hoſtem
Seu turbaret eques, ſeu cum Cortynia neruo
Spicula torqueret, mentiri neſcia dextram;
Quotq. manu, totidem defigeret hoſte ſagittas.
Iam propius ſteterant acies, Tyberiſq. volucres.
Obijciunt ſeſe Solymæ ſub mœnibus altis

Iſacidæ, paribuſq. cohors venit acta maniplis.
Explorant vtrinq. manus, & comminus armis
Irruitur, victorq. redit certamine Cæſar.
Tum portis iterum, & patria conduntur in vrbe
Iſacidæ, Martemq. tegunt, ac mœnia firmant.
Colle ſuper gemino ſurgit, verum impare dorſo
Vrbs Solyma, & ternos circumdedit aggere muros.
Vallis erat media, accliuem ſe collis vterq.
Frontibus aduerſis in quam deuexus agebat.
Altior ille iugo, magni tecta ampla Syonis
Suſtinet, ac refugis pugnantes nubibus arces:
Inferior tenet Acra locum decliuibus aruis.
Quem contra aſſurgens ſecluſum vallibus imis
Eduxit natura iugum: ſed molibus altis
Erexere locum Reges, perq. ardua montis,
Rupeſq. abruptas, magno patet area templo
Nubiferis erecta tholis. ferit aëra moles,
Qualem non nigra Ægyptus, non corniger Hămon
Aut iuuenum vidit lacrymis celebratus Oſiris.
Ipſa Ducum moles iam dedignata ſuperbas
Roma, nec aequato faſtigia vertice ponit.
Haud alijs credant tutò ſeſe arcibus vrbes,
Tot circumpoſitis ſtant propugnacula muris,
Tantaq. ſe facies aperit, numeroſa columnas
Tecta premunt, geminis ſeſe vaſta atria cingunt
Porticibus, dupliciq. ſuper ſtat fornice pondus.
Huc Libanus virides truncos, huc cedrina ſylua
Robora demiſit, ſuffoſſo ibi multa Syene

Cerni-

Cernitur, & patrio viduati marmore montes.
Interior non ſaxa domus, non marmora tollit,
Auro cuncta nitent, & conueſtita metallis
Stant ignota procul ſuperum ſacraria Regi.
Nec deſunt vrbi latices, nam valle profunda
Murmurat amne liquor, fontem ſonat vnda Siloã.
Quin etiam effoſſas alta tellure cauernas
Imber alit, liquiduſq. latet ſub montibus humor.
Et quà ſurgentem renouat Sol aureus ortum,
Iordanes habitat ripas fugitiuus amoenas:
Occiduus quà condit equos, ſpumantia fluctu
Æquora miſcentur, medias cingentia terras:
Nubila qua pennis Auſter meditatur & imbres,
Bethlemiæ ſedes, magniq. habitacula partus:
Quaq. tonat Boreas, veteris ſtetit ara Bethelis
Semotæq. procul terra Samaritide gentes.
Hinc & caſtra locat Cęſar ſuper ardua collis
Culmina; ſęuit atrox contrà, ſeq. obruit hoſtis.
Stare negans dictis, validaſq. in viſcera vires
Ipſe ſuas vertit, ciuiliaq. arma coruſcat.
Iamq. faces tectis, & adactum in viſcera ferrum
Iniiciunt largiſq. ſeges collecta maniplis
Igne Palęſtinos ſenſit conſumpta furores.
Interea hoſtilis validos baliſta molares
Arietat, impulſuq. tremunt, arceſq. fatiſcunt.
Nec mora; ſuccedit denſa teſtudine miles,
Obſcuratq. diem telis, pars ſpicula dextra,
Stupea pars agitat balearis verbera glandis,

Pars muros ferro explorat, duraq. bipenni
Clauſtra remolitur; contorti ac turbine ſaxi
Auellit portarum aditus; labat ariete crebro
Poſtis, & ingeſtos ardent tabulata per ignes.
Miſcet-ſe bello Cæſar defectaq. in hoſtes
Exanimos vbi tela videt, conſcendere turres
Accelerat, ſummoſq. manu diſcindere muros.
Nec cecidere animis hoſtes, ſtridentia voluunt
Ignibus, atque atro circumlita ſulfure tela,
Denſataſq. ardent acies perrumpere, ſi qua
Forte via aut ferro, aut iunctis ſeſe ignibus offert;
Nox aderat; Cœſarq. ſuos in Caſtra vocabat.
Sed tabulata ſuper terni iubet aggere valli
Surgere roboreas armato vertice turres;
Compactiſq. ſonant trabibus tormenta, fremenſq.
Quaſſatæ de tuto aries ſuper intonat vrbi.
Iàmq. dedit latè rupta compage ruinam,
Procurſuq. hoſtis ſumma ad faſtigia muri
Emicat, atque Aquilas & ſigna volantia figit.
Ceu quondam obiectas rupes, & grandia ſaxa
Vorticibus certant rapidis, & murmure aquarum
Hibernoq. amnes animoſi excindere nimbo:
Tandem vbi colliſo diuellitur aggere moles,
Altà fremens fluuius ſpumantes ingerit vndas.
Clauſtra ſuperfuerant geminis imperuià muris.
Tela inimica tonant contrà, baliſta recluſum
Fecit iter, ſubiere hoſtes, conferta ſed arma
Iſacidæ obijciunt, & comminus enſe coruſcant.
Incaſſum

Incaſſum Latiæ cuneos inducere turmæ,
Atq. omnes tentare aditus; compulſa recedunt
Agmina, Iudæas ſequitur victoria gentes,
Viſa inſperatam mendax luſiſſe ſalutem.
Nam matutinos vix Sol quater extulit ortus
Miles in obſtructam cum Flauius irruit vrbem.
Vt ſolet in nemora immiſſus ſiluaſq. ſonantes
Arſuris non vnquam ignis decedere ramis,
Donec flamma vorax truncos,fumoſaq. ſoluit
Robora, & in cineres latè omnia miſta quierũt.
Non aliter ſeſe hoſtis agit, iamq. vltima cingunt
Mœnia, & extremos releuat fortuna labores.
Stabat in immenſum turris, quæ vertice ſummo
Erigitur Cœlo, vicinaq. ſydera lambit,
Herodis fabricata manu, memoreſq. per annos
A Duce ſuſcepit Romanum Antoniæ nomen.
Proxima marmoreas ſurgunt delubra per arces.
Huc omnis ſubitò verſus labor; explicat omnes
Ante acies Cæſar, flectat ſi fortè morantes
Armorum fremor, & viſu metus vrgeat hoſtes.
Ibat inauratis radians exercitus armis:
Hos dedit Auſonia: hos fluuio ſeptemplice Nilus
Miſerat: aduenere Syri, nec defuit armis
Eufrates: Arabeſq. ſuis gens nota pharetris.
Sed quis tenareos extinguat corde furores?
Non numeroſa mouent hoſtilibus agmina ſignis,
Ipſi ſe ferro abſumunt, in ſe ignea tela
Iſacidæ intorquent; iam nulla exire poteſtas,

Hinc vaſtæ rupes, latoq. altiſſima muro
Pergama, & obiectæ cautes: hinc Itala caſtra
Auſoniæq. manus, & Flauia ſigna recondunt.
Ergo fames baccata omnes depaſcitur artus,
Et paſſim inſontes pueri, teneræq. puellæ
Inualidiq. ſenes pereunt. ſtant turpia tabo
Corpora, perq. vias ſternuntur & atria longè
Exanimata replent; ſancti non cura ſepulchri
Exequijs non vllus honor. vomuere profundæ
Terribiles viſu formas, ſua monſtra, cauernæ:
Luctumq. atrumq. Horrorem, Rabiemq. Doloremq.
Atq. Metum, immanemq. Famē, Morboſq. Necemq.
It nocturna cohors, comitumq. ante ora vocatus
Pallor adeſt, illi macies, illi intus abactis
Horrida lux oculis, ſqualentes lurida malæ
Oſſa premunt; ciet ille feros ad ſigna maniplos.
Et luſtrant miſeram nocturnis paſſibus vrbem,
Perq. diem obſcuro denſantur in aethere nimbo.
Vos tremefacta lucem infandam ciuilia tecta
Atque illabentes ſenſiſtis mœnia luctus.
Vos Erebi peſtes magno ſtridore volantes
Attonitæ fugiſtis aues, cum pectora ſenſus
Nunc alios alios raperent; ille impius enſem
In ſua corda mouet: tumulum dum vita ſuperſtes
Ille petit: cari ſcrutatus viſcera nati,
Ille rapit, teneroſq. vorax depaſcitur artus,
Atq. ſuo gaudet Mater pingueſcere partu.
Senſit atrox volitare malum iam mitior hoſti.

Et Titus illacrymans . voſ, dixit, ſydera teſtor
Vos ſuperi, non hos gemitus , non funera gentis
Nec tantum ſperaſſe nefas . ſtat parcere victis ,
Si moda victa mea procumbant mœnia Romæ.
Nec tamen Iſacidæ pacem, non fœdera poſcunt ,
Arma necemq. petunt;furit hoſtis, & irruit armis.
Quis miſeram cladem referat, clamore ſecundo
Cum Latiæ coiere manus ? cum ſubdita flamma
Concepit portarum aditus ? longeq. ruinam
Sacra liquefactis dederunt delubra metallis?
Paſcitur ignis edax, aurumq. aggeſtaq. gemmis
Pondera, diuitiaſq. operum , crepitantibus altè
Semita fit flammis, aeſtuq, incendia feruent .
Quin etiam raptos altaria ad ipſa tonantis
Iſacidas iugulant, veteris penetralia templi
Incenſis patefacta adytis, multoq. cadentum
Sanguine fœdantur ſacris pereuntibus ignes.
Inde faces ad tecta volant, ruit Acra vetuſtis
Ædibus, inuoluitq. viros, igneſq. ruina .
Enſis atrox aut flamma vorat, ſubit vndiq.mortis
Horror,vbiq. furor, calidis cruor vndiq. riuis.
Tertia nec duro ſtant inuia mœnia bello .
Ingemuitq. Syon, nam viribus acta coruſcat
Fulmineam baliſta trabem, concuſſaq. pandit
Pergama ; diffugiunt trepidi,non tecta , neq. arces
Extrema iã in morte petunt;ſpecus omnis,& omnis
Impletur locus, arcanis vbi buſta ſepulchris.
Occupat extemplò deſertas milite turres

Romanus, ferroq fremit; non ſaxa, nec ignes
Non vllum mortis ceſſat genus. ipſe ſuperbas
Vt cadere aſpexit moles, monumentaq. Cæſar,
Hæc, ait, haud noſtris opibus, non militis armis
Proueniunt, miſcent irata hæc funera Diræ,
Maior agit Deus ultrices pro crimine pœnas.
At nondum ſeros quæ poſt uenere per annos,
Hauſerat ille oculis renouata piacula facti.
Vt profugi incertaſq. urbes, diſperſaq. tecta
Veſtigent, patriaſq. domos errantibus orbis
Auferat. inuiſum cunctis genus unda refugit,
Terra negat ſedes, auras uix ſufficit æther.
Ibo per ſcythicos quà nix altiſſima montes
Stat ſolido concreta gelu: deſerta per arua
Regnat ubi medius Mauris flagrantibus æſtus:
Hic miſeram ſobolem (Solymæ fumantis acerbas
Relliquias) ſpectare licet; non barbara tellus
Fœdera coniunxit, placidis non mollior armis
Tecta locat; periere ſemel, nec uiuere uitam
Poſſe datur: furor idem adigit corda, impia corda
Peſtis habet patriumq. nefas. Procul eſte, quid urbē
Cingitis? ultor adeſt, ſcelus ò uocat omnia Cœlo
Fulmina, coniurant & auerna, & ſydera flāmis;
Infeſto nimium premitur ſub pondere tellus.

Nata-

NATALITIA MAGNAE Virginis.

III.

Forſitan Hebraos tenebroſa per Infera manes
Illuſtres animas mundiq. obſcura tenentes
Non dum naſcentis ceperunt gaudia lucis,
Atq. vtero nondum Tellus patefacta recuſſo
Vſque ſub infernos diffundit lumina Campos.
Non ſatis haec Libanum *viridem,* Galilaaq. *propter*
Moenia, Carmeliq. iugis Aurora marinis
Splenduit, ac medias impleuit lumine valles,
Nazareos primo qua protulit ore nitores,
Candida qua Solem ducit rubicunda ſequentem.
Debuerant tenebris pallentia Regna fugatis
Ignotos haurire dies, & triſtibus antris
Hactenus inuiſos Coelo deducere ſoles.
Vos quoque Idumai *proceres, (è nocte profunda*
Naſcentis ſpectare licet ſi lumina Diua*)*
Cernite, Nazarei ſecreto in limine tecti
Infantem primis queſtam vagitibus auras,
Quam veſtra quondam cecinere oracula lingua
Aſtrorum Dominam, terra, pelagiq. futuram?
Ecce pharetrati qui ſiſtra ſonantia Nili
Caſtraq. Erythrae merſit Pharaonia Ponto

Deſigna-

Deſignata notis Pater immortalibus ora
Agnouit; ſecto qualis de robore Setim
Arca immortales ſacrauerat aurea cedros.
Senſit & igne rubos paſci; commiſta pudori
Iam ſibi maternos cum flãma orditur amores,
Et flagrat è caſta flos virgine. Florea vates
Alter Ieſſeæ miratur munera virgæ.
Atque aſcendentem foecundo ceſpite gemmam,
Hic funda, ſceptroque potens dilecta Syonis
Oſtia, Reginamq. imis veneratur ab antris,
Aſtitit oſtrifero naſcens quæ dextera Regi
Auratam vario chlamydem circundata textu.
Tuq. adeo patriæ Salomon regnator Idumes
Flos olim campi, & viridis tener ineola vallis
Quas Dominæ luces miraberis? Aſpice quantus
In Sunamite decor: cara in Sunamite videbis
Effulgere choros caſtrorum: armata cohortes
Explicat vt quondam legio fulgentibus aruis,
Atque repercuſſo iacit aurea lumina Sole.
Nonnè ſoporatos eadem declinat ocellos?
Et modo maternis pendebat pupula mammis,
Illa, Deus genitor cui riſerat, ante vetuſto
Pondere quàm ſtaret librata ſub aëre tellus,
Et gemino obuerſum ſtrideret cardine Coelum.
Nondum ſe fontes, ſonituſq. erupit aquarum,
Molè graui nec dum rigidi per nubila montes
Conſtiterant: hæc ante omnes dilecta puellas
Viſa Deo quondam, vectus famulantibus auris
Cum

Cum Pater æterno cingebat ſydera vallo,
Æthera tendebat ſurſum, ſtabiliq. deorſum
Lege nouas frenabat aquas, ne littore curuo
Iracunda ſuos tranſirent æquora fines ?
At modò poſt æui ſenium, reuolutaq. Coelo
Tempora, longæuam fœcundat Nata parentem,
Alludenſq. ſinu regali fronte coruſcat,
Et noua maternos inter ciet oſcula riſus.
Quin etiam teneros è Sole plicatilis artus
Intertexta tegit coeleſti faſcia limbo:
Sydera florentes componunt luce coronas
Interſuſa comis; capiuntq. è crine nitores:
Et ſinuat cunas argentea Luna bicornes,
Vt placidos fingat nocturno ſydere ſomnos.
Fecerat hæc pueræ naſcenti munera Coelum,
Et nunquam ſic gemmiferis per littora conchis
Pontus ad occiduas, Eoas fecerat vndas:
Fecerat & tellus, Autumni mitibus aſtris
Quæ nemore acclinans bicolores diuite malos
Legerat & fruges, & dulces legerat vuas.
Vos modo, digna Patres ſi magnæ debita Natæ,
Cura mouet, tenerum pro munere dicite carmen,
Quando aliud furuis donum non redditur antris.
Audiſtis ? vox ecce ſonat, caniturq. per vmbras,
Ceu pulcher Salomon feſtiuo cantica verſu
Sancta paleſtinæ quondam modulatus amicæ.
Vt rigidos inter naſcuntur lilia dumos:
Inclita foemineos inter ſic filia coetus

Naſce-

Naſceris, ô pictis adiungite mala roſetis
Et cunas ſtipate leues, & cingite lina;
Si modo languet amans, ſomnos adducite amanti.
Dure ſopor. melius primos mihi rumpere ſomnos.
Ergo ab odorato formoſa Columbula nido
Surge, ſonet noſtras tua vox immiſſa per aures.
At graue conceptos Diuæ ſit rumpere ſomnos.
Ergo omnes circum fuſæ cunabula Matres
Vos ego per capreas, ego vos, ceruoſq. fugaces
Camporum teſtor, dilectam ſuſcitet audax
Ne manus, intereat caris ne ſomnus ocellis.
Aſt ea compoſitos ridens patefecit ocellos,
Et circum ora lepor, circum Sol *lumina ludit.*
O quam te memorem! vultu pudibunda decoro
Sola nites, interq. nites tam pulchra puellas,
Et macula, nigrorq. genas fugere decentes.
Ergo veni, Libanoq. veni; tibi ritè coronam
Amana floriferum, tibi roſidus educat Hermon:
Et montes, deſerta locant vbi luſtra Leones,
Celant lunatos ſecreta cubilia Pardos.
Corda ſoror, deſponſa ſoror iam vulnere figis,
Eſt oculus iaculum, iacis vno miſſile telum
Colli crine tui. ſed enim quos crinis odores?
Diſtillant quos labra fauos? mel lingua refundit,
Lactea lingua tua eſt, niueos dat mellea rores.
Tot neq. roriferis pubeſcunt gramina campis
Fons vbi, & irriguis nutrita roſaria riuis:
Sparſa quot Aſſyrio ſpiras opobalſama cultu.

Tu

Tu nardos, tu diua crocos, tu Ciprina latè
Vnguenta & myrrhas, & odoro cinnama lignò;
Tu quoq. viuentes liquida ſignatus. ab vnda
Fōs hortis effundis aquas; modò mu muret Auſter,
Et volitet pennis Aquilo per rura ſere nis,
Foeta dabit flores, frugeſq. & aroma a tellus.
At viſenda nimis Solymæ par filia noſtra ,
Hinc oculos auerte tuos, & concipe ſomnos;
Quippe illis fugitiua meos mens deſerit artus,
Auia lux oculis, & ſpiritus auolat ore.
Illis tu lotas ſuperas imitata columbas
Lacte licet lotas, pleni per amœna fluenti.
Sic tu nigra comas: Galaditi vertice frondes
Ceu nemoris tondent nigrantes vellera Capræ.
Dentibus alba greges, & vincis coccina labris,
Grex licet aſcendat fluuio, dent coccina vittas:
Purpurat ore rubor, malas qui pingit eburnas,
Non ſecus ac tenero qui frangit Apyrina libro
Monſtrat ſanguineis granata rubentia ſuccis.
Sic adeo mihi pulchra venis. ò pulchra flagrantes
Sparge in corda faces: præ te ſi pallida condit,
Nunc Aurora diem: deſerto candida Sole
Si modò Luna tuos in noctem mutuat ignes:
Sol & adoranti pronus tibi concidit aſtro.
Sic ait; aſt alij ſubeunt, paribuſq. dedere
Naſcenti numeris, paribus pia carmina votis.

S. IGNATIVS FERITATEM optat in feris.

I V.

SIc quoq. credideras Superos placare ſecundos,
Votaq. pro victis ſolemnia ſoluere Dacis.
Ergo atrox ſæuire tuas Traiane ſecures,
Romanoſq. iubes violari ſanguine faſces:
Sanguine crudeles Cauea pingueſcere ludos.
At non, ſacrilegis cui certas, Iuppiter armis
Iuuit, & Arctoas pugnantem vexit ad oras.
Ille fuit, caſtis quem ritè Ignatius aris
Deuocat, inſtauratq. potens pia ſacra Sacerdos,
Aſſuetus Coeli niueis accumbere menſis.
Hoc Duce fidentem iaculis proſternere Parthum,
Et fractis poteras lacrymantem cornibus Indum.
Sed pius Antiſtes media lacerandus arena
Quòd ſtetit, infeſtis agitabis prælia diuis
Ac tua barbaricæ ridebunt funera gentes.
Oſtia iam puppis veniens Tyberina tenebat
Vectus ad Auſoniam qua longè Ignatius vrbem
Tangebat vinclis Italas oneratus arenas.
Vt ſtetit Antiſtes Latias ad littoris oras,
Oſcula defixit terræ; tùm, Foeta triumphis
Salue, inquit, Coelo ante alias gratiſſima tellus.

Qua

Quæ mihi palmiferas nutris largo vbere frondes
Nec tu ſi toties duxti per triſtia riuos
Vulnera ſanguineos, noſtros foecunda liquores
Deſpice: neue mea rigidas manſueſcere Tigres;
Mitiùs aut ſæuire neci permitte Leones.
Sic ait illacrymans, greſſuq. ad moenia fertur
Romula, & obſcuri celatur carceris vmbris.
Poſtera lux aderat, ſubitòq. immania lictor
Intentans tormenta rapit, trahiturq. per vrbem,
Heros ante Ducem, Romani ac Caeſaris ora.
Ipſe catenato raptus per compita collo
Perq. fora incedit, tergoq. retorta gerebat
Brachia; cui frontem roſeaſq. argentea malas
Veſtit canicies, oculis micat aureus ignis,
Atque errat gemino conſertum lumine ſydus.
Ipſa ſibi vultus olim legiſſe verendos
Maieſtas, placidoq. alludens gratia riſu
Ore videbatur ſanctos afflaſſe lepores.
Ingreditur tandem, & domibus ſuccedit apertis:
Eſt locus, obductas ſcindit quà vertice valles
Seque Palatinus molitur in aëra collis.
Qua modò porticibus deformia tecta vetuſtis
Semirutos tollunt arcus, & lapſa ruinis
Subſedere; altiſque ſuper nutrita viretis
Scribunt regales Farneſia nomina flores;
Tunc viſenda domus tectis Auguſta ſuperbis.
Atria panduntur maculoſis lucida ſaxis,
Tercentumq. nitet ſolidis effulta columnis.
Porti-

Porticus, ac medios faſtigia iactat in Euros.
Interiora magis gemmiſq. auroq. coruſcant.
Cuncta adeo tabulis laqueata teguntur eburnis,
Splendidaq. irradiant, ſpernuntq. triclinia noctẽ.
Tum ſuper aërios coelum verſatile flores
Deijcit, vnguentiſq. fluens argentea latè
Fiſtula multiplices myrrhas, Arabumq. liquores
Fundit, odorato nardoſq. & balſama nimbo.
Aſt aulæ in medio ſeptus fulgentibus armis
Adſtabat, ſolioq. ferox Traianus ab alto
Increpat, irata venientem ac voce laceſſit,
Tu nè lues Aſiæ vetitis Ignatius aris
Sacra refers? noſtroq. vetas dare Thura Tonanti?
Atq. ignem fulmenq. vocas? dabis improbe poenas
Emeritas, tantumq. tuo ſaturata piabit
Sanguine Roma nefas; ſceleri proh tela nec ignes
Roma dabit pariles, rabidoſq. in membra Leones;
Sed moriere tamèn; ſatis eſt periiſſe nocentem.
Dixerat. at placido ſic contra Ignatius ore
Ni mihi Caeſar, ait, ſuos tormenta per ignes
Inſtrueres, rabidos & acuto dente Leones,
Impia vota negem vetitis quòd fundere templis,
Horrerem pauidus, ſegetis ſeu cuſpis aëna
Multiplici vallo, aut vaſto circumdaret æſtu
Flamma vorax, raptoſq. in poenam poſceret artus,
Sed quoniam mihi cara moues per vulnera mortẽ,
Et capiti aſtriferas nectis ſine fine coronas,
Non arma, aut ignes paueo, non ſi qua ſatelles

Erepta

Erepta è flammis tormenta educat auernis.
Quis pauet Hyrcanas, ſi qua cum ſanguine Tigres
Amphitheatrali renouant ſpectacula plauſu?
Aut fugit immanes catulorum in coede Leænas?
Si quos antra Lupos, ſi quos alit Africa Pardos?
Hoc timeo infœlix, miſeris ne parcere membris,
Ne fera ſanguineo diſcat manſueſcere Circo:
Et mihi (fortè etiam merui, ſed deprecor, iras
Inſuetas permitte Pater) numeroſa petenti
Vulnera, ne morſus impaſta ignoſcat amatos.
I pete marmaricis deſerta noualia luſtris,
Ignotas ſcrutare vias. vbi Sole propinquo
Feruet humus, geminos vbi frigida ſuſtinet axes.
Congere quidquid alit vaſto fecunda ferarum
Terra ſinu, quæcumq. ſuis armata venenis
Mōſtra furūt, quæ dēte ſecāt, quæue vngue trucidāt
Funera ſiue oculis, ſeu cornibus aſpera portant.
Nil agis & maiora decent, proh quanta dolori
Facta via eſt, lacerata feris ni victima Cœlo
Emoriar, furias inter rabiemq. Leonum
Si miſero heu defenſa tuis ſit vita theatris.
Ergo age iunge feras, ruptiſq. emitte cauernis;
Iam propero, mortemq. voco; ſed nuncius ante
Sydereus gero Tœnareas tibi perfide pœnas,
Ni Cœlo das victe manus, mentemq. rebellem,
Sic ait. At Cæſar dictis violentior ardens
Ire iubet caueis cunctas in funera Tigres,
Et puro latios renouari ſanguine Ludos.

Tempus erat, veteri ſolemnia februa ritu
Quo renouant, vrbiſq. & feſta piacula Tybris
Romulidæ, ſignantq. nouum purgamine menſem.
Heu malè Romanis inuecta piacula ſacris
Fœdatura viros, cæcumq. in corda venenum,
Et furiale malum bibulis ſparſura medullis.
Sumite iam puro quæ ſanguine februa monſtrat
Et moriens veſtris Ignatius egerit oris,
Romulidæ, iam tecta ſacrat, ſanctiq. cruoris
Pollutum Tyberim manantibus expiat vndis.
Exquilias inter, læuiq. Palatia montis
Amphitheatra ſedent, ſpatijſq. extructa recuruis
Veſpaſiæ monimenta manus, quibus eruta longè
Tiburtina ſuo decreuit marmore rupes.
Nituntur triplices pilis immanibus arcus,
Et ſinuata ſuper teretis curuamina molis
Iungunt aërios obliquo fornice muros.
Interior ſectis compages ſaxea quadris
Attollit ſublimè gradus, caueaque refertos
Per cuneos ineunt diſcreta ſedilia ciues.
Conſeſſu primiq. Patres, cenſuq. minori
Bis ſeptem Romanus eques ſubſellia complet:
Tum gradibus plebeſq, locis viſenda remotis
Indiſcreta ſedet, nec ſeſe vrbanus in armis
Caſtra tenens populo miles permiſcet inermi.
At ſolium Cæſar, Veſtæq. Auguſtæ miniſtras
Virgineas inter: trabeatus pulpita Conſul
Occupat, & domino prætextus murice Prætor.

Carbaſa

Carbaſa tenduntur, prohibentq. vmbracula Solē,
Stellanteſq. bibunt pendentia vela nitores.
Sic tum Roma potens palmas agitare cruentas
Aſſueta, immanemque Syro committere Thracē:
Aut cœcum Oedipodem mœſto ſimulare theatro,
Et tragicos ſcenis miſerūm veſtire cothurnos.
Ergo vbi iam cuncti proceres, equiteſq. paratis
Sedibus adſtabant, adituſq. occluſa per omnes
Amphitheatra vndant populis; dant ſigna paratis
Cædibus; emiſſæq. volant è carcere Tigres:
Antiſtes media iacuit religatus arena.
Talis Tiſiphonem contra, ſtygioſq. furores
Illudens, pharijs Antonius adſtitit oris:
Obſtupuit, ſeptemq. elatus in oſtia Nilus.
Senſit Tanareas Iuueni ceſſiſſe colubras.
Horruit aſpectu populus, cum dira Leonum
Ora horrenda iubis; Nemeiq. ſimillima monſtri,
Aut ſetis aſpexit Apros, ac dente recuruo
Terribiles; quali nunquam turbaſſe tumultu
Cædibus audierat miſeram Calydona cruentis.
Atq. vnà immanes Vrſi, Tauriq. minantes,
Et Tigres Pardis, Tigribuſq. ferocior ardet
Rhinoceros, circumq. auidarum turba ferarum
Mugit, & impreſſa gradiens ſtipatur arena.
Firmior aſpectis Ignatius excita monſtris
Corda gerit contra, paſtumq. frementibus offert,
Miraturq. Tigres, celeriq. recedere curſu
Vndiq. demiſſos humili ceruice Leones.

Vulneraq. alta vocat: tum forti interritus ore
Huc, ait, accelerate; feris ego morſibus aptos,
Pabula veſtra gero, nunquam fœlicior, artus:
His dapibus cupidas implete, hoc ſanguine fauces.
Quis timor inceſſit? veſtris magis aſpera turbant
Pectora pectoribus? forſan mihi condita ſaxo
Corda rigent? duriſq. ſonant præcordia fibris?
Non mihi acuta ſilex, non aſpera marmore mẽbra
Forſitan & noſtris dapibus molliſſima veſtram
Leniet eſca famem. trepidatis? & omnia belli
Vulnera, & immites non longè aduertitis enſes?
Non ego præfixo iaculer venabula ferro;
Spicula non certis emiſſa Cydonia neruis,
Æratus non arma gero: religatus, inermis,
Deuotus morti iaceo; properate, volentem
Sternite; per, ſi qua eſt pietas, ſi corde ferarum
Regnat inhumano, mortem concedite. Tuq. ò,
Cuius ad imperium maternos Bellua mores
Ac mutant elementa vices, Deus ò mihi quondam
Funeribus Cœlo merces promiſſa Latinis
Optantem permitte mori, rabiemq. Leoni
Redde ſuam, mihi ſola tuos dabit illa Triumphos.
Dixerat; audituq. preces, geminiq. Leones
Accurrere; thoris mortem miſeratus ab altis
Immeritam inclamat populus, vitamq. repoſcit.
At cupidæ quamquã ora feræ iam longa domaret
Nocte fames, viſaq. inhiarent arida prædæ,
Extimuere tamen; curſumq. repentè retorquent

Innectuntq. moras, donec Pater optimus ollis
Annuit, inuictos & vulnere deſerit artus.

LENIT ROMANOS METVS S. Polycarpi in vrbem Aduentus.

V.

SMyrna vetus Polycarpe tuo de nomine faſtos
Signat adhuc, fortiſq. olim certamina mortis
Cum te longæuo ſuperantem ſecula curſu
Turba ferox Aſiæ, rigidoq, inſana theatro
Deuouit facibus, ferroq. infixit acuto.
Quis neſcit, quali ſteteris viſendus in altis
Maieſtate rogis? qualis venerata coëgit
Flamma cauos conuexa tholos, tutoſq. parauit
Ardenti ſtatione ſinus? vt ſtructa teneres
Tu medius delubra nouos operoſa per ignes.
Tum quoque viderunt populi, cum barbarus alto
Candida rupiſſet lictor iam vulnere colla,
Fonte ſuperfuſo, & ſpumanti ſanguinis imbre
Flammarum periiſſe globos, extinctaq. largo
Flumine adoratum ploraſſe incendia Patrem.

Aſt ego deſertis longè crudelibus oris
Itala facta canam. Vidit te maxima quondam
Roma parem ſuperis gradientem, atque ore decoras
Fundentem mirata faces, mirata loquentem.
Inuectus pelago Latiam Polycarpus in vrbem
Venerat Auſonij ſcitatum oracula Patris.
Tum ſeptemgemina terris Anicetus *ab Arce*
Iura dabat. Sed enim Præſul ſeu paupere tecto,
Aut ſpecubus vitam obſcuris innixus agebat,
Spretus, inops nuda frenabat ſydera dextra.
Tantus ab exiguo Romanam creuit in vrbem
Maieſtatis honor. tacitis tum ſæpe cauernis
Sacra dedere Patres, miſſuſq. à Conſule lictor
Regnatorem orbis ſceptro tria regna regentem
Membra catenatum poſitos raptabat ad ignes.
Nunc ſublime decus, magniq. opulentia tecti
Additur, & populis vndant venerantibus aulæ,
Seruiles ſtipantq. manus, & purpura veſtit,
Dantq. humili vultu Reges, dat Cæſar honores.
Verum eadem ſemper Cœlo delapſa poteſtas,
Miſſaq. regnatum latialia iura per orbem.
Tuq. Aniceta procul veniens reſponſa petebas
Et magnas adytis voces Polycarpe Latinis.
Quippe Aſia dubias agitat diſcordia gentes,
Num quæ bis ſeptem noctis reuoluta per ortus,
Candida Iudæis ſignauerat azima cœnis,
Luna diem ſignet? clauſo quæ membra ſepulchro
Extulit, atque Deus domitis remeauit auernis,

Ergo

Ergo anceps dum Romulea Polycarpus in vrbe
Procumbens Anicete *tuis dedit oſcula plantis ,*
Expectatq. Patris voces, ſententia necdum
Certa datur ; Cœlo in noctem res viſa ſereno,
Quæ triſti Auſonias tremefecit lumine gentes.
Tempore namq. illo Romanam Cæſar in arcem
Venerat, atq. ingens ſceptra Antonina gerebat
Secula qui iuſta dederat Pius *aurea dextra,*
Ille & terrarum Pelagiq. per æquora pacis
Otia fundebat vetito gratiſſima bello.
Feſta dies aderat pacalibus annua votis ,
Qua Pacem *donis ſoliti placare Quirites*
Vimineis fruges calathis ad templa ferebant.
Stabant ſydereas immania templa per auras
Proxima *Romanumq. forum, Sacraſq. tenebant*
Parietibus tactura vias ; conſurgit apertos
Trans Zephyros culmen Solemq. intercipit vmbra.
Magnum opus, auguſta monimentaq. Flauia gẽtis.
Panditur ante fores, gradibuſq. adeunda ſuperbis
Porticus aut pilis, aut interſtincta columnis
Quinq, per ora aperit ſeſe: totidemq. patenti
Sunt aditus templo, & ſummos curuãtur in arcus.
Vna ſed interior ſpatijſq. ampliſſima longis
Area, quà tereti flexum teſtudine curuat
Lunatumq. à fronte caput, laterumq, minores
Hinc atq, hinc ternas interſerit ordine cellas.
Sed quà communis ſcinduntur margine muri
Altius *octonas ingenti mole columnas*

Curuatura ſuper lapidoſaq. pondera latè
Fornicis obliqui, camerataq. tecta recumbunt.
Hic adeo ſimulacra Deum, ſimulata virorum
Veſpaſiane locas Signa, immaneſq. Coloſſos,
Sidonias veſtes, & circumtexta nitores
Stamina gemmiferos, argenti auriq. talenta,
Et totas imples donis fulgentibus aras.
Aurea quin etiam portantes munera tutis
Poſtibus affigunt, onerantq. altaria ciues,
Inſtaurantq. choros, & miſtica ſacra frequentant:
Mitibus ac populi gaudet Pax candida ſacris.
Portantur violæ, manibuſq. argentea plenis
Lilia, & in tumidis redolentia poma caniſtris.
Ante fores mactatur ouis, quam cadere templo,
Et calido delubra nefas violare cruore,
Vſta focis Arabos inter fumabat odores.
Aſt alij circum thyaſis altaria plaudunt,
Et Pacem feſto dominam clamore ſalutant.
Iam poſt exigua cedentia ſydera noctis,
Luce ſequuturas agitabant ducere pompas.
Ecce ſub auroram, puro cum Lucifer igne
Venturum trepidis Solem denunciat vmbris,
Viſus terrifica candentia tollere cauda
Spicula, & erecto decurrere crine Cometes.
Ille quidem natus, gemina iuſtiſſima lance
Libra diem, noctiſq. pares quà ponderat horas,
Fronte capillatus fertur, niueoq. coërcens
Lumine vicinum ſtringebat crine Bootem,

Et

Et ferus arctoum figebat cuſpide mundum.
Accurrit ſeptem patria Romanus in arces
Viſurus, triſtiq. haurit de luce pauores.
Ante omnes metuenda canit Tyrrhenus Aruſpex,
Et magnam Auſonia cladem, gentiq. minatur
Auguſta. quis Caſareos diſpergere faſces
Neſcit, ait, natum Libra *ſuper aſtra Cometen?*
Haec dedit Auguſto fatalia ſydera Cœlum
Cum puer aſpexit natales luminis auras.
Roma gemes bello ſeptem tumuiſſe Triones,
Fulgentemq. armis ſplendere audentius Arcton.
Has Augur voces dederat, paſſimq, fremebat
Terrifica rerum ſuſpenſus imagine ciuis.
Nec deſunt, Italos *terra nutante tumultus,*
Intempeſtiuos referant qui nubibus imbres,
Aut nimis arentes flagranti ſydere Soles.
Ipſe inter primos dubius reſponſa petebat
Signaq. turbati manifeſta agnoſcere Cœli
Cœſar auet, paſcitq. Deos, atq. exta fatigat.
Et tum ſollicitam Polycarpi fortè per vrbem
Fama volans vulgi cupidas impleuerat aures
Aduenißſe virum, tacito cui ſydera ſigno
Euentura notent, Cœlumq. arcana recludat.
Ergo in conſpectu Procerum, *qua nobilis ora*
Regibus aquantes cogebat Curia *patres,*
Regaliſq grauas ebur Antonine *curulis,*
Accitur. Stetit *Antiſtes, cui candida circum*
Tempora canicies: reſidet placidiſſima vultu

Maie-

Maieſtas: oculis effuſa nitentibus aſtra
Et vinctos populi mirantur lumine crines.
Ipſe autem Cæſar ſolio ſublimis ab alto
Dic, ait, & diuum nobis arcana recludc
O ſuperis dilecte ſenex (nam conſcia tecum
Cœlicolæ ſecreta canunt) quo numine fœdant
Bellica ſigna diem pacis? crinitaq. cingunt
Sydera funereos cladem meditata rubores?
Accendit quæ tela furor? quibus intonat armis?
Tum contra fatur lacrymis Polycarpus obortis.
O ſanctæ Fidei, & magnæ Pietatis honores!
Vt tandem domitum veniens inuecta per orbem
Subdet Romanas valido ſibi numine gentes!
Arſit inextincto violentior igne Cometes,
Morboſq. horribileſq. metus & funera ducens
Crinibus adſtringit pendentia bella cruentis,
Lætior vt noſtris redeat Pax candida ſacris.
Barbarus arma quidem ſtringet, pacisq. reſoluet
Fœdera, iuratus Romanam extinguere gentem,
Vndabitq. nouo immanis Germania bello.
Marcomani ingentes, & qui conuallibus altis
Hercyniæ rigidos ſaltus, nemorumq. per vmbras
Perpetuas habitant immiſta nocte pruinas:
Qui patrium ripis potant glaciantibus Iſtrum:
Atq. alij, quibus impendens vix addidit Arctos
Nomina confertis implent legionibus vrbes,
Italiaq. tuaq. mouent mala funera Romæ.
Innumeras iam cerno acies, ferrataq. longè

Agmi-

Agmina puluereo Solem ſubducere nimbo,
Montibus & clauſum, magniq. indagine ſaltus
Romanum patriæ plorantem fata ruinæ.
Funera nec tamen vlla tibi Romane timendũ eſt.
Ecce recollectis dum militat imbribus Æther,
Chriſtiadum deducta manu ſtridentia Cœlo
Fulmina Germanas acies, rapidæq. vorabunt
Barbara caſtra faces. legio vix ſancta potentes
Tollet ad aſtra manus, medioq. ex æthere Numen
Nubibus effundet trifidos famulantibus ignes,
Iramq. horribilemq. Metum, reuolutaq. tela
Vertet in auctores nimbiſq. euroq. ſepultos.
Iam cædem aſpicies paſſimq. iacentibus arua
Strata cadaueribus: iam fractis cornibus Albim
Spumantem Hercynijs niuibus miſcere cruorem,
Feruere ſanguineum ripis fumantibus Iſtrum.
Poſt etiam domitos hoſtes actoſq. triumphos,
Marce, Palatinos qui tum moderabere faſces,
Marmoreæ pones Cæſar monumenta Columnæ,
Atq. Antonino ſignabis prælia ſaxo.
Hæc adeo monſtrant Superi: volentibus annis
Hæc Cœlum rebus dabit argumenta futuris;
Cum par ſyderea fugiens è Lance Cometes
Crinibus elatis gelidum procurret in axem.
Tunc quoq. terribili fremitu mirabitur ætas
Poſtera Romanos contra conſurgere bellum,
Signaq. in auguſtos iterum Germanica Reges:
Et Morauos, raptis atque arma Siletia turmis.

Et

Et procul Hercynia clauſos in valle Boëmos:
Hæc tum nomina erunt populis cum ſæua rebelles
Arma ferent, ſolio ac Cæſar ſucceſſor auito
Ferdinandus erit. proh clari nominis ingens
Gloria, nec dum Italis, patribuſq. audita latinis.
Nec fore maiorem longæuos vere per annos
Antonine virum, Latias qui rite curules
Impleat, aut ſimili moderetur pectore faſces.
Huic Pietas, huic pura Fides, huic addita Cœli
Relligio, & ſacra cuſtodia credita gentis.
Ille, vbi nunc veſtri vix vlla potentia regni,
Vindelicos ſuper, & montano in vertice Carnos,
Aruaq. Pannoniæ flantes tum dicta per Auſtros
Sceptra reget; ſubitò at ſiluis commota profundis
Non expectato ruet auſa Boëmia bello.
Finitimi accurrent, longèq. ad flumina Rheni
Hoſtis, & vndantem Dacis iuuentus ad Iſtrum.
Innumeras denſate acies, adiungite caſtris
Tænareum contra reuomentes faucibus ignem,
Et ſtygias ſtricto luctantes angue Megaras;
Maior ab euerſis veniet victoria turmis,
Æquandos nunquam meritis factura triumphos.
Sic Polycarpe refers; alti tum limine templi
Egrediens Aniceta iterum reſponſa petebas.

S.Tho-

S. THOMAS AQVINAS, vitæ Religioſæ Tyro De domeſticis hoſtibus triumphat.

VI.

ET potuit tantum iuuenis? bella, impia bella
Famineis incenſa odÿs, longùmq. laborāt
Non exorati nequicquam condere fratres.
Dura parens, furibunda parens, lacrymiſq. ſeniles
Interfuſa genas, niueoſq. ſoluta capillos,
Maternis implet reſonantes queſtibus auras,
Vulneraq. imbelles ciet in fraterna ſorores.
At conſanguineus deſerto Cæſare miles
Intentat tenero ferrumq. & vincula fratri,
Oraq. pellacis fruſtra medicata puellæ.
Tu validæ Thomas ceu tutus ab aggere turris
Ludis anhelantes vario certamine turmas,
Quàque fugas rapto venientem torre Colubram,
Quà materna premis, quà fortia militis arma,
Quàque geris fortes per bella ſororia lauros.
Tuque adeo tandem ruptis fortiſſime vinclis
Perge, ſecunda tuis quò pridem Numina votis
Et pubes dilecta vocat (proh candida pubes

Et

Et nimiùm dilecta Deo, quam Lilifer orbi
Inuexit, niueiq. Parens inſigne pudoris
Ipſe gerens Cœli puros admiſcuit ignes)
Hoc Duce quantā moues Erebi certamina mõſtris
Quantus Aquinates patribus moliris honores?
Factaq. mæonijs quondam referenda Camœnis?
Liquera: Auſonias fugitiuus Tybridis arces,
Et Thomas iter arctoas celerabat in vrbes
Viſurus flauos terrarum è culmine Francos.
Illi Sol geminos, poſt tertia luſtra volutus,
Annuus obliquis addebat curſibus orbes.
Incedunt vnà comites, longoſq. viarum
Errores ſermone leuant. Sed pulchrior ante
It pudor, & Pietas, caſtiq. arctiſſima voti
Relligio, iuuenemq. ad læta pericula ducunt:
Iamque iter accelerant, trepido cum perculit ore
Nuncius iratos Tyrrhena per oppida fratres;
Quem Theodora iugis pramiſit ab vſq. latinis
Infœlix mater, veteres fugientis amores.
Quam Nati, & furijs muliebribus ira tenebat.
Ille autem hetruſcas ſe curſu immittere Piſas
Iuſſus erat; poſitis rigido cum Cæſare caſtris
Bella vbi, germanoq. comes Landulfe mouebas.
Quippe vbi iam Cæſar validis Federicus in armis
Aruaq. & Inſubrum ferro violauerat vrbes,
Italiæq. ferox infeſto Marte ruinas
Maſſylis renouans opibus, regnoq. potentis
Parthenopes, & ſigna mouens Alemannica bello.

Solis

Solis ab occiduis ortum tremefecerat vndis,
Haud ſemel illuſit Tyberini fœdera Patris,
Viuendiq. ſacras temerauit crimine leges.
Vaticana Pater ſed contra intorſerat arma:
Tum dextra quatiente facem, geminãſq. Sacerdos
Ipſe refixuras cœleſtia ſydera voces,
Emerito ardentes furiarum adduxerat ignes,
Et quendam ſtygijs pereũtem immerſerat vmbris.
Nec mora. fœderibus Ligures, Venetoſq. videres
Coniunctos vnà fremere, & Romana receptam
Sub iuga Parthenopen domino ſubmittere Patri.
Sed premit incaſſum geminas diuiſa per vndas
Tyrrheni, Superiq. maris, perq. oppida virtus.
Accelerat contra, Romaq. indigna minatur
Excidia, & fidens populis Federicus Hetruſcis
Seruat pacatas caſtrorum ex aggere Piſas.
Hic etiam geminos numerabat in ordine fratres,
Landulphi ſobolem, ne clara exempla ſequutus
Sacra palatinis inferret Roma maniplis.
It duplici ſpectandus equo, generoſus & haſta
Miles; Aquinatem clarat noua gloria gentem.
Ergo vbi turbato ſe Nuncius intulit ore,
Sic mandata ferens Natis materna reuoluit.
O gemini fratres, quorum par gloria bello,
Nectit Cæſareos ſubiecto Tybride faſces;
Non mihi præcipites fingat ſi Dædalus alas,
Miſſus ad Hetruſcas adſim velocior vrbes.
Ipſa viam Theodora iubet, quæ Liris amœni

Deſer-

Deſeruit veſtras vultu mœſtiſſima ſedes.
Heu profuga, & non dum longis ſatiata querelis;
Quod Thomas ſpes magna domus, pùerilibus annis
Vulſus ab amplexu genitricis, in abdita ceſſit
Clauſtra virum, nigris iungentes candida lanis
Tegmina ad Hiſpanum referūt qui nomina Patrē
Et nunc fraude mala puer, inſidijſq. doliſq.
Heu procul à patria gelidorum in regna Trionū
Cogitur exul, inops inimicas quærere terras.
Illa quidem raptus Nati indignata latentes
Samnitum ſubito montes, Campanaq. fugit
Mœnia, littoreas aditura Neapolis arces.
Sed procul auectum romanam Tybridis vrbem
Senſit, & ignotum latias veniſſe per oras.
Euolat extemplò ad ſedes miſeranda Latinas;
At natus voto miſeram fruſtratus inani
Captantem velut vmbra fugit, raptuſq. ſequentē.
Quid faciat, niſi Tyrrhenis me deſtinet oris?
Nuncius infœlix adſum; Iubet illa per vrbes
Incedentem Italas iuuenem, prædaq. potitas
Veſtigare manus: Natum ocyus, ite, parenti,
Et vobis ((ſi fas) pereuntem reddite matrem.
Quippe modò impatiens, luctuſq. altiq. doloris
Credo equidem, Theodora peris, natoſq. relinquis.
Sic ait. at geminus ſtimulata incanduit ira
Miles, & imbellem veluti defigere damam
Feſtinent, equites diuerſa per oppida vectos,
Et famulas iubet ire manus. venerata parentis

Iuſſa

Iuſſa mouent, mouet ancipites factura tumultus
Degeneresq. animos, & vilia pectora fratris
Italiæ iam Fama canens, Sed proxima Thomas
Viderat interea Tuſcæ confinia terræ:
Tum Cimini montes, læuoſq. in colle Phaliſcos,
Vulſinioſq. lacus, & amœna iugera vallis:
Aſcenditq. iugum, quò ſe montanus ab alto
Voluit, & abrupta ſpumoſi aſpergine fluctus
Præcipitatus Aquam pendentem diſſipat amnis;
Amnis & antiquas effundit nomen in arces.
Fons erat herboſis iuxtà pellucidus aruis,
Florea qui tacito mordebat gramina riuo,
Denſa ſuper gelidas intexit Populus vmbras;
Huc iuuenis medios feruenti Sole per æſtus
Conſedit, feſſuſq. viæ languentia membra
Muſcoſoq. thoro, ripaq. algente leuabat.
Cum ſubitò furibunda cohors fulgentibus armis
Exploratores intendit ab aggere curſus,
Et tenerum iuuenem ſocijs rapuere fugatis,
Tendentemq. manus, fraternaq. iura vocantem.
Qualiter vndenis puerum nocturna maniplis
Viſa, & adoranti narrantem ſydera luce
Raptarunt ſciſſo immites velamine fratres.
Miſſus ab vmbroſis properabat vallibus Hebron
Veſtigans armenta puer, quæ Sichima propter,
Paſcua roriferis tondebant pinguia campis;
Germanus contra furit implacabile Paſtor,
Iungentiq. manus teneras, & multà precanti

Heu duri, tunicam, Nati qua texerat artus
Verſicolore pater rapiunt, imiſq. cauernis
Demiſere; mouet non queſtus & ora dolentis,
Funere nec genitor ſuper immoriturus acerbo.
Sic rapitur iuuenis. dolet ille, & gratia ſanctis
Acceſſit lacrymis, verſiq. ad ſydera vultus
Arcani ſignant votum immutabile cordis.
Iamq. intrat rurſum latiam, iam deſerit vrbem,
Et iuga Telegoni, montiſq. in valle Labicum,
Iugera & apricis ſuperauerat Hernica ſaxis,
Vnde Ferentinum, Fruſinoq. & Anagnia longe
Emicat; hinc ripa quas condit Liris amœna
Veſtinas taciturnus aquas, & valle propinqua
Frondibus vmbroſum luci viridantis Aquinum.
Proxima colle ſuper rigido ſtant oppida muro.
Huc ſubit; hic iuuenem foribus claudebat ahenis
Turris, & excubiæ vigiles, ternoſq. per annos
Celatum cohibet Mater: Proh ferrea Mater,
Et malè fœmineas teſtata nepotibus iras.
Quinetiam cordis tacitos compreſſa furores
Sic blandis Natum affatur molliſſima dictis:
Hoc quoq. credideram, prima genitricis ab aluo
Te faciles hauſiſſe animos, Patrumq. repoſtis
Nutritum domibus docili creuiſſe iuuenta.
Quis mihi Nate redis? duro intractabilis ευο
Solus vt iniuſſa properes te credere vitæ?
Vnde nouus ſubitò hic ardor? nonne ante ſolebas
Conſilia, & caræ monitus audire parentis?

Non equidem obijcibus poſitis tua ſiſtere vota,
Aut vnquam æthereas auſim præcludere leges;
Nec tantum ſuperis auerſaq. pectora Cœlo
Geſtabo infœlix; caput ò prius ima recondat
Terra meum, raptamq. cauis me me obruat antris.
Perge, audi quæcumq. iubet Deus. Aſpice tantùm
Omniaq. expendens melioribus vtere votis.
Cur trahere inuiſos funeſta per otia ſoles
Moliris, reſidemq. procul traducere vitam?
Nec te gentiles potius perferre labores,
Tutariq. domum labentem, & pondera matris
Defectæ releuare iuuat? num ſydera nobis
Clauſa manēt? tantiſq. aberit ſua palma periclis?
Hic ſocios nectunt connubia longa dolores:
Hic vitæ mortiſq. feros duramur ad ictus,
Aſſiduis preſſi curis, vitiumq. ferendo
Atterimus; tuq. hic lacrymis proh quanta malorũ
(Teſtis ego) fomenta lues? quæ præmia condes?
Non ne vides, quibus infœlix Theodora procellis
Iactor, & indomitis immerſa retorqueor vndis?
Afflicti exciſis opibus, titulisq. paternis
Vitam vix gemitu trahimus; procul impie Cæſar
Seiungis geminos in caſtra Sueuia natos.
Hic fugit ereptuſq. perit; lacrymabor in vrbe
Scilicet hinc vacua, fugienſue in luſtra ferarum,
Aut in montanos condam me me horrida ſaltus
Sola gemens, reſonanſq. meis caua ſaxa querelis.
Nec fore dicebas miſeræ tot ſemina luctus

O coniux Landulphe, pari cum languida letho
Ipſa tuos claudebam oculos, natoſq. vocabam
In fletus, gemituſq. pares. tu ſcilicet vnus
Dure fugis noſtros per inertia tempora caſus
Tam lucis, quam laudis egens; vt vilibus annis,
Securus vitæ, crudelis tu quoque, mortis
Immatura meæ, properataq. funera fratrum
Aſpicias, clademq. domus ſtragemq. futuram.
Hoc de te fratres, hoc ſperauere ſorores?
Aut etiam vt matrem veſtigia ponè legentem
Effugeres, tectiſq. alijs mea fata videres?
Cur ſine matre fugis, certaq. in morte relinquis?
Quod te per ſuperos, per ego hæc tua viſcera quondã
Infantis, partuſq. meos, per ſi quid acerbum
Te propter miſeranda tuli, te propter acerbum
Si quid reſtat adhuc; oro, ne deſere matrem,
Neue immaturo morientem occlude ſepulchro.
Dixit & extremas lacrymis, & pectore ab imo
Suſpirans voces ſingultibus interrupit.
At Thomas defixa ſolo, placiduſq. tenebat
Lumina, multa premẽs animo: tum dicta ſequutus:
Non vnquam excidũ potui, non vulnera noſtra,
Vt memoras, vulgaſſe domus; quæ funera Natus
Intulit? ô Mater, qui pronis audit ab aſtris
Ducentemq. Deum, & Cœlo propiore vocantem.
Si vos digna manet genialis palma laboris;
Non equidem inuideo; aſt alios prætexere flores
Quid capiti, lauroſq. meo prohibetis amatas?

An ne ego turpis, iners, opibus viduata malignis
Quòd pietas, ſanctuſq. pudor mihi vincla petentis
Nexuit, & caſtæ numerauit in ordine pubis?
Quid patiens operum, duræq. aſperrima vitæ
Pauperies me nuda vocat; quam ſcilicet Orbi
Intulit allapſus Cœlo Deus. Ille rigenti
Mēbra ſuper ſtipula, & bifida ſuper arbore fixus
Depoſuit; vulpes fouea, nidoq. volucres:
Nuſquam illi aſtriferum caput acclinare licebat.
Et pudor eſt ſimili veſtigia ponere curſu?
Probroſuſq. vacat lacrymis locus? Accipe mater,
Et gratare tuo cœleſtia gaudia Nato.
Nunc tibi fœlices, ſuperis nunc viuimus annos.
Plura loquuturo, dudum indignata fremebat
Impatienſq. moræ: Nuſquam Theodora furentem,
Exclamat, genui, luat hæc inſania pœnas.
Nunc frueris Cœlo rector, nunc omnia dextra
Sydera ſtulte rapis; credo iam veſtibus iſtis
Sol tegitur, celaſq. diem. proh falſa iuuentæ
Somnia, vera nimis miſeræ ludibria matris.
An Comes ire Deo, & paribus vaniſſime votis
Te te æquare paras? tumidis ego protinus auſis
Officiam; modo vincla feras, & robora ferri,
Et ſpecus horrendum, atq. æterni carceris vmbras.
Sic ait. exceſſitq. fremens, coniunctaq. fratrum
Arma ciet, belliq. minas. dein turribus altis
Ipſa catenatas occludit ſedula portas,
Et circum notos obſedit milite calles.

Tempus erat, Riphæa Italæ quo frigora terræ
Portat hyems; ſed enim ſtridenti Aquilone coactas
Apennine tuas glacies, dorſoq. niuali
In ſolida effingit gelidos chryſtalla liquores,
Secretiſq. focis ſolatur frigora Thomas.
Nox cum brumales accenderet aſtra per vmbras.
Ecce ſonant moto diducti cardine poſtes
Et clauſi patuere fores; noua prælia fratres
Nequicquam intentant. Furialibus acta colubris.
Ingreditur limen, multumq. obnoxia gemmis
Stillantes fucata genas, & myrrhea fuſo
Rore pu lla comam; tum vultu ſubdola Siren
Arridet, cæcos oculis vibrantibus ignes.
Horruit aſpectu iuuenis, ſecumq. volutat,
Ora flagellantes vnde horrida Gorgonis angues
Mutati in flauos ſubito venere capillos?
Hoc certè monſtrum infœlix, quantum ore veneni
Quantum mortis habet? Pereat. nec plura; coruſcat
Robora rapta focis, fumantiq. obuius igne
Adde faces, inquit facibus; tibi dona viciſſim
Hæc gero. cur poſuit furialem dextera tædam?
Hanc capies. Torrem, ſic fatus in ora ferebat
Flagrantē. pauet illa, tremenſq. & militis agmen
Auxiliare vocans foribus prorumpit apertis.
Hic ſubito obſtruxitq. aditum, firmatq. reductos
Poſtibus æratis vectes: tum pectore anhelans
Languenti, totoq. exudans corpore nimbum
Parietibus Crucis in morem dum torre nigranti

Signa

Signa notat; proh dira lues, proh tabida peſtis.
Num perij? exclamat: tantum ne? atq, iſta pudorē
Bella decent? ò monſtrum atrox, ò dextera vindex
Quanta Deo propiore tonas? huic vincimus vni
Scilicet, æterniq. ſacramus iura pudoris.
Vix ea, cum languens, defectaq. pallidus ora
Membra ſolo innixus declinat, lumina ſomno.
Somne quies vitæ, ſuperis placidiſſime donis
Longum ades ò, tecum æthereos delapſa per orbes
Cœlicolum pubes venturos concinit annos,
Et iuueni primas gratatur carmine lauros.
Vince puer, pudibunde puer, iam nomina Cœlo
Magna dabis: ſtygiæ domiti ſat Gorgonis angues,
Defenſuſq. pudor. maternæ carcere turris
Gallia dimiſſum doctiſq. Lutetia tectis
Accipiat, claroſq. inter componat alumnos.
Quos ibi diuinæ fontes Sapientia linguæ
Egerit, & cutidos fœcundat munere Celtas!
At memorē Italiæ, *& rurſum patria arua petentē*
Te tua Parthenope, *te Roma, & Felſina ſacro*
Audiat eloquio reſonantem, & larga trahentem
Flumina. Fulminea hoſtiles tu inuicte furores
Voce domas, Fideiq. cadit deſertor auitæ
Imbellis: tibi ab æthereis iam ſupplicat oris
Relligio, patrumq. manus: prece ſydera pandis,
Et morbos tu idem, vitiataq. corpora curas
Attactu, furiaſq. animorum extinguis Auernus.
Surge puer, te digna manent: ſeu facta per orbem

Lucida ſeu Cœli contexto ſydere ſerta.
Et nunc dona manent: caſta cape cingula vitæ;
Perpetui hæc cuſtos aderit, vindexq. pudoris.
Sic abeunt, ſomnus iuuenem poſt verba reliquit.

AGNES PVDORIS VINDEX
Iuueni erepta
Et reſtituta vita.

VII.

AGnes caſta nimis, violis ſed pulchrior Agnes
Vna roſis rubicunda magis, magis alba liguſtris,
In fœdas compulſa domos, indigna puellis
Luſtra tenet; ſed enim ſubeuntem in limine primo
Proſternit iuuenem ſuperis defenſa Virago.
At qui ſyderei veniſti è culmine Mundi
Alma verecundi defendere iura pudoris,
Et prope virgineos tutari Agnetis amores
Aliger, irato depone ardentia vultu
Lumina, & ingentes paulum compeſce furores.
Qualis ades quam fortis ades! qua triſtia telo
Vulnera flammifero, qua Roma horrenda coruſcas

Fulmina

Fulmina! terrificis ingens mihi Caſſida criſtis
Cernitur, & nexis laquearia lambere flammis,
Sydereaſq. operire comas, frontemq. minantem,
Lethiferum ſquamis veſtitur pectus ahenis,
Fulgoreſq. igneſq. rotat: micat area dorſo
Effundens lorica faces: velut æmula Solis
Longe ardent hauſtamq. vomunt ſpecularia lucē:
Haſta grauat dextram, ferroq. obtortile fulmen
Strageſq. immaneſq. metu circumligat iras:
Aeraq. cum tonitru fatalis complicat vmbo.
Proh quanto miſeros immergi in funere Ciues
Aſpicies, quanto maculari ſanguine ripas
Et fluctu tepefacte nouo Tyberine videbis
Diſpergi ſeu tecta virum, ſeu templa Deorum,
Et ruere in præceps veterum decora alta Quiritū!
Ecce prior iuuenes inter fortiſſimus omnes
Qui vetitas intrare domos, auſuſq. latenti
Virgine iam puros greſſu temerare penates.
Occubuit valido transfixus pectora telo,
Stratus & vltrices hauſit per fulmina pœnas.
Et tum forte ſacris Capitolia ad alta peractis
In fora Tarpeio Conſul deſcendere cliuo
Cœperat, Exquilijſq. domum repetebat amœnis.
Ecce autem incendens miſeris clamoribus auras
Atq. Deos, Cœlumq. vocans crudele ruebat
Nuncius, heu domino referens mala funera patri,
Vix adeo aſpexit (iuuenum comitante corona)
Purpureum trabea, & tumida ſe mole ferentem

Cum procul exclamat; votis tu ſurda fatigas
Numina, morte iacet ſcelerato in limine Natus.
Ipſa necat, colubris, Hydraq. nocentior Agnes.
Vidimus (heu magicæ damnata venefica linguæ)
Theſſala cum fremeret furiali murmura cantu
Cunctaq. diſrupto trepidarent numina Cœlo,
Ægida torquentem fractoſq. in nubibus ignes
Deſcendiſſe Iouem; fuerat ſeu Iuppiter, arma
Ignea ſiue Deus Cœlo Ioue maior agebat.
Proh quantas tulit ore faces? quæ flammea torſit
Spicula? continuo natus percuſſa triſulco
Fulmine corda tulit, caſuq. ereptus acerbo
Ille tuus, Romæq. decor, Tyberiſq. voluptas
Obluctantem animam trifidos effudit in ignes.
I ſtrag s numerare tuas. nec plura loquutus,
Hæſit, & in lacrymas mutauit verba ſilentes.
Ille autem luctuq. amens, rabiduſq. furore
Ibo, ait; at ſolues triſtes mihi fœmina pœnas
Cruda nimis, probroſa nimis. nec munere vitæ
Tu Capitolinas inter nutrita puellas
Hauſiſti niueos teneræ de matre liquores.
Te Lupa, te Tigris ſqualentibus extulit antris
Te Gorgon, quæ vipereis incincta colubris
Indoluit vinci natæ crinalibus hydris,
Atq. Erebi expauit præbentes vbera peſtes.
At, faxo, lethale vomes de corde venenum.
Ipſe ego mox adero, manibuſq. calentia corda
Auellam, canibuſq. dabo laceranda cruentis.

Sic ait, impellitq; animos, luctumq. furoremq.
Accendit, tum præcipites quò vertere greſſus
Admonet ira, ruit, propereq. ad limina pergit.
Eſt locus in medio latis conuallibus vrbis
Circus agonali miſſos vbi carcere metis
Conuertebat equos, dubiuſq. auriga remenſo
Circuitu, longam curru ſignabat arenam.
Hic & Alexandro quondam fabricatus Seuero
Surgebat moles, nunc ſtrato ampliſſima Circo
Sunt ſpatia & muris ciuilia tecta coronant.
Huc vbi (nam vicina Agnes aliena tenebat
Limina) delatus Conſul (numeroſa Quiritum
Agmina cingebant aditus vt fortè patentes,
Et iuuenis flebant immitia fata iacentis)
Eminus exclamat Genitor, properate Quirites
Ferratis incluſam anguem religate catenis.
Vna tot horrificas ſtrages, tot miſcuit vna
Exitia & luctus! ite, obtruncate merentem,
Ferte faces, denſate rogos, vibrate ſecures,
Infames lacerate artus, incendite flammis,
Nec tamen emeritas ſcelerũ dabit improba pœnas.
At ſolues, ſcindam ipſe manu corda, impia corda
Dextra teres, artus flammæq. vndiq. vorabunt.
Quid loquor infelix? media lymphatus in vrbe
Quò feror? heu nuper genitor; ſolatia luctus
Quæ miſera? aut ignes? aut ferrea vincula poſco?
Quid me flamma iuuat? Quid adactum in viſcera ferrum?

Si

Si lux rapta domus, noſtræ ſi fida ſenectæ
Spes abit extinctumq. decus? Proh Iuppiter altis
In foribus video deiectum fulmine natum?
Fulmine, quod iuuenis bipatentia pectora rupit.
Hic meus eſt? iacet heu quantum mutatus ab illo,
Qui modo romanas curru ſublimis in arces
Ibat, & auſonios meritis referebat honores.
At non has de te lacrymas ſperare licebat,
Spondebâtq. annis veniens florentibus ætas;
Quæ tibi longæua ſignauit ſecula vitæ
Frenandumq. tuis Romanum legibus orbem.
Heu nimis inſidiata meis ſors improba votis!
Vt ſubito egregium forma, viridemq, iuuenta
Perculit, affixitq. ſolo! Sic ille rubenti
Excidit ore color? ſunt hæc lætiſſima vultus
Lumina? ſurgentes hi ſumma è fronte nitores?
Mors ſibi cuncta tenet. Patrijs iam faſcibus hæres
Quis dabitur? noſtri generis bellator in vrbem
Quis latiam Rhenum, domitumq. inducet Araxē?
Et vacua Princeps poſthac dominabitur aula?
Debueram prior ipſe mori, ne dura viderem
Funera, verſaremq. manu mea vulnera. tantum
Fæmina vulnus agit? Non, ſi torſiſſet Amazon
Spicula, ſic telo rueret: potuitq. timendis
Figere virgo armis, manibuſq. imbellibus Agnes?
Non te nate ferit muliebribus illa ſagittis,
Dedecorant nec tela necem; ſed fulmine toto
Vix bene deiecit te Iuppiter. ô mihi ſi quis

Gaudia

Gaudia reſtituat, ſi quis tibi lumina vitæ:
Deleat & flammas, & hiantia vulnera ſanet!
Tu forte ignotas laudata puella per artes
O Agnes prohibere necem, tu munera lucis
Ferre vales, raptamq. patri. natoq. ſalutem.
Audierat gemitus Agnes, vocemq. dolentis
Et tacitis egreſſa adytis ante ora Quiritum
Aſtitit. vt tenero naſcens è ceſpitè fulget,
Atq. inter virides flos pulchrior emicat herbas:
Vt quondam in tenebris lucem veſtire pyropus:
Aut matutinas albeſcere viſa per vmbras
Roriferis Aurora comis, & Solis ad ortum
Spargere inaurato radiata roſaria Cœlo;
Veſtibus haud aliter niueis, oculiſq. refulſit
Et circum ſuperos Agnes afflauit odores.
Veſtis erat, quam ſtelliferis aduexerat oris
Carbaſa vincentem tenui pellucida textu
Sydereus Princeps, habilemq. vltroq. ferendam
Obtulit. Illa gerens Diuas imitatur euntes
Inceſſum ſimilis, lucemq & ſydera frontis.
Vt ſtetit ante viros, miſerandaq. Conſulis ora:
Quæ tu dira Iouis memoras? quæ ſpicula, dixit,
Imbelli contorta manu? Dux arma coruſcat
Maximus aligerum, quorum ſublimè ſedentem
Agmina mille Deum radijs velata coronant.
Ille manu fulmen torſit, rurſumq. tremenda
Tela manu mittet cuſtos meus; aurea ſi quis
Iura velit contra caſti violare pudoris:

Ille

Ille quoq. amiſſæ redeuntem ad limina vitæ,
Ereptumq. imis natum reuocabit Auernis;
Mors vbi viuentem paſcit, morſuq. cruento
Hæperit æternos nunquam periturus ad ignes.
Vix ea; cum lacrymans Pater, oblituſq. minarum,
Hærebat ſupplex genibus, natumq. petebat:
Natum omnes circum fremere, & clamoribus altis
Ingeminare preces, mœſta & lamenta Quirites.
Diua autem populos non aſpernata precantes,
Cœlicolæ promiſſa dabat, votiſq. ciebat,
Spondebatq. Deo reducis pro munere vitæ
Romulidum ingentem venturã ad ſydera prolem,
Et quondam ſacris moturam faſcibus orbem.
Iamq. dedit ſigna Omnipotẽs: monitusq. Tonantis;
Audit, & exanimo vitalia munera portat
Aliger. extemplò celeri per inane volatu
Carpit iter, tacitiſq. vmbrarum allabitur oris.
Extremo ſubeunda patet ſpelunca Baratro,
Qua non vlla magis regnis demiſſa profundis
Paſcit in æternas flammarum incendia pœnas.
Sulphureos alit vnda lacus, atq. ignibus atris
Vnda alitur glaciem iuxtà, reſonantia iuxtà
Fluctibus alliſis, vaſtaq. voragine ſaxa.
Luctus ibi, fluctuſq. virum, gemituſq. nocentum
Verberaq. ingeminant, quaſſatq. immanè cauernas
Horror, & ora dolor redeuntibus obſidet alis.
Huc immerſi omnes, quicumq. ferocibus auſis
Bella ſacris fecere; iacentq. delentq. Nerones.

Corpora

Corpora tercentum rigidis percuſſa catenis
Perpetuis ardere rogis, clauaq. ſonare
Centauros, fremere & ſpiris religantibus Hydras.
Huc etiam trifida confoſſum cuſpide cornus
Romanum iuuenem noxis in vincla catenis
Traxerat Alecto, piceiſq. immerſerat vndis.
Cum ſubito nitidis effulſit ab æthere pennis
Aliger, ereptumq. rogis, ſtridente Megera
Ad Zephyros iterum, notaſq; reduxit ad auras:
Et venienti animæ deſertos reddidit artus.
Reſtitit attonitus iuuenis: ſtupuere Quirites,
Et pauida innumeræ tenuere ſilentia voces.
Ille autem liquidos Cœli conuerſus ad orbes
Te Genitor, dixit, ſanis, qui mergis Auernis
Ponentes delubra Ioui, vetitiſq. colentes
Sacrilegas donis Acherontia monſtra per aras,
Agnoſco, venerorq. Deum, tu iuſta recondis
Supplicia, & diram ſceleri per triſtia noctem
Tartara. Proh cæcas mentes; vidi Infera, vidi
Tænarios ignes, & caligantia latè
Regna, faceſq. tuli, ſcyllas perpeſſus & angues,
Et centum gemino furialia verbera ferro.
Tu Stygio metuenda lacu, gratiſſima Cœlo
Eripis ò Agnes, patrio me reddis Olympo.
Ecce ſequor quocumq. vocas. veſtigia Conſul
Iam Nati ſequere, & Numen cognoſcite gentes.

SANCTAE NATALIAE erga coniugem Adrianum cæſum pro Religione ſtudium ac Fides.

VIII.

VEra fides, Aſiana fides, in coniuge quondã
Quã rigida veteres nõ laudauere Quirites.
Nõ ea ſe rebus tremefacta infregit acerbis
Non ignes contra valuere, actuſque cruento
Enſe furor; quæ Diua tuam Natalia mentem
Inſedit, duræ tenuitq. per aſpera vitæ.
Carceris obſcuris coniux Adrianus in vmbris
Conditur, & manicis, centumq. coërcita vinclis
Membra iacent: centum religantur colla catenis.
At teneri iuuenis dicendo immobile pectus
Fingere: diuinos te Diua accendere ſenſus
Cura manet, ſæuos tum ludere morte Tyrannos.
Ille autem (quamquam primæuo in flore iuuẽtus,
Congeſtumq. atauis argenti auriq. metallum
Ducere tranquillæ ſuadebant otia vitæ,
Et titulos olim gentis cumulare vetuſtos)

Sponte

Sponte tamen Cœlo venientes deuouet annos,
Et cruda percuſſa cadens dat colla ſecuri.
Par fœlix, dignumq. Deo: tibi panditur æther
Sydereoſq. aperit thalamos, vbi carmine Diuum
Feſta quies reſonat, ſemperq. fruenda voluptas
Forſan & ex alto poſſeſſi culmine Mundi
Inſuaues numeros non dedignabere vatis.
Roboreos nexus, faſceſq. Adrianus, & ignes
Expertus, vitæ dulces iam tangere metas
Cœperat, & lauros victrici attollere dextra.
Illum inter cædes, accenſaq. pectora tædis
Chriſtiadum moritura manus comitatur euntem,
Et paribus gaudent torreri corpora flammis:
Inſeruere ſimul patrio data nomina Cœlo.
Nec iam longe aberat curſum properantibus aſtris
Supplicio delecta dies: cum proxima lethi
Signa dabat tubicen, lictorq. minantia tela
Stringebat manibus, ſaxoue admota polibat,
Conſcia cum facti, ſubitaq. exterrita fama
Extremos petit amplexus, morientis & ora,
Intrat & obſcuras Natalia carceris ædes.
Horridus illuuie coniux, laceroq. iacebat
Corpore; purpureo nuper cui flore decentes
Pingebat iuuenile decus, nunc obſidet atras
Interfuſa genas macies: & pallor in ore
Luridus, & gelido concreti ſanguine crines:
Plurimus & vultu manat cruor: intus abacta
Conceſſere, ſuos libant neque lumina viſus:

Oſſaq. nuda patent, tentataq. viſcera virgis,
Atq. vnum innumero crudeſcit vulnere vulnus.
Ipſe catenata miſerùm ſub mole gemebat
Cruraq. compedibus, palmaſq. tenacibus ambas
Innexus manicis, oculis vix aſtra tenebat
Ergo introgreſſa vt vidit, dubiamq. dolentis
Agnouit ſpeciem, vultuq. ſimillima coniux,
Inuito lacrymas quamquam ciet ore fluentes,
Abſtinuit generoſa tamen; frontemq ſerenat,
Et dictis taciti depromit gaudia cordis;
Nunc mihi pulcher ades, nunc formoſiſſimus omnes
Vincis Iò iuuenes, nec Sol tibi lumine pugnet
Inuidus; obſcuris inuiſa hæc antra tenebris
Iam non Cæſareas laqueatis æmula tectis
Exuperant moles, dominæq. Palatia Romæ;
Sed Cælo, atque aſtris pugnant; vbi, numine prono
Ætheream cogis grata ad ſpectacula gentem.
Sceptra tuis ſunt hæ manicæ ſplendentia palmis:
Fingitur è dura, ſoliumq. inſigne coruſcat
Compede; tu medius terris velut ardua tollens
Regna ſuperfulges, ſuperiſq. ereboq. verenda
Maieſtate grauis; medios tenet obuius enſes
Tantus honor, tantæ floreſcit gloria laurus.
Fœlix ſorte tua es, roſea cui ſanguinis vnda
Stelliferas nutrire roſas, ſertumq. coronæ
Immortale datur. ſocio me credere bello
Quid renuis? comitemq. atris præludere pœnis,
Et caſus agitare tuos, mortemq. vocantem?

An

An tu ſydereis poſt victa pericula templis
Speraſti ſolus meritos inferre triumphos?
Vt me luctus atrox, lacrymæq. & ad intima lapſus
Figat mille dolor mucronibus aſper acutis.
Viximus, vt caro pereat cum coniuge coniux;
Fœdera connubij, fidæq. id curat amantis
Intemerata fides, & non violabile votum.
Aut, melius, ſi mentem optas explere volentem,
Da mihi ferre tuos in membra vicaria nexus,
Ponderaq. & ſtricta Chalybum compage catenas;
Eripe te morti, & tantas mihi conijce flammas.
Non mea fœminei ſubeunt in corda pauores,
Carnifices tenerum nec adacto vulnere pectus
Horrificant. hic eſt animus, quem nulla coercent
Supplicia, & fragiles odi, queis deprimor, artus,
Quæq. lenem terrena grauant contagia mentem.
Ergo faces enſeſq. voco, crudelibus armis
Spontè cadam; tuque innocua mea tempora vitæ
Viue precor, poſt care tuos quàm vixeris annos.
Interea Cœloq. fruar, ſedeſq. parabo,
Teq. olim accipiam, paribuſq. locabere tectis.
Audijt illacrymans Adrianus: & ò mihi, dixit,
Quid tentas auferre manu diademata coniux?
Atq. aliena tuos furtim traducere crines?
Non equidem moriar, dum rapto ſanguinis oſtro
Purpurat, æternos & mors mihi nobilis annos
Inchoat; illa dies ò fulgeat: illa ſereno
Sole nitens, profugns longè quæ dequutit vmbras.

Hac ſub luce viret bellorum æterna meorum
Laurea: puniceiſq. rigat ſtellata roſetis
Germina defoſſo manat qui corpore ſanguis.
Qualis io explebit mentem, ſemperq. voluptas
Paſcet inexpletam? non deficientibus vndis
Flumina cum voluent hilares torrentia riſus?
Dulciaq. vberibus decurrent gaudia campis?
Exulat vnde dolor, luctuſq. & dira malorum
Agmina præcipitant: & mors penetralia vitæ,
Tectaq. ſollicitæ fugiunt adamantina curæ,
Quis queritur breuibus pœnis manſura bonorum
Pondera, & auguſtos Cœlo ſibi ponere faſces?
Pondera quin potius ferri grauiora Tyrannus
Aggerat? & tota reparant incendia ſyluæ?
Non animum terrere faces, non ferrea mortis
Ora valent: Rupem veluti, circumq. ſonantes
Hyberni ſcopulos contunditur ira profundi:
Sic vincenda aderunt tormenta, feruſq. ſatelles
Seu violet flammis, fodiat ſeu corpora telis.
Non premitur mens nixa Deo. tuq. accipe cordis
Vota pater, propiorq. ingentibus annue cœptis.
Poſt feriant hoſtes; figent quot hiantia membris
Vulnera, tot pandes aurata per oſtia Cœlum.
Dixerat; & lacrymas oculis expreſſit amata
Coniugis. illa gemens duro dabat oſcula ferro,
Et largo humectat manicas, & robora riuo.
Aſt illam queſtus renouantem, & multa dolentem
Nexantemq. manu ſibi vincula, ſæuus ab antro

Summo-

Summouet intentans faſceſq. & verbera lictor.
Limine ſepoſito triſtes tum ſola querelas
Incendit magis; occluſis velut abdita caulis
Præreptum grauido flet mater ab vbere fœtum
Cuſpidis heu fixo laturum vulnera collo:
Sed gaudet, vicina virum tormenta ferentem
Quòd videt, ac primæ libantem pabula mortis.
Fortè dies aderat, campis Romanus apricis
Annua cùm patrio renouabat Equiria Marti,
Bellicus & dubia ſonipes pugnabat arena.
Quin Aſiæ gentes Tyberina exempla ſequutæ
Flectere præcipites aruis voluere quadrigas,
Moliriq. fugam, & Latij certamina curſus.
Tum quoq. laxatis hyemis iam victor habenis
Floriferos Zephyrus verſabat in æthere currus,
Veris & auratæ ſpargebat ſydera dextra.
Martius atque vnà tendens retinacula menſis
Lora docet domini roſeos audire iugales.
Tunc adeo impatiens irarũ ad templa Tyrannus
Iuſſerat antiquos Diui armipotentis honores
Cædibus augeri, ſterniq. indigna per vrbem
Corpora Chriſtiadum, ſpargiq. cruoribus aras.
Ergo vbi iam ſenſit delapſus ad vltima vitæ
Oſtia, iter cœcis ſecum meditatus in vmbris
Ire parat tacitus notas Adrianus in ædes,
Vt placitura tibi coniux ſolatia mortis
Præbeat, & ſecum ſpectanda ad funera ducat.
Iamq. auro victus iuueni fida agmina cuſtos

Addiderat, clauſiſq. virum dimiſerat antris.
Ibant ſecretam in noctem, currentia Coelo
Sydera cum prima nondum formidine lucis
Languida deficerent: rorantibus humida guttis
Nec dum cœleſtes Aurora extingueret ignes.
Emenſuſq viam fuſcis Adriane tenebris
Obſtructo patrios pulſabas limine poſtes.

Egerat inſomnes curas, totoq. ſoporam
Pectore tum coniux decuſſerat anxia noctem
Voluebatq. viros animo, vigilataq. dudum
Funera. cùm ſubitos percuſſo poſte fragores
Audijt: exclamatq. Meam nocturnus in ædem
Quis tentat vetitos aditus? fortiſſime coniux
Anne tuas aliquis cœdes mihi nuncius affert?
Quoſq. Deo fundis moriens Adriane cruores?
Num caſi exuuias, roſei num cimbia portas
Sanguinis? accede ò quiſquis gratiſſima dona
Expectate refers. Sic fatur & incita curſu
Ipſa manu impulſis apparet læta feneſtris.
At iuuenis, quem longa mora diſpendia turbant,
Pande fores inquit, coniux: dimiſſus acerbis
Carus adeſt vinclis Adrianus, & aurea portat
Munera. miratur dubitans, tum Diua loquentem
Vlterius non paſſa loqui: Tu nè inquit amati
Coniugis ora geris? fictaq. in imagine lingua
Perfide fœmineos ſperaſti fallere ſenſus?
At non ille ſuos diffracta compede nexus,
Carceris horrificas pauidus non ille cauernas
Deſer-

Deſeruit, quas ſponte ſubit, regiſq. ſecures
In ſua colla vocat, mortemq. paciſcitur aſtris.
Tu teris aratos vectes? tu ferrea vincla
Vane fugis? procul hinc coluber, ſeu nata Megœra
Bellua mortales imitaris callida voces:
Aut liquidas illa funeſtior inficis auras.
Anne etiam fœdis figes mea corda venenis?
Dixerat amotura gradus. Sed limine clauſo
Iurgia dilectæ qui concedenda puellæ
Iraſq. erroreſq. pios Adriane gemebas
Faris: At ò coniux, pars ò fidiſſima noſtri,
Crede, alius non ora tulit mentita per umbras:
verus adeſt, ſemperq. tuus, neq. vincula rupit
Vincla Adrianus amat, fortiſq. auet ire per omnes
Spectatum lætata comes cum venerit, enſes.
Audierat coniux, cœcaq. in nocte loquentem
Agnouit; iuſtas tum verò exarſit in iras,
Atq. ait indignata virum: Quæ gaudia narras?
Deſertæ ſpectanda mihi quæ vulnera mortis?
Non pudet imbelles trepidis horroribus artus
Tutari, fragilemq. metu defendere vitam?
Et nunc tela vocat, fugiens nunc ibit in enſes,
Nunc moriens noſtræ ſimulat ſuccurrere vitæ;
Quippe leuis me cura grauat: cupioq. videri
Per cineres fulgere tuos, ò dira furentis
Somnia, funeſtamq. atra formidine noctem.
Non memoras quæ vota Deo? promiſſa loquenti
Quæ mihi iuſta dabas? ſuperis quæ ſerta ferebas?

Quo vigor æthereus ? quo non violanda receſſit
Spes animæ? quo lapſus amor? iurataq. Cœlo
Pridem ſancta fides, & inexuperabile robur?
Sic tormenta fugis ? pauidus ſic vulnera quæris?
Ludere carnifices , fortiſq. exoluere nexus?
Heu miſer, & flammis longùm periture profundis
Nonnè vides, tremefacta ſinus vt terra patentes,
Infernos aperit vaſta caligine campos ?
Et fremit iratum ſtridenti fulmine Cœlum ?
Diuinuſq. ſonat ſupra furor ? oſtia noſtra
Linque domus, ne me pariter tuus obruat ignis:
Aut ego prorumpam, rapidoq. celerrima curſu
Intrudam me me deſerti in carceris vmbras,
Et rapiam palmas obſcura per antra latentes ,
Quas fugis infœlix, proiectaq. vincula nectunt.
Vix ea, præcipiti cum per cœnacula greſſu
Atria nota petit, clauſoſq. in limine poſtes.
Tuque Adriane nouas agitans mœſtiſſime curas,
Cui nondum iratæ mens explorata puellæ,
Voluebas animo interea , num ferrea pulſu
Oſtia tentares iterum : moriture ſubires ,
Carceris an ſedes iterum ; Natalia motis
Excuſſit cum clauſtra ſeris, biforeſq. ſonanti
Cardine laxauit portas : tum diua parabat
Maturare gradus ; ſtimulis ſed concitus heros
Quo mihi pergis? ait, tuque incomitata cruentum
Limen adis ? Adſum ecce prior, nec vana timentē
Argueris, mediaq. virum iam morte natantem.

Hinc metus omnis abeſt:greſſus at verte fugaces.
Criminis expertem, & turpi ſine labe nocentem
Quid facis ipſe nocens, veni rediturus ad ignes,
Et redeo anteuolans, neq. verba nouiſſima reddo.
Mouerunt ea dicta animos, ſanctaſq. repreſſit
Diua minas, iraſq. virum complexa remiſit:
Atque ait, Haud verbis opus eſt, ſi vulnera portas;
Hæc mihi cara magis, iamq. ò ſi noſter amantem
Vltro impellit amor, poſitis te redde catenis,
Sanguineas i, quære domos, ſedeſq. relictas.
Sic fatur, lacrymiſq. ſinus perfuſa madentes
Irrorat, fluit & lacrymis Adrianus obortis,
Miſtaq. ſecretas pulſabant gaudia mentes:
Tum ſimul occluſi ſubeunt penetralia tecti.
Nunc mihi ſupremos doceat quis texere cantus?
Atque opifex melior numeros, & carmina fingat?
Ne magnas tenui minuam teſtudine laudes.
Poſtquam ſe cara comitatus coniuge pœnis
Reddidit, atq. iterum vinclis Adrianus acerbis;
Adfuit atra dies, tumidos qua ſanguinis amnes
Innumeræ ſtratis coedes aluere cateruis,
Frigidaq. in calido tepuere cadauera fluctu.
Iamq. ibat damnata cohors, properantq. ruuntq.
Vndique ciuiles dura ad ſpectacula turmæ.
Euolat ante alios coniux, ſæuumq. per agmen
Sternite me, clamat, meritamq. abſumite ferro
Carnifices: coniux ego ſum, nonne apta ſecuri?
Cædite, vterq. nocens pereat, ſi pura nocentem
Fecit

Fecit Relligio, & ſancta Pietatis amores.
Plura loquutura vox deficit; ipſe loquentem
Quippe manu remouet lictor: nudataq. membra
Iam ferro cadenda dabas Adriane: frementes
Tum vero illa magis fletuq. & vocibus vrget.
At ſinite amplexus, lacrymaſq. atq. vltima forti
Reddere dona viro, lethumq. ornare cadenti.
Sic ait, ac turmis aciem perrupit apertis.
Pulpita roboreis ſurgebant ardua tignis,
Quò moritura manus placido lætiſſima vultu
Aſcendit, vincliſq. forum reſonabat ahenis.
Primus & ante alios truncandis aſpera membris
Robora, quæ medio aſtabant, Adriane tenebas:
Acceſſitq. viro coniux riſuque ſalutans,
Nunc mihi pone metus fortunatiſſime coniux,
Dixit: Serta vides ſtellantibus orta viretis,
Quæ manus aligerum Cœlo contexit aperto.
Fulminet enſe ferox, & ſcindat corpora lictor,
Sydera tot figet, quot vulnera ſumpſerat artus
Interea, & dextram dextra, duroq. locarat
Stipite. iamq. manum lictor ſecat; illa ſiniſtram
Aptabat trunco, vulnuſq. optare iubebat,
Ne teli horreret rabiem, ne falleret ictus.
Et iam trunca viro gaudenti brachia miles
Iamq. pedes ambos, direptaq. crura bipenni
Abſcidit. ipſa regit famulatrix membra beato
Diua miniſterio, mox & populata recondit
Membra ſinu, tepidi quem perluit vnda cruoris;

Parce-

Parcebat lacrymis, dum ſanguinis imbre fluebat.
Ipſe quidem iuuenis lauroq. oſtroq decoram,
Deficiens animam meritis immiſerat aſtris:
Illa artus complexa, velut manſura triumphi
Gaudia ſpectaret Cœlo, gratatur honores
Sydereos, meritumq. iubar. Sic funere tanto
Fœlices habitura dies: mœrenſq. viciſſim,
Ac ſimul infoelix, vitæ quòd diſtinet annos,
Nec dilecta tulit parilem per vulnera mortem,

S. IGNATII LOIOLAE ſtudiorum cauſa Lutetiam euntis Aquitanum Iter.

IX.

Accipe ab Hiſpanis venientem Gallia terris,
Et iuuenem facili Loiolam amplectere vultu
Si tibi bellantum genitrix foecunda virorũ
Exercere placet rigidi certamina Martis,
En bellator adeſt generoſis Cantaber armis.
Si placet occultis cuneos incendere flammis,
Scindere & hoſtiles per clauſa incendia muros:
Ecce ferens animo ſuperos Ignatius ignes

Diſſipat,

Diſſipat, obſtructas aut fulmine deuorat vrbes.
Quod ſi tranquillæ ſtudijs incumbere vitæ,
Paciferaſq. iuuat populis componere leges:
Optat & hic doctis animum verſare camoenis,
Naturæq. ſinus penitus tentare latentes,
Et ſacra diuinis oracula voluere chartis.
Tuq. renaſcentis tecum lux aurea ſecli
Perge tuos Hoſpes vertunt quò numina greſſus.
Te modò foelicis ducentem ſtamina vitæ
Accipit: at Coeli cum poſt aſcenderis axem
Gregorios ſupplex adducet Gallia Patres
Vt Tybris meritos aris tibi ponat honores.
Iam Pyrenæas greſſu tranſcenderat arces
Loiola accelerans, latis quà Gallia campis
Spargit Aquitanas numeroſa per oppida gentes;
Et iam Sol nemeos ardens ad frena Leones
Egerat, & magnis rugitibus aſtra fugabat:
At contra obuerſus latranti Syrius ore
Terrebat calido reduces oriente iugales:
Et repetebat iter per florea prata viator,
Quærebatq. tuos antiqua Lutetia muros.
Cùm ſubitò ante oculos ſeſe obtulit ipſa videndam
Cæruleos dederat famulus cui Sequana currus
Alipedeſq. iugis coniuxerat. illa volantem
Ante inuecta notum tumido pulcherrima faſtu
Regaleſq. habitus, & Amazonis arma gerebat.
Dextra micat ſceptro populis elata regendis
Leua gerit tonitru, volucres & fulminis alas:

Ante

Ante pedes pictis fulgebat caſſida criſtis
Aurea, tùm niueas intexunt lilia veſtes:
Splendet inaurato velatum tegmine pectus.
Ipſa ſuperducta crines redimita corona
Ore videbatur dubijs oracula terris
Fundere, ceu doctis ſapiens auditus Athenis
Quondam & Cecropia ſonuit facundia lingua.
Reſtitit, vt faciem ignotam, fulgentiaq. arma
Aſpexit Loiola; ſed illa affata morantem
Quid dubitas, inquit, perge ò mea fida voluptas
Et noua ſpes hominum, & ſecli melioris origo.
Si petis eloquium, & docta decora alta Palaſtra
Ecce tibi antiquis exculta Luteria chartis
Euoluam quæcumq. patres docuere per omnes
Argiuumq. Italumq. plagas: clamoſa Lycoei
Porticus alternis ſapientum vocibus olim
Quæcumq. ingeminat: roſeis quod amoena viretis
Xyſtus, & vmbroſa docuit nemoralis arena:
Diſcordiq. ſonant vocales gymnade ſedes.
At mox, quæ tacitos coeleſti numine ſenſus
Implebunt, teſtata Deum monumenta loquentem,
Magnarumq. tibi pandam miracula rerum,
Quin etiam ſocios delecto ex ordine patres
Ipſa tibi aſcribam; tu mox egreſſus in omnes
Vndarum terræq. plagas ſocia agmina mittes.
Excurrent alij gelidos Aquilonis ad ortus,
Eoas alij gentes, aduerſaq. Solis
Occidui ſecreta petent, lucemq. cadentem

Et

Et totum ſacris cogent ſub legibus orbem.
At tu iam noſtris ſuccedere moenibus hoſpes
Accelera ; dudum placido te Sequana fluctu
In ſua regna ciet, ſparſiſq. remurmurat vndis.
Sic ait, & liquidis fugiens ſe condidit auris.
Ille autem attollens vocemq. & lumina Coelo :
Quæ mihi das Genitor, ſequor omina, dixit: amantem
Quæ mora ? quis poterit coeptis arcere volentem ?
Durus vbiq. labor ; labor adſit, & obuia frangat
Pectora; Palladijs nil eſt conſumere curis,
Diſcentemq. dies, vigilantem & fallere noctes .
Me maiora manent, duc ô per tela, per hoſtes,
Si quid atrox terris, per ſi quid regnat auernis,
Spontè ſequar ; totis ſtat me me inferre periclis,
Vt mecum iuſtæ niteant per Sydera palmæ.
Sic fatus repetebat iter, feſſuſq. viarum
Sublimem intrabat turritis moenibus vrbem .
Claudit Aquitanas extremis finibus oras
Burdigala & claros ſeruat tutiſſima Ciues ,
Vndarum ingenti quam circum mole Garumna
Voluitur, & rapido fertur latiſſimus amne .
Vrbs equidé (quamquam Pelagi ſpumantia longe
Littora, & vndoſas Aquilonibus aſpicit iras ,
Atq. interiectis Pontum ſecludit arenis)
Aequora vbi aut ventis, Lunæue impulſa proteruis
Cornibus, atq. imis iterum defuſa cauernis
Lympha recurrenti conuerſa reciprocat æſtu ;

Ærijs

Aerijs ſpectat ſubiectas mœnibus vndas,
It pelagus, ventoq. fremens, ſpumiſq. recandens
Obſtantes pulſat ſcopulos, terraq. ruinas
Horrificis meditatur aquis: tum littora frangens
Saxa ſuperiectos propellit in ardua fluctus
Et dominam muris alliſam verberat vrbem;
Illa reuertentes ridet ſecura tumultus.
Tunc quoq. lunatos quæ ſeruant carbaſa portus
Et quæ longinquo venerunt littore puppes
Naufraga damna timent; quãuis ſe curua tumẽti
Attollat moles fluuio, ſaxoq. perenni
Frangat & audaces erecta fronte procellas.
Nec minus & geminæ perituris hoſtibus arces
Obijciunt ſeſe: ſtant propugnacula circùm
Et flammas aerata vomit baliſta tonantes.
Quid dicam auguſtos proceres, lectiſſimæ Patrum
Concilia, & populi turmas, ſeu clara ſuperbis
Atria porticibus, ſeu tecta minantia Cœlo?
Venerat huc, lætamq. ſubit nouus Hoſpes in vbem
Templa petens, ſtabili cãdent quæ marmore tẽpla.
Atq. vbi placarat placituris numina votis
Solus inops quærebat opem, ſi fortè per vrbem
Exiguam Cererem miſeræ mala cruſtula cænæ
Cogeret, ac puram labris ſitientibus vndam.
Et iam ſucceſſit medio, quò fluxerat omnis
Turba foro, mirata noui ſpectacula ſaxi.
Namq. inter veterum moles, egeſtaq. templi
Rudera marmoreos lapides, tabulaq. ſepultas

Exuuias

Exuuias magno populi clamore ferebant,
Et ſcriptum ingenti viuebat marmore carmen;
Antiquæ ſecreta notans oracula linguæ.
Ipſe ferebatur digito ſcripſiſſe magiſtro
Clarus auis quondam Paulinus & arte loquendi
Cui faſces dederat Tyberis, latiamq. curulem.
Ille autem poſtquam trabeatus Romula Conſul
Regna fori, plauſumq. tulit: populiq. ſequentes
Attonitis traxit cuneos facundia roſtris,
Inuiſit foecunda tuas Campania terras,
Iuraq. chalcidicæ poſuit gratiſſima Nolæ
Sacra regens; exul venerabilis vnde Tyrannos
Vandalicos, Libyamq. adijt, Mauroſq. calentes,
Vt patrias iret iuuenis captiuus ad oras.
Ille igitur magno Princeps cum tecta teneret
Gallica ſeruitio, gemmiſq. opulentus & auro
Primùm caſta Deo ſacraret tempora vitæ,
Arcano inſcripſit candentia marmora verſu,
Sculptaq. tranſmiſit populis monumenta futuris.
Hæc dum turba legit, ſcriptiſq. ignara legendo
Hærebat penitus, veniens pius adfuit hoſpes,
Aduertitq. oculos tabulis Loiola vetuſtis.
Qui carmen legis hoc ſuperis gratiſſimus hoſpes
Perge, vocant quò te pia numina; Gallia foelix
Carmine te fauſto, ſocioſq. amplexa vocatos
Et quondam parili ſeruabit lege nepotes.
Adueniet (propiuſq. mouent iam ſecula curſum)
Cum Patris auguſti Rex mentem & vota ſecutus

Ipſe tuam faſces ſubmittere pronus ad aram.
Agnoſco Ludouice tuam, ſeu lumine pacis:
Seu belli medio fulgentem fulmine dextram.
Tu quoque pugnantem contra proſternere Gallum
Indomitumq tuis poteris ſubmittere frenis.
Vnde Garumna fremit? tumidis aut fluctuat armis?
Clauſaq. littoreos agitat Rupella furores?
Ecce ab Aquitanis ſurgit noua laurea campis,
Et palmæ prognatus honor. Tu moenia franges,
Prælia tu defecta potens, populoſq. rebelles
Ire catenatos, & ſigna inimica videbis,
Diuorum æternis affixaq. poſtibus aræ.
Tum victor conuerte acies. iam ſternere Thracem
Tempus erit: Lunas ſcindi cum regna bicornes
Bizantina gement, totiſq. iacentia campis
Corpora, & infectos Othomano ſanguine fluctus.
Tuq. hoſpes qui verba legis cum ſydera quondam
Calcabis, magniq. teres penetrale Tonantis,
Tum Coeli per templa memor generiſq. Duciſq.
Bellanti pugnans aderis, plenaq. rependes
Dona manu, Regem ſemperq. tuebere cuſtos.
Et tu deſertis modo formidatus in armis
Aſpera defenſas geſſiſti bella per arces,
Nunc Furias contra, doctas legis arma per artes.
Legerat hæc hoſpes venturaq. facta notabat.

IGNATIVS E GALLIA diſcedens in Palęſtinam bello diſtinetur.

X.

TV quoq. Iordanis liquida formoſior vnda
Iam gratus ſuperis magno veherere triũpho
Ni viuant veteres diuis memorantibus iræ.
Ecce ſubit pennis ventorum elatus, & orbes
Sydereos Loiola tenet: Comitantur euntem
Gaudentum captiua acies, quas ille per omnes
Cœlo perdomuit terras; tamen auia pompæ
Nulla Palæſtinæ venit ſub imagine Tellus.
Vocibus at comites lætis, plauſuq. ſequuntur.
O decus Hiſpanis, Italis decus addite regnis
Victor ades, terræ ſpolijs ornatus opimis.
Te patrijs decorat generoſus Cantaber aruis
Et clara occiduos ſubmiſit Iberia colles:
Te quoq. liliferis miratur Gallia campis,
Italiæq. omnes vtroq. ab littore gentes.
Tu domiti per & alta maris, per & vltima ſaxa
Frigore quà Boreas, Auſter quà ſibilat æſtu
Victrices das ire manus, geminoq. volantes

Oceano

Oceano puppes, & fortibus agmina ſignis:
Sola tuis quondam ſocijs ſeruatur Idume.
Serta tamen propiora vid's, atque addita votis
Venit Palma tuis: palmam tibi vertice toto
Prona ſuperductis intexuit Acra corymbis.
Hæc adeo memorant, interq. nitentia lapſu
Sidera ſuccedunt medio ſpectacula Cœlo.
Sed mihi nunc alius rerum deducitur ordo,
Et facti cauſa & prima exordia dicam.
Iam dudum Hiſpanis veniente acceperat aruis
Loiolam terno venerata Lutetia muro.
Illum porticibus vacuis, & Palladis arce
Aſtantem, & ſocios animantem ad bella coactos
Cura manet, redienſq. nouis circumuolat alis,
Quod Solymæ periura fides, & vindice nullo
Sacra quod Auguſto ceſſarint vota ſepulchro:
Impiaq. infames per templa reſuſcitet ignes (mis.
Dirus Arabs, dominiſq. fremens Othomanius ar-
Ergo actus ſtimulis, ſocioſq. affatus, & ardens
Igne ſuo: O ſocij, inclamat, mihi fœdere iunxit
Quos longo Pietas: mundiq. cadentis amores,
Sat nobis, animoq. datum; quid dura vocantes
Prælia pro patrijs remoratur Gallia Celtis?
Inuitat Solymæ quondam gratiſſima Cœlo
Terra: neq. immenſo ridet magis angulus orbi.
Hæc Lauri, Palmæq. ferax trans æquora vectos
Victores vocat, & magni ſpe ducet honoris.
Nullus ab hoſte metus: ſibi fortia pectora finget

Et totus cordi dabitur Deus. ò ego quondam
Qualis eram, tumidis pelagi cum creditus auris
Prima Palæſtinæ tangebam littora terræ.
Illic Bethlemij teneræ incunabula partus,
Atq. impleta olim puerilibus antra querelis,
Hic puer arriſit maternis ore papillis,
Hic ſtetit ante aras, hic flumine merſus amoeno
Attactu ſacrauit aquas: hic pendula, fixus
(Heu crudele nefas) dedit alto corpora ligno.
Quantus inaſpecto præcordia ad intima lapſu
Ardor ijt, molliſq. animam populauit amantem
Syderea fax miſſa manu: vos ò mihi teſtes
Et nemorum valles, oleiſq. virentia ſancto
Roſida prata iugo: quæq. ipſe nitentia Templa
Spectaui gaudens, iterumq. iterumq. reuiſi.
Tunc me barbarici temnentem vulnera ferri
Atq. ignota feras reuocantem ad ſydera gentes
Non vllus vanis implere timoribus: aut ſe
Turbare ardentem ſtimulis iactaſſet amaris.
Ergo ad fœlices populos properantibus alnis
Ibimus, & noſtræ venerabimur oſtia vitæ:
Primus ego (ac tanti ſiqua eſt ea gratia facti,
Audiat ò Cœlo votum Pater) Inuia ſaxa
Primus ego & cautes, & ſquallida ſentibus arua
Et montes, valleſq. cauas, atq. antra ferarum
Scrutabor, raptoſq. animos ad ſydera ducam.
Voſq. ſubite operi, paribuſq. accingite votis.
Sit ait impellitq. viros, iuuat ire per omnes

Terra-

Terrarum, Pelagiq. vias, iuuat aſpera corda
Flectere: tum ſacris ſuccenſus ab ignibus ora
Monſtrat iter, celeranſq. gradu præuertitur omnes.
Ceu quondam longo flammarum incendia tractu
Iſacidis fecere vias, noctemq. volantem
Exploratores videre è nubibus ignes.
Iamq. adeo portas egreſſi, vrbemq. potentem
Feſtinant Italis veſtigia ponere terris.
Moxq. tumeſcentes in carbaſa cogere ventos
Adriaci per vaſta maris: quàq. alluit æſtus
Phæaces Corcyra tuos, & Cypria Regna,
Ac fortunatis Solymæ requieſcere campis.
Interea vario miſceri Regna tumultu,
Vndantiq. fretis crebreſcere ſanguine bella:
Et iam littoreo religantur ab aggere puppes,
Nec ſulcata fremunt luctantibus æquora Nautis.
Bella canit Solymanus atrox, Lunaq. bicorni
Mouit aquas; non ille, alti quòd fregerit Iſtri
Cornua, quod rigidas Belgradi irruperit arces,
Contentus, quod claſſe fretis, quodq. arduus aruis
Imminet Hungariæ, miſeramq. ac mæſta gementē
Funera Marte Rhodū, Solymæq. oppreſſerit arma;
Italiam ferus inclamat, Venetoſq. per vndas
Irritat parili ſurgentes ore Leones.
Et iam Lunatas acies trans Theſſala Tempe
Epiriq. arces deiectaq. fulmine ſaxa
Ad campos Epidamne tuos, & littoris oras
Duxerat. Attonitus montanis Dalmata terris

Adriaciq. ſinus bellatoreſq. Liburni
Et procul ingentes expauit Apulia *Thraces.*
I*nde Ariadenus, qui diuitis oppida Cirthæ*
Inſignis bello patria ſub lege premebat,
Et puppes Solymane tuas, numeroſaq. ponto
Helleſpontiacis reuehit naualia ſignis:
Claſſe ruit valida; tremuit Lunata Zacynthus
Vela, Cephalenum latuere per æquora cautes.
I*lle per* I*onium Superi ſubit oſtia ponti*
Illyricis inuectus aquis; Solymanus obumbrat
Littora: vterq. armis terraq. mariq. coruſcat.
Cæſar abeſt, dubioq. vocat certamine Gallos.
P*rima gemit, primo ſed inermis* Apulia *bello*
Proxima. perrumpunt arces: captiua carinas
Turba replet: paſſim fruges, & pinguibus aruis
Armenta, & lætas populant incendia terras.
Verum vbi congreſſæ pinus, & Marte ſiniſtro
Turca per & fluctus, actoſq. triremibus ignes
Sternitur, atq. fremit Venetus, fremit A*uria contra*
P*rædaq. Trinacrias Othomania venit ad vrbes;*
Tum vero ardentem furijs mouet ira Tyrannum,
Corcyram Solimane vocas. huc pinea Moles
Huc pedites, equiteſq. ruunt, geminumq. minatur
Hinc grauibus roſtris, campoq. hinc agmen aperto.
Tutus at aërijs montano è culmine muris
Spectabat Venetus, rigidaq. in rupe latebat.
Turca faces, & ſaxa rotat: volat ærea glandis
Sulphureoq. tonans fœdam dedit igne ruinam.

Inde

Inde vbi iam Cæſar, iam fœdere Roma coacto
Imminet, & ſcopulos fruſtra ferit: effugit vndas
Barbarus. Hæc inter Venetam delatus in vrbem
Quid faceret curſu pelagi deluſus inani?
Et fruſtra aſpectans vetitas Ignatius vndas?
Sol quoq. biſſenos impleuerat ordine menſes?
Atq. dies iterum ſtringebat bruma niuales,
Nec ſpes vlla manet veneto conuellere funem
Littore. Sollicitus fragili committere cymbæ
Ah quoties, quoties voluit ſine remige paruam
Ipſe Gubernator propellere fluctibus alnum.
Nec tamen æquoreis longùm terit otia tectis.
Iam luſtrare domos, ſtratis vbi tabida lectis
Membra lues, gelidæq. legens noua pabula morti,
Ipſa prior calidos febris depaſcitur artus:
Atque inclinatæ ſerus decedere nocti.
Iam populos ad templa vocat, iam vocibus altis
Vulgus iners, medioq. foro, perq. ipſa domorum
Limina, perq. vias ſacro nouus increpat hoſpes
Eloquio. atque animos Cœlo conuertit inertes.
At neq. dicentem, nec peſtibus ægra leuantem
Corpora, cura leuat; Remeans magis æſtuat alto
Corde, neq. inſomnem refugit, nec lucida circum
Sydera ſeruantem, longaq. in nocte gementem.
At fruſtra Loiola, tuus te concitat ardor
Ire Palæſtinam, populoſq. intrare negatos.
Cerne aliò diuerſa vocant, & Numina longe
Antiquo infeſtam ſcelere indignantur Idumen:

[illegible] Patruum,
[illegible] ida, nec ignes
[illegible] armis
[illegible].
[illegible]
[illegible]
[illegible],
[illegible],
[illegible].
[illegible],
[illegible] Tigrim,
[illegible].
[illegible]
[illegible] triumphos
[illegible]:
[illegible] furores
[illegible].
[illegible] tremenda
[illegible] Nepotes,
[illegible].
[illegible]
[illegible]
[illegible].
[illegible]
[illegible]
[illegible].

FRAN-

S. FRANCISCVS XAVERIVS Crucis Icunculam mari abſorptam vectore Cancro recuperat.

X I.

Sola per Oceanum tumidis intacta procellis
Puppis abit, quæ Xauerium concordibus auris
Sæpius extremos remeantem vexit ad Indos.
Non aliter Cœlo pennis librata ſereno
It varias reditura vias, rurſumq. volucris
Signat iter, rurſumq. leues cita peruolat oras:
Vt reuolas Franciſce fretis, totieſq. recuſſis
Nerea frangis aquis, toties ſulcata profundi
Æquora commutas placidis ſecurus arenis.
Ipſi te quærunt Zephyri famulantibus alis,
Tritoneſq. vnàq. choors emiſſa marinis
Poſtibus, & vario plaudunt per cærula ſaltu.
At pater Oceanus muſcoſis pronus in antris
Sternit aquas; ille auguſtas tibi verticis algas
Obtulit, ille tuum veneratur murmure nomen:
Nomen adorantes reſponſant murmure fluctus.
Nec tamen audaces quondam ceſſere procellæ,

Quas

Fecit Relligio, & ſancta Pietatis amores.
Plura loquutura vox deficit; ipſe loquentem
Quippe manu remouet lictor: nudataq. membra
Iam ferro cadenda dabas Adriane: frementes
Tum vero illa magis fletuq. & vocibus vrget.
At ſinite amplexus, lacrymaſq. atq. vltima forti
Reddere dona viro, lethumq. ornare cadenti.
Sic ait, ac turmis aciem perrupit apertis.
Pulpita roboreis ſurgebant ardua tignis,
Quò moritura manus placido lætiſſima vultu
Aſcendit, vincliſq. forum reſonabat ahenis.
Primus & ante alios truncandis aſpera membris
Robora, quæ medio aſtabant, Adriane tenebas:
Acceſſitq. viro coniux riſuque ſalutans,
Nunc mihi pone metus fortunatiſſime coniux,
Dixit: Serta vides ſtellantibus orta viretis,
Quæ manus aligerum Cœlo contexit aperto.
Fulminet enſe ferox, & ſcindat corpora lictor,
Sydera tot figet, quot vulnera ſumpſerat artus
Interea, & dextram dextra, duroq. locarat
Stipite. iamq. manum lictor ſecat; illa ſiniſtram
Aptabat trunco, vulnuſq. optare iubebat,
Ne teli horreret rabiem. ne falleret ictus.
Et iam trunca viro gaudenti brachia miles
Iamq. pedes ambos, direptaq. crura bipenni
Abſcidit. ipſa regit famulatrix membra beato
Diua miniſterio, mox & populata recondit
Membra ſinu, tepidi quem perluit vnda cruoris;

Parce-

Parcebat lacrymis, dum ſanguinis imbre fluebat.
Ipſe quidem iuuenis lauroq. oſtroq decoram ,
Deficiens animam meritis immiſerat aſtris :
Illa artus complexa, velut manſura triumphi
Gaudia ſpectaret Cœlo, gratatur honores
Sydereos, meritumq. iubar . Sic funere tanto
Fœlices habitura dies: moerenſq. viciſſim,
Ac ſimul infoelix, vitæ quòd diſtinet annos,
Nec dilecta tulit parilem per vulnera mortem ,

S. IGNATII LOIOLAE ſtudiorum cauſa Lutetiam euntis Aquitanum Iter.

I X.

ACcipe ab Hiſpanis venientem Gallia terris ,
Et iuuenem facili Loiolam amplectere vultu
Si tibi bellantum genitrix foecunda virorũ
Exercere placet rigidi certamina Martis ,
En bellator adeſt generoſis Cantaber armis .
Si placet occultis cuneos incendere flammis,
Scindere & hoſtiles per clauſa incendia muros:
Ecce ferens animo ſuperos Ignatius ignes
Diſſipat,

Diſſipat, obſtructas aut fulmine deuorat vrbes.
Quod ſi tranquillæ ſtudijs incumbere vitæ,
Paciferaſq. iuuat populis componere leges:
Optat & hic doctis animum verſare camoenis,
Naturæq. ſinus penitus tentare latentes,
Et ſacra diuinis oracula voluere chartis.
Tuq. renaſcentis tecum lux aurea ſecli
Perge tuos Hoſpes vertunt quò numina greſſus.
Te modò foelicis ducentem ſtamina vitæ
Accipit: at Coeli cum poſt aſcenderis axem
Gregorios ſupplex adducet Gallia Patres,
Vt Tybris meritos aris tibi ponat honores.

Iam Pyrenæas greſſu tranſcenderat arces
Loiola accelerans, latis quà Gallia campis
Spargit Aquitanas numeroſa per oppida gentes;
Et iam Sol nemeos ardens ad frena Leones
Egerat, & magnis rugitibus aſtra fugabat:
At contra obuerſus latranti Syrius ore
Terrebat calido reduces oriente iugales:
Et repetebat iter per florea prata viator,
Quærebatq. tuos antiqua Lutetia muros.
Cùm ſubitò ante oculos ſeſe obtulit ipſa videndam
Cæruleos dederat famulus cui Sequana currus
Alipedeſq. iugis coniuxerat. illa volantem
Ante inuecta notum tumido pulcherrima faſtu
Regaleſq. habitus, & Amazonis arma gerebat.
Dextra micat ſceptro populis elata regendis
Læua gerit tonitru, volucres & fulminis alas:

Ante pedes pictis fulgebat caſſida criſtis
Aurea, tùm niueas intexunt lilia veſtes:
Splendet inaurato velatum tegmine pectus.
Ipſa ſuperducta crines redimita corona
Ore videbatur dubijs oracula terris
Fundere, ceu doctis ſapiens auditus Athenis
Quondam & Cecropia ſonuit facundia lingua.
Reſtitit, vt faciem ignotam, fulgentiaq. arma
Aſpexit Loiola; ſed illa affata morantem
Quid dubitas, inquit, perge ò mea fida voluptas
Et noua ſpes hominum, & ſecli melioris origo.
Si petis eloquium, & docta decora alta Palaſtra
Ecce tibi antiquis exculta Luteria chartis
Euoluam quacumq. patres docuere per omnes
Argiuumq. Italumq. plagas: clamoſa Lycoei
Porticus alternis ſapientum vocibus olim
Quacumq. ingeminat: roſeis quod amoena viretis
Xyſtus, & vmbroſa docuit nemoralis arena:
Diſcordiq. ſonant vocales gymnade ſedes.
At mox, qua tacitos coeleſti numine ſenſus
Implebunt, teſtata Deum *monumenta loquentem,*
Magnarumq. tibi pandam miracula rerum,
Quin etiam ſocios delecto ex ordine patres
Ipſa tibi aſcribam; tu mox egreſſus in omnes
Vndarum terraq. plagas ſocia agmina mittes.
Excurrent alij gelidos Aquilonis ad ortus,
Eoas alij gentes, aduerſaq. Soli:
Occidui ſecreta petent, lucemq. cadentem

Et

Et totum ſacris cogent ſub legibus orbem.
At tu iam noſtris ſuccedere moenibus hoſpes
Accelera ; dudum placido te Sequana fluctu
In ſua regna ciet, ſparſiſq. remurmurat vndis.
Sic ait, & liquidis fugiens ſe condidit auris.
Ille autem attollens vocemq. & lumina Coelo :
Quæ mihi das Genitor, ſequor omina, dixit: amantem
Quæ mora ? quis poterit coeptis arcere volentem ?
Durus vbiq. labor ; labor adſit, & obuia frangat
Pectora; Palladijs nil eſt conſumere curis,
Diſcentemq. dies, vigilantem & fallere noctes .
Me maiora manent, duc ô per tela, per hoſtes,
Si quid atrox terris ; per ſi quid regnat auernis,
Spontè ſequar ; totis ſtat me me inferre periclis,
Vt mecum iuſtæ niteant per Sydera palmæ.
Sic fatus repetebat iter, feſſuq. viarum
Sublimem intrabat turritis moenibus vrbem .
Claudit Aquitanas extremis finibus oras
Burdigala & claros ſeruat tutiſſima Ciues ,
Vndarum ingenti quam circum mole Garumna
Voluitur, & rapido fertur latiſſimus amne .
Vrbs equidē (quamquam Pelagi ſpumantia longe
Littora, & vndoſas Aquilonibus aſpicit iras ,
Atq. interiectis Pontum ſecludit arenis)
Aequora vbi aut ventis, Lunæue impulſa proteruis
Cornibus, atq. imis iterum deſuſa cauernis
Lympha recurrenti conuerſa reciprocat æſtu ;

Ærijs

Aeriјs ſpectat ſubiectas mœnibus vndas,
It pelagus, ventoq. fremens, ſpumiſq. recandens
Obſtantes pulſat ſcopulos, terraq. ruinas
Horrificis meditatur aquis: tum littora frangens
Saxa ſuperiectos propellit in ardua fluctus
Et dominam muris alliſam verberat vrbem;
Illa reuertentes ridet ſecura tumultus.
Tunc quoq. lunatos quæ ſeruant carbaſa portus
Et quæ longinquo venerunt littore puppes
Naufraga damna timent; quãuis ſe curua tumẽti
Attollat moles fluuio, ſaxoq. perenni
Frangat & audaces erecta fronte procellas.
Nec minus & geminæ perituris hoſtibus arces
Obiјciunt ſeſe: ſtant propugnacula circùm
Et flammas aerata vomit baliſta tonantes.
Quid dicam auguſtos proceres, lectiſſima Patrum
Concilia, & populi turmas, ſeu clara ſuperbis
Atria porticibus, ſeu tecta minantia Cœlo?
Venerat huc, lætamq. ſubit nouus Hoſpes in vrbem
Templa petens, ſtabili cãdent quæ marmore tẽpla.
Atq. vbi placarat placituris numina votis
Solus inops quærebãt opem, ſi fortè per vrbem
Exiguam Cererem miſeræ mala cruſtula canæ
Cogeret, ac puram labris ſitientibus vndam.
Et iam ſucceſſit medio, quò fluxerat omnis
Turba foro, mirata noui ſpectacula ſaxi.
Namq. inter veterum moles, egeſtaq. templi
Rudera marmoreos lapides, tabulaq. ſepultas
Exuuias

Exuuias magno populi clamore ferebant,
Et ſcriptum ingenti viuebat marmore carmen;
Antiquæ ſecreta notans oracula linguæ.
Ipſe ferebatur digito ſcripſiſſe magiſtro
Clarus auis quondam Paulinus & arte loquendi
Cui faſces dederat Tyberis, latiamq. curulem.
Ille autem poſtquam trabeatus Romula Conſul.
Regna fori, plauſumq. tulit: populiq. ſequentes
Attonitis traxit cuneos facundia roſtris,
Inuiſit foecunda tuas Campania terras,
Iuraq. chalcidicæ poſuit gratiſſima Nolæ
Sacra regens;exul venerabilis vnde Tyrannos
Vandalicos, Libyamq. adijt, Mauroſq. calentes,
Vt patrias iret iuuenis captiuus ad oras.
Ille igitur magno Princeps cum tecta teneret
Gallica ſeruitio, gemmiſq. opulentus & auro
Primùm caſta Deo ſacraret tempora vitæ,
Arcano inſcripſit candentia marmora verſu,
Sculptaq. tranſmiſit populis monumenta futuris.
Hæc dum turba legit, ſcriptiſq. ignara legendo
Harebat penitus, veniens pius adfuit hoſpes,
Aduertitq. oculos tabulis Loiola vetuſtis.
Quiſ carmen legis hoc ſuperis gratiſſimus hoſpes
Perge, vocant quò te pia numina; Gallia foelix
Carmine te fauſto, ſocioſq. amplexa vocatos
Et quondam parili ſeruabit lege nepotes.
Adueniet (propiuſq. mouent iam ſecula curſum)
Cum Patris auguſti Rex mentem & vota ſecutus

Ipſe

Ipſe tuam faſces ſubmittere pronus ad aram.
Agnoſco Ludouice tuam, ſeu lumine pacis:
Seu belli medio fulgentem fulmine dextram.
Tu quoque pugnantem contra proſternere Gallum
Indomitumq tuis poteris ſubmittere frenis.
Vnde Garumna fremit? tumidis aut fluctuat armis?
Clauſaq. littoreos agitat Rupella furores?
Ecce ab Aquitanis ſurgit noua laurea campis,
Et palma prognatus honor. Tu moenia franges,
Prælia tu defecta potens, populoſq. rebelles
Ire catenatos, & ſigna inimica videbis,
Diuorum æternis affixaq. poſtibus æra.
Tum victor conuerte acies. iam ſternere Thracem
Tempus erit: Lunas ſcindi cum regna bicornes
Bizantina gement, totiſq. iacentia campis
Corpora, & infectos Othomano ſanguine fluctus.
Tuq. hoſpes qui verba legis cum ſydera quondam
Calcabis, magniq. teres penetrale Tonantis,
Tum Cœli per templa memor generiſq. Duciſq.
Bellanti pugnans aderis, plenaq. rependes
Dona manu, Regem ſemperq. tuebere cuſtos.
Et tu deſertis modo formidatus in armis
Aſpera defenſas geſſiſti bella per arces,
Nunc Furias contra, doctas legis arma per artes.
Legerat hæc hoſpes venturaq. facta notabat.

IGNATIVS E GALLIA diſcedens in Palęſtinam bello diſtinetur.

X.

TV quoq. Iordanis liquida formoſior vnda
Iam gratus ſuperis magno veherere triũpho
Ni viuant veteres diuis memorantibus iræ.
Ecce ſubit pennis ventorum elatus, & orbes
Sydereos Loiola tenet: Comitantur euntem
Gaudentum captiuæ acies, quas ille per omnes
Cœlo perdomuit terras; tamen auia pompæ
Nulla Palæſtinæ venit ſub imagine Tellus.
Vocibus at comites lætis, plauſuq. ſequuntur.
O decus Hiſpanis, Italis decus addite regnis
Victor ades, terræ ſpolijs ornatus opimis.
Te patrijs decorat generoſus Cantaber aruis
Et clara occiduos ſubmiſit Iberia colles:
Te quoq. liliferis miratur Gallia campis,
Italiæq. omnes vtroq. ab littore gentes.
Tu domiti per & alta maris, per & vltima ſaxa
Frigore quà Boreas, Auſter quà ſibilat æſtu
Victrices das ire manus, geminoq. volantes

Oceano puppes, & fortibus agmina ſignis:
Sola tuis quondam ſociis ſeruatur Idume.
Serta tamen propiora vid'ſ, atque addita votis
Venit Palma tuis: palmam tibi vertice toto
Prona ſuperductis intexuit Acra corymbis.
Hæc adeo memorant, interq. nitentia lapſu
Sidera ſuccedunt medio ſpectacula Cœlo.
Sed mihi nunc alius rerum deducitur ordo,
Et facti cauſa & prima exordia dicam.
Iam dudum Hiſpanis venientē acceperat aruis
Loiolam terno venerata Lutetia muro.
Illum porticibus vacuis, & Palladis arce
Aſtantem, & ſocios animantem ad bella coāctos
Cura manet, rediensq. nouis circumuolat alis,
Quod Solymæ periura fides, & vindice nullo
Sacra quod Auguſto ceſſarint vota ſepulchro:
Impiaq. infames per templa reſuſcitet ignes (mis.
Dirus Arabs, dominiſq. fremens Othomanius ar-
Ergo actus ſtimulis, ſocioſq. affatus, & ardens
Igne ſuo: O ſocij, inclamat, mihi fœdere iunxit
Quos longo Pietas: mundiq. cadentis amores,
Sat nobis, animoq. datum; quid dura vocantes
Prælia pro patrijs remoratur Gallia Celtis?
Inuitat Solymæ quondam gratiſſima Cœlo
Terra: neq. immenſo ridet magis angulus orbi.
Hæc Lauri, Palmæq. ferax trans æquora vectos
Victores vocat, & magni ſpe ducet honoris.
Nullus ab hoſte metus: ſibi fortia pectora finget

Et totus cordi dabitur Deus. ò ego quondam
Qualis eram, tumidis pelagi cum creditus auris
Prima Palæſtinæ tangebam littora terræ.
Illic Bethlemij teneræ incunabula partus,
Atq. impleta olim puerilibus antra querelis,
Hic puer arriſit maternis ore papillis,
Hic ſtetit ante aras, hic flumine merſus amoeno
Attactu ſacrauit aquas: hic pendula, fixus
(Heu crudele nefas) dedit alto corpora ligno.
Quantus in aſpecto præcordia ad intima lapſu
Ardor ijt, molliſq. animam populauit amantem
Syderea fax miſſa manu: vos ò mihi teſtes
Et nemorum valles, oleiſq. virentia ſancto
Roſida prata iugo: quæq. ipſe nitentia Templa
Spectaui gaudens, iterumq. iterumq. reuiſi.
Tunc me barbarici temnentem vulnera ferri
Atq. ignota feras reuocantem ad ſydera gentes
Non vllus vanis implere timoribus: aut ſe
Turbare ardentem ſtimulis iactaſſet amaris.
Ergo ad fœlices populos properantibus alnis
Ibimus, & noſtræ venerabimur oſtia vitæ:
Primus ego (ac tanti ſiqua eſt ea gratia facti,
Audiat ò Cœlo votum Pater) Inuia ſaxa
Primus ego & cautes, & ſquallida ſentibus arua
Et montes, valleſq. cauas, atq. antra ferarum
Scrutabor, raptoſq. animos ad ſydera ducam.
Voſq, ſubite operi, paribuſq. accingite votis.
Sit ait impellitq. viros, iuuat ire per omnes

Terra-

Terrarum, Pelagiq. vias, iuuat aſpera corda
Flectere: tum ſacris ſuccenſus ab ignibus ora
Monſtrat iter, celeranſq. gradu prauertitur omnes.
Ceu quondam longo flammarum incendia tractu
Iſacidis fecere vias, noctemq. volantem
Exploratores videre è nubibus ignes.
Iamq. adeo portas egreſſi, vrbemq. potentem
Feſtinant Italis veſtigia ponere terris.
Moxq. tumeſcentes in carbaſa cogere ventos
Adriaci per vaſta maris: quàq. alluit æſtus
Phæaces Corcyra tuos, & Cypriæ Regna,
Ac fortunatis Solymæ requieſcere campis.
Interea vario miſceri Regna tumultu,
Vndantiq. fretis crebreſcere ſanguine bella:
Et iam littoreo religantur ab aggere puppes,
Nec ſulcata fremunt luctantibus æquora Nautis.
Bella canit Solymanus atrox, Lunaq. bicorni
Mouit aquas; non ille, alti quòd fregerit Iſtri
Cornua, quod rigidas Belgradi irruperit arces,
Contentus, quod claſſe fretis, quodq. arduus aruis
Imminet Hungariæ, miſeramq. ac mæſta gementē
Funera Marte Rhodū, Solymæq. oppreſſerit arma;
Italiam ferus inclamat, Venetoſq. per vndas
Irritat parili ſurgentes ore Leones.
Et iam Lunatas acies trans Theſſala Tempe
Epiriq. arces deiectaq. fulmine ſaxa
Ad campos Epidamne tuos, & littoris oras
Duxerat. Attonitus montanis Dalmata terris

Adriaciq. ſinus bellatoreſq. Liburni
Et procul ingentes expauit Apulia *Thraces.*
Inde *Ariadenus, qui diuitis oppida Cirthæ*
Inſignis bello patria ſub lege premebat,
Et puppes Solymane tuas, numeroſaq. ponto
Helleſpontiacis reuehit naualia ſignis:
Claſſe ruit valida; tremuit Lunata Zacynthus
Vela, Cephalenum latuere per æquora cautes.
Ille per Ionium *Superi ſubit oſtia ponti*
Illyricis inuectus aquis; Solymanus obumbrat
Littora: vterq. armis terraq. mariq. coruſcat.
Cæſar abeſt, dubioq. vocat certamine Gallos.
Prima *gemit, primo ſed inermis* Apulia *bello*
Proxima. perrumpunt arces: captiua carinas
Turba replet: paſſim fruges, & pinguibus aruis
Armenta, & lætas populant incendia terras.
Verum vbi congreſſæ pinus, & Marte ſiniſtro
Turca per & fluctus, actoſq. triremibus ignes
Sternitur, atq. fremit Venetus, fremit Auria *contra*
Prædaq. *Trinacrias Othomania venit ad vrbes;*
Tum vero ardentem furijs mouet ira Tyrannum,
Corcyram Solimane vocas. huc pinea Moles
Huc pedites, equiteſq. ruunt, geminumq. minatur
Hinc grauibus roſtris, campoq. hinc agmen aperto.
Tutus at aërijs montano è culmine muris
Spectabat Venetus, rigidaq. in rupe latebat.
Turca faces, & ſaxa rotat: volat area glandis
Sulphureoq. tonans fœdam dedit igne ruinam.
Inde

Inde vbi iam Cæſar, iam fœdere Roma coacto
Imminet, & ſcopulos fruſtra ferit: effugit vndas
Barbarus. Hæc inter Venetam delatus in vrbem
Quid faceret curſu pelagi deluſus inani?
Et fruſtra aſpectans vetitas Ignatius vndas?
Sol quoq. biſſenos impleuerat ordine menſes?
Atq. dies iterum ſtringebat bruma niuales,
Nec ſpes vlla manet veneto conuellere funem
Littore. Sollicitus fragili committere cymbæ
Ah quoties, quoties voluit ſine remige paruam
Ipſe Gubernator propellere fluctibus alnum.
Nec tamen æquoreis longum terit otia tectis.
Iam luſtrare domos, ſtratis vbi tabida lectis
Membra lues, gelidæq. legens noua pabula morti,
Ipſa prior calidos febris depaſcitur artus:
Atque inclinatæ ſerus decedere nocti.
Iam populos ad templa vocat, iam vocibus altis
Vulgus iners, medioq. foro, perq. ipſa domorum
Limina, perq. vias ſacro nouus increpat hoſpes
Eloquio. atque animos Cœlo conuertit inertes.
At neq. dicentem, nec peſtibus ægra leuantem
Corpora, cura leuat; Remeans magis æſtuat alto
Corde, neq. inſomnem refugit, nec lucida circum
Sydera ſeruantem, longaq. in nocte gementem.
At fruſtra Loiola, tuus te concitat ardor
Ire Palæſtinam, populoſq. intrare negatos.
Cerne aliò diuerſa vocant, & Numina longe
Antiquo infeſtam ſcelere indignantur Idumen:

Nec dum terra ſatis veterum periuria Patrum,
Nec dum facta luit; quamquam nec tela, nec ignes
Deſuerint, atq. ipſa fremens vltricibus armis
Tiſiphone vaſtis euerterit oppida campis.
Ipſa olim ſæui poſt Flauia Bella Neronis
Romanaſq. acies, euerſaq. mœnia fundo
Vix impacatis caput Ælia protulit aruis,
Fœdauitq. ſuos ſcelerato Numine montes,
Cum cecidit: Numidaq. iacet pugnata Seuero.
Mox Byzantinos veheret cum ſubdita faſces,
Horruit armato venientem flumine Tigrim,
Ereptaq. Crucis gaudenti Perſide ſigna.
Inde Saraceni, longoq. oppreſſa Canopi
Imperio, & magnos Godefridi oblita triumphos
Bellantem ſequitur ſepteno gurgite Nilum:
Et tandem extremos Othomani experta furores
Turcica diuinis adiunxit legibus aëra.
Haud illam ſuperi certantem, & longa trementē
Exitia, haud miſeri lapſam iuuere Nepotes,
Sola ſuo iacuit, nec deplorata ſepulchro.
Gens alijs incerta plagis, Patrumq. receptam
Spirat adhuc rabiem: manet alto pectore vulnus
Aſperaq. haud vllo flectuntur fulmine corda.
Verte animos, alioq. faces Loiola potentes:
Pro Solymæ, exiguo rigidæ pro littore terræ
Legibus ecce tuis cedentem concipe Mundum.

S. FRAN-

S. FRANCISCVS XAVERIVS Crucis Icunculam mari abſorptam vectore Cancro recuperat.

X I.

SOla per Oceanum tumidis intacta procellis
Puppis abit, quæ Xauerium concordibus auris
Sæpius extremos remeantem vexit ad Indos.
Non aliter Cœlo pennis librata ſereno
It varias reditura vias, rurſumq. volucris
Signat iter, rurſumq. leues cita peruolat oras:
Vt reuolas Franciſce fretis, totieſq. recuſſis
Nerea frangis aquis, toties ſulcata profundi
Æquora commutas placidis ſecurus arenis.
Ipſi te quærunt Zephyri famulantibus alis,
Tritoneſq. vnàq. choors emiſſa marinis
Poſtibus, & vario plaudunt per cærula ſaltu.
At pater Oceanus muſcoſis pronus in antris
Sternit aquas; ille anguſtas tibi verticis algas
Obtulit, ille tuum veneratur murmure nomen:
Nomen adorantes reſponſant murmure fluctus.
Nec tamen audaces quondam ceſſere procellæ,

Quas

Quas non Caurus agit, flammiſq. armatus Orion
Triſtibus; ipſa manu commotas impulit vndas
Alecto, cordiſq. truces vltura dolores;
Teſtis ego, teneriſq. fides ſit candida Muſis.
Inſula ab Eois ſurgit, trans aurea Gangis
Oſtia, Taprobanemq. & ditia Regna Malacæ
Amboinus aquis: quæ duris ſcrupea ſaxis
Tollit inacceſſas montano culmine ſyluas.
Huc quoq. per magnos terræq. mariſq. labores
Venerat. atq. vrbes, campoſq emenſus apertos
Sacra manu portans luſtrales ſparſerat vndas
Xauerius. longinqua procul Macazaris arua
Tum meditans, reditum celeri iam puppe parabat:
Ante pater populos, ſacra quos merſerat vnda,
Conuentus vocat in medios. venere, cauernas
Maurorum quicunq. metu ſeruare ſilentes,
Perq. altas habitare ſolent nemora ardua rupes:
Et qui paganis coniuncta mapalia turmis,
Ac ripis diſperſa tenent Caſtella marinis.
Ergo vbi iam totis vndarunt agmina campis
Indica; depromi cineri ſeruata ſupremo
Xauerius ſimulacra iubet: quæq. auſus ab aris
Ora Deum, & miris horrentia monſtra figuris
Abſtulit. horribiles nigranti robore vultus
Cernere erat, varioq. olim formata metallo
Corpora; pars hominum ſimulat, pars ora ferarũ,
Quæ pice, quæ nigra populus perſundit amurca,
Et circum referunt atros horrenda colores.

Tot neq. ſunt Erebi peſtes, tot viſa per vmbras
Monſtra catenatis vlulare tricorpora membris:
Tot furiæ informes: non ſic variabile vulgus,
Scyllarumq. manus fornacibus exit auernis;
Vt variat vultus, piceoq. nigerrima fumo
Ora ſacrat Templis Indus; ſed plurima tollit
Cornigeras turpi Vitulas imitantia rictu.
Monſtrum informe, atrum bifidis altaria plantis
Celſa premit, tum ſubiecto leuat vngula ſaxo
Capripedes veluti villoſo corpore Faunos,
Fædaq. taurinis armantes cornibus ora.
Barbarus huc dona accelerat, populataq. ſyluæ
Poma manu, cererem grauidis huc portat ariſtis,
Et ſtabulis, ſaltuq. feras: dape nutriat artus
Hortantur, pellatq. famem Deus. ille per aras
Roboreus, ſurdiq. tenet mala ſigna metalli;
Accumbunt epulis furtim Brachmanes opimis,
Indorumq. vorant prædas, buxoq. ſonantes,
Æreaq. in totam quatientes cymbala noctem
Feſta reuerſuris agitant conuiuia menſis.
Hæc ſtructis tum dira focis ſimulacra iubebat
Abſumi, latiſq. pyras conſurgere campis
Xauerius; gaudet mandata faceſſere Pubes
Indica, ſeq. oneri accingunt, operiq. viciſſim
Vnanimes; odere moras, atque ilice multa
Compoſuere rogos, totumq. à montibus altis
Aduoluere nemus; longo ſtetit aggere moles:
Tum fumoſa ſuper Furiarum ſigna dedere,

Et

Et turpes Orci facies; non priſca mouebat
Effigies, non terret auis venerata vetuſtis,
Quæq. vaporato dederant ſuffimina trunco,
Quin flammis arſura ferant ſimulacra decoris.
Ipſa ſed ante alios Cœlo delapſa patenti
Syderibus tædas ſubitò ſparſiſſe rogales,
Lampadibuſq. ignem ſuccendere viſa coruſcis
Relligio; qualis gemmaq. auroq. rigentem
Induitur Pallam triplices innexa coronas.
Talis erat, renouatq. rogos, correptaq. paſſim
Robora inardeſcunt, Cæloq. incendia voluunt.
Indus at exultat, magnæq. volumina flammæ
Inter, monſtra ſuis ridet crepitantia ſignis.
Xaucrius ſuperum populis gratatur amores.
Tunc adeo Pater amplexus lacrymabile vulgus
Aquoreis rediens iterum ſe credidit vndis.
Iamq. recedebat, puppiq. elatus ab alta
Cernebat fauſtis lucentia littora flammis,
Irroratq. ſinum, lacrymataq. gaudia verſat.
Et ſecum hæc; Veniet tandem gratiſſima Cœlo
Sera dies; qua tænareis habitata colubris
Excindam nigros penitus delubra per Indos.
Goa mihi primos ſtrauiſti regia Tauros,
Et ſtructa æratis antiqua altaria vaccis:
Brachmanes Comorine feros, totamq. Megæra
Progeniem: tuq. auratis qui clauſus arenis
Feruida gemmifero Ganges petis æquora cornu:
Et quod littoreæ ſtringis caput arua Malacæ,

Vos

Vos vno deuicta mihi fœdiſſima bello
Nomina deleſtis, ſqualent ſine numine templa.
Iam ſupereſt luſtrare ſinus, ſparſaſq. per altum
Oceanum innumeras vndoſo margine terras.
Alma Fides, Pietaſq. meis adiuncta carinis
Barbara corda premat, Romanaq. ſacra refundat.
Roma tibi hos referam victor Cœloq. triumphos.
At quanto ſtabunt mihi ſanguine! dulce laborum
Pondus ades; propior totis obiecta periclis
Scena mihi & triſtes gladios, & dura recludat
Supplicia, hæc omnes in corpora ſuſcitet ignes.
Sic ait, & factis ſpe præcipit auſa futuris.
Interea ſuperant flammæ, fumiq. volantes
Aſtra tenent, ſtridunt Furiæ, & dilecta relinquũt,
Ora, liquefactis & fluxa Pagodibus æra,
Pendentiq. in nube ſedent; aſſibilat anguis
Vndiq. crinaleſq. procul ſonuere ceraſtæ.
Perfidus at pœnas vnus dabit, vnus in vndis
(Exclamant) pereat; ſubitoq. e nubibus altis
Agmen aquis merſit ſe ſe furiale quietis.
Senſit adeſſe fretum, tremuitq. ſub æquore Nereus,
Squammiferumq. pecus; redeunt auerſa retortis
Flumina vorticibus, latuitq. per oſtia Ganges:
Lenè vehebatur tumidis ad carbaſa ventis
Xaueriana ratis, pontumq. inuecta ſecabat.
Ipſi ſe hortantur Zephyri; criſpata ſuſurro
Cærula pars tenui motant, pars lintea tendunt,
Pars medios releuant pennis rorantibus æſtus.
Tor-

Torrentemq. plagam gelidis refrigerat auris.
Spumeus ecce fremor, turgentq. ſonantia longè
Æquora, & vndoſo miſcentur murmure fluctus.
Non Auſter, nō Caurus adeſt, tamen omnis ab imis
Æſtuat vnda vadis, Cœloq. elata profundos
Mox aperit manes, puppimq. in tartara condit.
Mirantur Nautæ per lenta ſilentia Cœli
Turbine cur tanto Pontus ruat. alta dehiſcunt
Iam ruptæ tabulata ratis, lacerataq. vela,
Maloſq. Antennaſq. vorant in gurgite fluctus:
Triſtia nigrantes ſuſpendunt nubila nimbos,
Heu quid agant! ſæuit totis immiſſa procellis
Vis maior, Furiæq. actis luctantur auernis,
Nec ſpes vlla manet; pauidis ad ſydera votis
It clamor, ſuperantq. cauas ſuſpiria nubes.
At non Xauerium fraudes inimicaq. tela
Tænareis latuere dolis. Orichalca gerebat
Dilectæ tum forte Crucis, ternaq. refixum
Cuſpide diuinum pendebat imagine corpus:
Quæ collo ſuſpenſa, ſinu retinebat amanti.
Accipit hæc, roranſq. genas, atq. oſcula libans:
Hic (fatur) mihi certa ſalus, hic vita quieſcit
Fluctibus haud vllis, non vlli obnoxia Cauro:
Tu tamen ò animæ ſpes, ò fidiſſima noſtra
Lux aderis propior, dubiamq. tuebere vitam.
Sic ait, immergitq. fretis (mirabile dictu)
Conticuere vndæ, pelagiq. repente reſedit
Ira minax. Furiæq. abeunt, pontoq. recedunt.

Nec

Nec tamen incaſſum; tacito nam cærula curſu
Dum fugiunt, vndaſq. ſimul mouere tumentes,
Xauerij delapſa manus effugit imago:
Filaq. diſrupit, rapuitq. ſub æquore vortex.
Ilicet indoluit lapſu Pater; ille cadentem
Illacrymans queritur viduo de pectore gemmam:
Ille manum increpitat, ſublataq. gaudia poſcit;
Puppis abit, placidaſq. maris cita diuidit vndas.
Inſula arenoſas longè Varanula Molucas
Spectat, & antiqui defenditur vrbe Tamali.
Mille ibi diſcretas interluit æquore terras
Oceanus: quin & lauros imitata virentes
Sylua ſolo ſterili, bibuloq. è pumicis aruo
Diues odorati progignit aromata claui.
Huc placidè vectus celeri Franciſcus ab Euro
Te Varanula, tuos aſcendit ab æquore portus.
Hinc Pater accelerans tendebat ad oppida greſſum
Quà via monſtrat iter, reflua qua perſonat vnda,
Nec procul obiectis alliditur æſtus arenis.
Ecce autem medijs agitans fluitantia lymphis
Brachia, ſollicitus quærebat littora Cancer,
Impulſuq. procul celeri vada lenta ſecabat.
Illum Relligio rediens ad ſydera, poſtquam
Turpia ſubiecto ſimulacra incenderat igne,
Impulit, vt notas per littora curua latebras
Linqueret, atq. alto ſcrutatus cærula fundo
Ipſe Crucem, & caros Franciſco afferret amores.
Ergo natans geminis arrectus in aëra chelis

Elatum

Elatum referebat opus, mordenſq. tenaci
Forcipe ſuſpenſum librat. portatur in vndis ,
Et latè ſuffixa Cruci ſplendeſcit imago,
Et ſacri vultus, & nota orichalca relucent,
Gens pelagi dat ſponte locum, fluctuſq. recedunt:
Tum choreis ſequitur Delphin, tũ flamina plaudũt.
Conſtitit, vt longè venientem, & munera vidit
Xauerius ; celerat motis per ſalſa lacertis
Marmora, & affixi ſignum cœleſte Tonantis
Portitor attollit, glomeranſq. ad littora greſſus
Ante pedes magni Patris ſtetit : ille relatum
Allapſus genibus, lacrymiſq. per ora volutis
Cepit onus : Patrias ſe mergit Cancer in vndas .
I fœlix, ſed enim Nerei malè mergeris vndis
Æthereo dignus cœlum tranſmittere ſaltu.
I, tibi ab Herculeo cedunt vbi ſydera Cancro ,
Et melior placidis annũ moderabere flammis
Tuq. adeo Franciſce imo, dic, pectore ſenſus
Quos agitas, animoq. illapſa incendia, , voluis ,
Ille vbi diuinos tenuit, ſua gaudia vultus
Compoſuitq. ſinu, penituſq. immota tenebat
Brachia, tum lacrymis vultum perfuſus obortis ,
Tu ne, ait, ereptum ventis pelagoq. rediſti
Pectoris amiſſum noſtri decus ? & tibi ſedes
Noſtra placet ? ſanctoq. vtinam te digna paratu
Seruet, & immenſos dilecta recondat in annos .
Hic habites, hic corda regas . mihi viuere, tecum
Dulce mori eſt: moriar, paulùm ſi corde recedas,

Deſi

Deficiam. languens tum verò incendit amores:
Et ſilet, atq. animum tacito ſermone fatigat.

FRANCISCVS XAVERIVS viſus humano maior barbaros Badagas fugat.

XII.

INdia Xauerium metuis peritura Gigantem
Spargentemq. faces oculis, dextraq. cientem
Fulmina. nubifero attollens immania dorſo
Brachia, nonne vides? rapuit tibi ſydera, & ingẽs
Portat ab æterno ſublatum culmine Solem.
At vobis Badagæ, infernis monſtra addita mõſtris,
Ille rotat medijs arſura incendia turmis,
Et veſtrum ſubitura caput. vos linquite bella,
Sanguineas nec amate neces; Dux omnia contra
Vnus adeſt, ecce arma, ferox iam diſſipat arma,
Veſtraq. terrificos conuertit in ora furores.
Victori ciues plaudunt, reciniq. potentes,
Bellandiq. nouas defenſa Trauancoris artes.
Iam ſacra Romanis aduecta penatibus hoſpes
Xauerius, totos iterumq. iterumq. per Indos,

Et ſupera ignotam referebat ab arce ſalutem.
Iamq. Trauancoridis gentes, & diſſita pagis
Agmina luſtrarat, ſanctiſq. piauerat vndis.
Tum iuga dimenſus Piſcaria tecta petebat,
Atq. inopes, pretioſa inter conchylia gentes.
Namq. renaſcentis gemmata cubilia Solis
Quà Thetis aurato reſerat Gangetica Cœlo,
Litteris Eoi ſitientibus ardet arenis,
Et tumido tellus percuſſa retunditur aſtu.
Non ea frumentis, non frugibus apta ferendis
Infœlix ſteriles protendit ad æquora campos;
Sed matutinis non lætior altera guttis
Pinguia gemmifero pendentibus oſtrea fœtu
Innutrit ſcopulis, leuibuſq. natantia cruſtis.
Incedunt patulæ numeroſo examine Conchæ
Seruantes, Cœlo redeuntis ad oſtia lucis
Roſcida cùm plorant morituram ſydera noctem,
Illacrymans Aurora nigræ cùm funere matris,
Quamuis alba, gemit; tunc ora, ſinuſq. fluenti
Rore maritales implent, & cortice clauſo
Gaudent maturos vtero grandeſcere partus.
Interea tenues ducens à littore lembos
Piſcoſis inuecta vadis volat indica pubes,
Et vaga cœleſtes auertit ab æquore prædas.
Hic quoq. collectis operoſa pericula gemmis
Indus ſeruitio tulerat, Mauroſq. Tyrannos.
Exoluit miſeros at ferro accincta Parauos,
Excuſſitq. iugum, & Mauros procul impulit hoſtes

Luſita-

Luſitana manus. Quanto proh nomine ad Indos
Luſitane meas! & quà victricia bello
Arma, ſacris melior patrijs quà ſigna coruſcas,
Et magnum factis imples ingentibus orbem.
Tecum ardens, populoſq. animo complexus Eoos
Adfuit; ipſe manu luſtrales mergere in vndas
Xauerius, lauere ipſe atros in fonte Parauos,
Atq. abolere nefas, primæq. piacula vitæ.
Nunc iterum deſerta vigil petit oppida gentis,
Caraq. ſollicitus viſebat ouilia Paſtor.
Qualiter implumes viridi ſuper arbore Natos
Anxia deſeruit, mox & frondoſa volucris
Hoſpitia, & querulos properat conſcendere nidos;
Ne ſerpens volet allapſu, ne cadat arator.
Interea Solis quæ tecta aduerſa cadentis
Spectat finitima percuſſa Trauancoris vnda,
Franciſcum heu longè profugum peritura vocabat
Portantem auxilia, & dubiæ fida arma ſalutis.
Namq. improuiſo, diuerſi ad littora Ponti
Collectæ populis (Badagas dixere) phalanges
Marte aderant, cladémq. manu, ſtragemq. ferebãt;
Vaſto illum rupes diſterminat ardua ſaltu.
India trans oras calidi nam torrida Cancri
Stat geminis obiecta fretis, porrectaq. in Auſtros
Extendit, flagranſq. caput cuneata retorquet,
Quà duplices ponti frangis Comorine procellas,
Liber & Oceani terram circumſonat æſtus.
Fert iuga ſed medius montano vertice Gates

Caucaſeis commiſſa iugis, & ab vſq. niuoſę
Rupibus arctois Scythię, Malabarica longè
Non intermiſſo procurrit ad Aequora dorſo.
Natus ab alpinis veluti te montibus ingens
Infers Italię medium, Superiq. ſonantes
Inferniq. maris fugis Apennine tumultus.
Sic ſecat ardentes Gates Malabaricus Indos.
Hinc Goa, Cociniq. humileſq. Cananoris arces:
Et Calecutanę ſemota Trauancoris orę:
Inde vaporatis Piſcaria feruida terris,
Et Narſinga ferox. & nobilis oſtia Gangis,
Regnaq. inexhauſtis auri Peguana metallis,
Et Badagę immanes. hi bello ardentia corda
Extimulant, hi finitimos in funera poſcunt,
Collectiſq. omnes miſcent legionibus vrbes.
Nec mora: Feralis ſonitus, atq. hoſtica inermem
Arma Trauancoridem cõplent, & montibus altis
Agmina, ab hibernis velut eluctantia nimbis
Flumina, pręcipitant; valles, & littora latè
Infremuere tubis, & inundant milite colles.
Longè illis loricę habiles, galeęq. comantes,
Pondere vincla ſuo velocibus addita membris.
Incerto nudi exiliunt in Marte Naires:
Haſta quibus, clypeuſq. manu, celereſq. ſagittę,
Bracteolis fulget capulo crepitantibus enſis,
Longa vel emiſſo libratur fiſtula plumbo.
Hi curſu ſimulare fugas, auerſaq. certis
Spicula vulneribus torquere: fugacibus armis

Non

Non expectato tum bella reducere ſigno,
Comminus & ſtricto pugnam decernere ferro.
Iam coniuratos rapiunt ad tecta maniplos
Ignemq. ſtragemq. rotant. Quis Theſſala tantùm
Sic memorat ſæuos committere bella Bimembres?
Pulſaq. Terrigenas reſcindere ſydera fratres?
Raptores ceu tanareis exercita monſtris
Arma ferunt Badagæ; virus furiale refundens
Adiungit ſociam Alecto, ſcelerumq. miniſtras
Spargit auernales percuſſa per arma colubras.
Ergo furor, terrorq. præit. iam, dura minantur
Exitia, & ſtructis non vna incendia Templis,
Sanguine & vltrices vndanti extinguere flãmas.
Iam ciues, quamquam imbelles ciet ardor in hoſtẽ
Extrema ſub morte natant; clamoribus auræ,
Et percuſſa fremunt muliebribus arua querelis:
Tela vident iugulis, tectis erumpere flammas.
Quæ ſupereſt ſpes vna, procul trãs culmina magni
Heu Gatis Franciſcus abeſt. Narrabat inermi,
Cum gemitu pubes; trifidos è nubibus ignes
Non ne daret? nonne abruptis educta cauernis
Iuſſaq. in ardentes incendia volueret hoſtes?
Pumicibus miſto cineri flagrantibus, omnem
Impleret, nimbiſq. locum, piceoq. latentem,
Turbine. non ne potens circumlatrantibus vndis
Squamigeros ad bella canes, totamq. profundo
Oceanó gentem, Pelagiq. educeret iras?
Qui modò te dirimunt populi? Quæ littora ſeruas?

 Huc

Huc ades ò, certamq. Pater molire ſalutem.
Sic illi ingeminant, geminant quoq. triſtia paſſim
Lamenta, & latis etiam fuga quæritur aruis.
Mittitur extemplò nota ad Piſcaria gentis
Oppida, Franciſcum qui cara in Regna reducat
Nuncius; ille gradu montes, ſaltuſq. malignos
Præcipiti ſuperat, diuerſaq. littora viſit.
Nox erat, & tremulæ varia ſub imagine formæ
Clara per obſcuras lucebant ignibus vmbras,
Et defenſa ſuis horrebant ſydera monſtris.
Nocturnaq. preces, ſanctiq. ardentia cordis
Vota liqueſcentem facibus, lacrymiſq. madentem
Xauerium taciti ſecreto in margine ponti,
Defixumq. oculis cognata per aſtra tenebant.
Ecce venenatæ quà tollens ſpicula caudæ
Scorpius ardenti radiat rubicundus in aſtro,
Et quamquam obliqui ſeruat pluuialia Capri,
Proximus ac medio perrumpit cingula ſigno,
Altus ad æſtiferos lapſu deuoluitur Indos.
Illum autem curuis torquentem brachia Chelis,
Laxantemq. ſinus, ignotum pondere vaſto
Exercebat opus, demiſſaq. ſyrmate longo
Lintea iam manibus defeſſus & ore ferebat.
Huc omnes fluere, & ſæuorum vndare malorum
Viſa viro facies, & fœta doloribus atris
Luxuriare ſeges, morbiq. horrorq. fameſq.
Et labor, & duri cognata laboris egeſtas,
Luctuſq. horribiliſq. pauor, curæq. trementes,

Et

Et facibus, ferroq. trutes concreſcere mortes.
Non tot Romuleis olim tormenta Tyrannis
Repperit arte furor: non tot diſcrimina vitæ
Mortales infeſta rotant: non actus in orbem
Sic Orbis rapitur nexis ſine fine periclis;
Ceu videt innumeras innectere mutua peſtes
Vincula, conſertis nec diſſociabile nodis
Tormentorum ingens, & inextricabile textum.
Ipſa quoq. horrificas miſcebant noxia formas
Sydera; natiuum, qui pendula lina gerebat
Scorpius huc rorem viroſæ effunderæ caudæ:
Quique ſuperfulget ſpiris Epidaurius anguis
Vipeream infundens animam, circumligat arcto
Implicitas nexu Diras: rabiemq. Luporum
Centauri: infectas Lernæo ſanguine cornus
Huc tulit, atq. arcus, pharetrãq. & vulnera Chiron
Et qui ſyderei fulgentem fluminis vrnam
Per Cœlum aſtrifero declinat Aquarius imbre,
Ipſe procul commutat aquas, ſparſumq. venenis
Flumen agit; liuent latices, ſtridentia monſtris
Lernæis ſimiles & inundant lintea fluctus.
Obſtupuit, doniſq. hæret Franciſcus acerbis,
Tantorumq. obſtructa videns ſimulacra dolorum.
Acrior inde animo, pœnis maioraq. dudum
Argumenta ſuis agitans: Tu ne atra pauoris
Mater, & horrentes Nox terris nata per vmbras,
Exclamat, mihi ſic vita triſtiſſima fingis (ſcã?
Vulnera? poſco equidẽ, quid enim niſi vulnera po-

Vſq. adeo ne pati refugit, menſq. horret amara
Nutrimenta necis? ſtygijs quin clauſa cauernis
Supplicia, & tenebris cinctos nigrantibus ignes
Nox vehis? adde Hydras, ſectoq. feracia collo
Pectora, crinales tu Gorgonis ore dracones.
Iunge, flagellantes iuſſis furialibus angues,
Robora, flammiferaſq. ſudes: tu pondera ferri
Et glaciem, æternaſq. niues, atq. omnia miſce
Tartara. num pœnis quondam ſatiabor amicis?
Atq. auido inuiſas nunc Scorpius aggerat iras?
Quin potius tu rerum opifex, tu ſola voluptas,
Atq. animæ lux vna meæ Deus, ò mihi iuſtos
Emerito molire omnes operate dolores.
Si trifidis placet hoc flammis extinguere pectus:
Fulmineas iaculare faces, accende repoſtas,
Vre precor, tædis animæ populare latebras.
Si merſare vadis, prædamq. per æquora ſæuis
Hanc monſtris inferre placet: me me inijce ponto,
Me petat, inq. vnum cœleſtis machina peſtes
Exoneret. pœnis eſt hoc habitabile pectus
Innumeris; effunde omnes, explebis amantem
Semper inexpletum. I*am pridem corpora cunctis*
Supplicijs deuota gero, perq. arma, per ignes,
Per freta, turbati per mille pericula ponti
Diuinis freno indomitos ſub legibus Indos.
I*mminet in iugulum, ſtricto mihi fulminat enſe*
Interea miles: direptam ſpicula inumbrant
Miſſa diem: totis aut viribus ingerit haſtam

Barba-

Barbarus, aut miſcet magico mala cimbia ſucco,
Aut immergit aquis, merſoq. incendia portat:
Vt tandem, ah fœlix, tantoq. indignus honore
Intercam. voluere diu, tamen irrita vota
Incaſſum cecidere; Pater ſine comminus enſes
Enſibus, arma armis iungant, atq. ignibus ignes.
Si fragiles in tela manus in vulnera laxant,
Cœleſtes huc verte iras; caput omnibus vnum
Obrue ſæpe malis; odi implacabilis artus
Heu deſertores animæ, ſenſumq. rebellem
Cordi obluctantem, diuinaq. iura prementem.
Quod ſi imbellis adhuc votum abnuis, ibo per ignes
Ipſe ego me medios trudam moriturus in hoſtes,
Armatas irrumpam acies, in me horrida bella
In mea barbaricum conuertam viſcera ferrum,
Occumbam Eois, Cœlo data victima, campis.
Et vos, Ignati ſoboles, quam poſtera vitæ
Secla manent, Cauris vacuos, ac turbine rauco
Ne ſperate dies; ſurgent Aquilone procellæ,
Nec vacat ora maris: nimboſaq. nubila turbant
Solis vtramq. domum. vobis quoq. dura ferendo
Exuperare datum eſt: venturi ſigna doloris
Extulit, atq. aderit facta inter fortia Numen.
Sic ait illacrymans, tacitaq. in mente labores
Voluit inexhauſtos, oculis ſe largiùs imber
Egerit, in nubem conſpecta receſſit imago.
At verò effuſis vt nuncius ore querelis
Xauerium ſenſit ſecretam incendere noctem

Aduo-

Aduolat, & propior, Ceſſas ne? & cruda tuorum
Funera, præſentemq. Pater ſubducere mortem
Negligis? exclamat; pereunt, & flumine campos
Sanguineo complent, tu longè hæc littora ſeruas?
Nec dum auidos prædæ Badagas, non prælia ſentis?
Et gemit extinctas iam forte Trauancoris vrbes.
Vix ea; cum rebus ſubitò Franciſcus acerbis,
Excitus, atq. animo ventura pericula voluens
Agnoſco, quid ſæua, inquit, ſub imagine Cœlum
Nunciet. Hi luctus fuerant, hic horror, & enſis.
Haud mora: ſtat cunctos ſemel exhaurire furores.
Dixit, & accelerans medijs volat ocyor aruis,
Auxilioq. ſubit. Non illum vaſtus arenæ
Tardat ager: magni pendentibus inuia ſaxis
Non Gatis nemora, aut præceps de culmine ſaltus
Obſtitit. Vt quondam ſolitus non paſſibus æquis
Exultare Gigas, ſiquando immenſa viarum
Decurrat ſpatia, & campo volet altus aperto.
Talis abit: non ille ſui, non ille pericli
Trans montes, fluuioſq. memor, valleſq. profundas:
Omne vorat nec feſſus iter; ſi nocte quietem
Sol agit, ille viam celerat: ſi mobilis effert
Axe diem, ſequitur, Solemq. celerrimus æquat,
Donec ad aduerſæ veniens ſtetit æquora terræ.
Iam ciues (quamquã extremæ non vlla ſalutis
Spes aderat) clauſis defendere mœnibus hoſtem,
Atque auſi cladem tenui diſcludere vallo.
Sed funeſta dies perituris vltima Regnis
Venerat.

Venerat. obſtantes ſtrauere tonitrua muros,
Et miſſæ aëre faces aditus fecere patentes,
Hoſtis adeſt, mugitq. tubis, & fulgurat armis.
Quis populos lacrymis media iam morte natantes
Defleat? Aſtabat ſimul immoritura Iuuentus,
Non pauidæ iaculis dextræ, non enſe coruſcant.
At contra Badagæ ardentes clamore ſecundo
Inſultant: tenuere aditus, aut ſtructa reuellunt
Clauſtra manu, aut muros, longèq. euerſa domorũ
Culmina præcipitant; nullos tamen enſis ad ictus,
Nec dum tela cadunt altos bibitura cruores.
Verum inter primi volitantia fulmina martis
Emicat aduerſo Franciſcus ab aggere, quà ſe
Tectis turba ruens patrijs miſeranda premebat.
Et procul; Immitis caram quis barbarus vrbem?
Teq. petit ferro ſanguis meus? eijce curas,
Siſte gradus: adſum: pugnandum cõminus vni eſt:
Me manet iſte labor: ſuperis ſi morte litandum,
Emoriar victor. Dixit, ſubitòq. timendos
Euolat in cuneos, cedentemq. impulit hoſtem.
Barbarus infremuit, rabiduſq. Hic veſtra moretur,
O pudor, arma duces? proſternite. Flammeus ora
Xauerius contra, dextramq. erectus inermem:
Vos ne, inquit, Badagæ teneram, Cœloq. paterno
Creſcentem ſobolem crudeli excindere bello
Speraſtis? Non iſta Deus compendia vitæ
Annuit. infernæ procul hinc abſcedite Diræ.
Sic ait, incurſuq. minax properabat in hoſtem
Sſtri-

Stridentemq. magis, conuerſaq. tela mouentem.
Ecce horrendus atrox Cœlo Franciſcus aperto
Vaſta Giganteis producere corpora membris
Viſus, & ingentes armare in nubila vultus,
Ardent ora viro, manibus duo fulmina vibrat:
Torta ſonant oculis tremulæ duo fulgura flammæ.
Talis obit veſtis, qualis demiſſa per artus
Squamea ferratos lorica intexeret orbes.
Iamq. altas verſare faces, tonitruq. tumultus
Terrificos, raptiq. iugum diſpergere montis
Semianimes videre manu, ſublataq. Cœlo
Brachia conuulſis iaculari ardentia longè
Aſtra globis; totos fugiunt auerſa per agros
Agmina, cedenteſq. animo pudor excutit iras.
Tum primùm niger indomitis terroribus Indus
Palluit, ignotoſq. tremens bibit ore colores.
Deſunt arua fugæ, vox defuit auia linguis:
Funere vita ſimul trepido fugitiua receſſit,
Et paſſim latos texere cadauera campos.
Xauerium ciues, atq. agmina triſtibus armis
Libera palmifero reducem vexere tryumpho.

XAVERIVS ACENOS pugnantes longè diſſitus videt ac vincit.

XIII.

PErla tuis pretioſus aquis, qui gurgite puro
Indica Regna ſecas, Nereiq ſimillimus vndis
Laberis, & fluuios inter lætiſſimus omnes,
Aurea gemmiferi quot ſe trans oſtia Gangis
In mare deuoluunt feruentis ad vſq. Malacæ
Littora; tu, noſtras quæ vix ſonuere per aures
Bella, vales longe ripis reſonare canoris,
Xaueriiq. memor veteres narrare triumphos.
Ille coloratos cœleſtia pacis ad Indos
Munera portabat, ſubitòq. in claſſica fortes
Ipſe vocat, ſtimulatq. viros; prior ipſe tubarum
Aera mouet, celeres prior impulit æquore puppes.
Ergò impacatos ſi bello accenderat hoſtes
Somatra diues opum (medio quæ limite mundi
Inſula Sole ardens æqualibus æſtuat horis)
Mœſta ſuos mergi doluit per cærula ciues,
Et cladem domitis fruſtrà indignatur Acenis.

Tuq.

Tuq. nouam texas victrici vt fronte coronam
Exue palmiferos iam lætior India lucos;
Ille ferat pretium pugnæ, qui ſydera votis
Placauit, qui belligeræ procul auius oræ,
Arma tamen ſpargit, tum barbara diſſipat arma
Luxerat alma dies, primi quæ mœnia mundi
Prima tulit: meliore Deus cum ſurgeret aſtro,
Ipſe triumphatis qua Solem vexit auernis.
Et tunc Xauerius ſolemni pulpita luce
Eloquio reſonabat agens diuina fluenti
Munera: ſollicitæq. per aurea templa Malacæ
Afflanti pauidos mulcebat numine ciues.
Iamq. procul bellis iuuenes naualibus ardent,
Nec dum ſanguineo volitat certamine Mauors.
Altera claſſis erat ſuperis quam fortis in armis
Luſitane moues: feſto Victoria plauſu
Quam ſequitur, placidiſq. volans aſſibilat auris.
Altera barbaricis nequicquam vlulata maniplis
Nudis informes cuneis cogebat Acenos.
Vnà omnes ruere, & validis incumbere tonſis
Quicunq. auriferas inuertunt vomere glebas;
Taprobane quà diues opum ſitientibus aruis
Gignit odorato redolentia cynnama ligno,
Arboreiſq. comis, diſcretaq. flumine tellus
Larga metalliferis effundit aromata campis.
Quiq. ſolent curſu pugnas ſimulare fugaces,
Et Palmeta ferunt ſcopulos vicina per Indos.
Turcica quin etiam crudelibus arma Tyrannis

Qui

Qui tractant: Ægypte tuis Othomania longè
Qui iura imponunt populis, & claſſibus actis
Littora Erythrai radunt inimica profundi.
Hi dubias tumidi fugientes æquoris iras
Puppibus aduerſo ſubierunt flumina lapſu,
Et validas celant ripis tutantibus alnos.
At Luſitanis placabilis vnda carinis
Sternitur, & ventis tranquilla per alta ſecundis
Lenè tumeſcentes obliquat Carbaſus auras,
Impellitq. leues ad fluminis oſtia pinus:
Et locus, hybernis aberant & iura procellis.
Quippè ſub æſtiuo flammatus Sole December
Flagrantes iterum ſuccenderat ignibus Indos,
Cum daret Europæ breuioris frigora Brumæ.
Sed paulum ardentis tepefecerat arua Malacæ,
Longè inclinati ſpectans, quæ ſydera Capri
Non procul à rectis ſua ſydera terminat aſtris.
Hic vbi Gangaridum trans Regna, ſinuſq. beatos
Flexa recuruatis protenditur India terris,
Rurſus & Arctoos conuerſa recurrit in axes.
Tùm pelago anguſtos intercurrente tumultus
Syncapura tuos audit, nec diſſita longè
Æſtiferum nebulis conueſtit Somatra Solem.
At parte ex alia natiuo nobilis auro
Longa iacet dominæ tellus regnata Malacæ.
Illic triſte coit collecta in nubila Cœlum,
Nec caret imbre dies, nimio qui torridus æſtu
Vritur; arboreis vel frigora colligit vmbris,

Sylua

Sylua frequens latis annoſa quòd imminet aruis:
Aut ſpatioſa iugis, aut æquoris accubat vmbris.
Ah mihi non illis libeat requieſcere lucis,
Nec triſti faciles agitare ſub arbore ſomnos.
Tot circumuolitant rabidarum monſtra ferarum,
Et lacerata truces paſcuntur corpora Tigres.
Sæpius aëriæ frondoſa cacumina palmæ
Hoſpes adit, tutos neq. habent ea tecta ſopores.
Tigris adeſt ſummiſq. vmbroſa cubilia ramis
Exuperat ſaltu, thalamumq. hominemq. reportat.
Ver tamen aſſiduum placidus ſibi temperat annus.
Biſq. ferax grauidis oneratur frugibus æſtas.
Ergo Malacenſi dum perſonat aurea templo,
Xaueriæq. trahit populos facundia linguæ;
Ecce Pater ſubito compulſus numine mentem
Reſtitit, aſpexitq. procul, queis comminus armis
Terrificant geminæ Perlenſia flumina claſſes.
Ceu quondam ſpectat Solymæ, ſanctoq. reuoluit
Ore Palæſtinus venientia ſecula Vates.
Continuò Pater ancipitis diſcrimina pugnæ
Incipit è ſacris referens componere roſtris.
En, ait, aduerſas video concurrere puppes,
Et multo æquoreos miſceri ſanguine currus.
Barbare quid pugnas patrijs moriturus in vndis?
Haud Luſitanas victoria deſeret alnos.
Digna viris merces; ſed enim cæleſtibus armis
Bella mouent: video Superos inimica prementes
Nubila, & armatas violento fulmine dextras.

Tuq.

Tuq. vadis fluuius non conceſſure profundis,
Vorticibus rapidis properantes incute pinus.
Et maris in ſpeciem ſtagnantibus altior vndis
Fluctibus adde iras, totiſq. effundere ripis;
Præda tibi dilecta venit. Fluuialibus hoſtis
Qui modò ſuccedens incluſerat agmina ripis,
Flumine iam prono pelagi deſcendit in æquor.
Contra denſa ratis curuo petit oſtia cornu,
Quæ Luſitanis apparet ab æquore velis.
Et iam ſulphureis diſploſa tonitrua flammis
Fulmen agunt; certo deſcendit turbine fulmen,
Exitium, ſtragemq. rotans. Tu barbare Ductor
Stridenti percuſſa gemis Prætoria ferro.
Frangitur, abruptiſq. ratis ſubmergitur vndis,
Spemq. ducemq. trahens. Curſus prohibete ſecũdos,
Ite aliæ circum, quæ fluctibus hauſta, triremes
Robora cinxiſtis, pontoq. & morte natantes
Eripite. hinc oritur primo certamine clades.
Nec mora: conuertere ſuas Othomana carinas
Agmina, & auxilio ſubeunt. pars tollere dextra
Errantes in aquis ſocios; pars flumine raptas
Quærere opes: tonſis rapidos pars vincere curſus,
Nè ferat in præceps fluuius, ne gurgite mergat.
Ecce ſequutura, quæ fluctibus ordine pugnæ
Flumineis labuntur aquis, iam proxima ſindunt,
Obuiaq. obſtantes incurrunt roſtra carinas,
Et crepuere ſimul: mox tertia comminus vrgent,
Atq. aliæ, extremo ſubeunt quæ robora ſigno.

Scindit prora latus, lateriq. obſtricta cohærent
Certatim latera, auerſis aut æquore proris
Puppibus incuſſæ puppes : non lintea ruptos
Vlla tenent malos, remis non frangitur amnis,
Perpetuumq. manet celata per æquora bellum.
Tu quoq. præcipitas contra iam victor ab alto
Luſitane moras : ſonitu ter miſſa tremendo
Tela, ter impulſo tonuere minantia ferro,
Ter fœdam cuneis ſtragem, ratibuſq. dedere.
Incaſſum non vlla tonant, lacerantq. refractis
Cum trabibus iuuenes, merguntq. natantia fluctu,
Seu denſa vmbrato diſpergunt robora Cœlo,
Raptaq. in obſtantes collidunt agmina nubes :
Vnda ſuper notas exundat ſanguine ripas.
Nec ſupereſt tentare fugam, nec credere ponto.
Ecce omnes periere vadis, quot corpora ſaltu
Præcipites miſere in aquas : fluuioq. natantes
Heu miſeros Phlegethon flagrãtibus abſtulit vndis.
Par meritis ſtatio, quò pridem infeſta vocabant
Tartara, & ardentes pœnis vltricibus ignes.
Hoc ſcelerum genus omne dabat, Pietaſq. Fideſq.
Spretaq. Relligio, & magni violata Tonantis
Fœdera; quid vos ò fœdis ſine numine templis
Diuitias pelagi, aut Arabos effundere odores,
Aùt gemmas, omnemq. iuuat conſumere Gangem?
Tuq. adeo victor, ſpoliĳſq. ornate ſuperbis
Conſere captiuas puppes, Zephyriſq. vocatis
Noſtra catenatus ad mœnia dirige turmas.

Hic

Hic mecum tua vota feres, his protinus aris
Munera ſacrabis ; debentur munera Cœlo ,
Vnde fluunt ; propiore Deus, Deus impia bella
Flumine turbauit. pauidumq; remiſit in hoſtem
Funera . Tu fauſti, quodcunq. hoc ducimus aui
Feciſti ò Genitor; tibi reddimus : accipe donum ,
Æterniſq. iterum natos complectere donis .
Sic ait, at ciues votis pia vota ſequuntur .

B. ALOISIVS GONZAGA indolem armorum traducit ad victoriam ſui .

X I V.

LVdis inexpertis Aloiſi pulcher in armis
Maior auis, patrioq. audes dare nomina bello:
Nec Cœlo ventura vides gratiſſima pacis
Otia, quæ ſacris, longùmq. tuebere curis .
Bellica tela puer, duroq. immitia vallo
Mitte rudimenta, & rigido iam parce labori;
Haud bene ſub tenero crudeſcit pectore Mauors.
Aut ſi bella placent, primos aſſueſce per annos
Terribiles erebi formas ; ipſumq. potenti

Inter monſtra manu violare Acherontia regem;
Sydereas referes Roma plaudente coronas.
Patria bella ſequens iuſſuq. egreſſus ab alto
Caſtilione puer dominæ vicina Cremonæ,
Claraq. collectis Aloiſius oppida turmis
Venerat: Eridanum propter, quà turbidus implet
Cenomanum pingues Alpino flumine valles.
It bello cogenſq. Italas Gonzaga cohortes
Maurica Fernandus molitur in æquora Claſſem;
Tuneta cùm fremeret, longèq. vocaret Iberus,
Puppibus & Libycas Hiſpania frangeret vndas.
Tum puer, & pueros inter pulcherrimus omnes
Quatuor implebat veniens Aloiſius annos,
Seq. duces inter ſpectabilis ora ferebat.
Quem maculis bicolor, phaleriſq. inſignis & auro
Innectum portat Senipes, dominumq. regentem
Ne lædat, placidis metitur paſſibus agros.
Ipſe ſuper, vultu roſeos aperire nitores,
Celariq. puer radianti caſſide frontem,
Et criſtas gaudet Zephyris vndare comantes:
Aureus atq. humeros, & pectoris aureus arma
Luce repercuſſa nitido colludere Soli;
Criſpaturq. chlamys tyrios imbuta rubores,
Gemmantiq. artus aduerberat aſpera limbo.
Sic adeo inuehitur medius: plauſuq. ſecundo
Conuertere oculos acies, & munere primo
Exultat teneri miles Ducis. ilicet omnes
Armorumq. decus, pulchraq. ſub indole formæ

Olim venturos iam tum videre triumphos:
Nec tamen incertis firmarunt omina dictis,
Creſce puer, quanto pariter iam ſulmine creſcit
Armipotens, ornatq. tuo ſe nomine virtus!
Si tu bella regis, Maura non Italus vnda
Bella ferat; totum ſed marte domabilis Orbem
Barbare complebis Scythicis Othomane ruinis,
Et fracta Odryſia plorabis cornua Luna:
Atq. omnes ſub frena ibunt Aloiſia gentes.
Tu quoq. ſi regnis libeat certare profundis,
Tænareos inuicte vales mactare dracones,
Et trahere innexas colubris ardentibus Hydras.
Extremis puer arriſit, dextramq. minantem
In ſtygios armare duces, & lumina, ſumma
Fronte videbatur furiali accendere bello.
Ante illum volucres cœtu famulante Lepores
Depictiq. alas volitant, & dulcia blando
Arma miniſterio, dominiq. inſignia portant.
Hic gerit aurata lucentem cuſpidis haſtam:
Hic torquenda manu lunato ſpicula cornu:
Sclopus onuſta cauo grauat illi brachia ferro:
Alter acerba minax nudato fulgurat enſe:
Ægide at ille ferox, clypeiq. vmbone coruſcat
Gentiles Aquilas, regnatoreſq. Leones.
Quin etiam duo connixi fulgentibus alis
Certatim, atq, humeris, & toto pectore anhelant
Ænea ducentes patulos tormenta per agros.
It tereti baliſtæ tubo, ſtriderq. rotarum

Semianimum ſtrauit, dominoq. ſubegit Olympo,
Iniecitq. ſacro: feralibus ignibus ignes.
Et tibi ſors eadem ſupereſt; idem ardor in hoſtes
Incitat; eluxit fauſto iam lumine ſignum,
Et fatale vocat fulmen patris. igne tonanti
Iam percuſſa iacet, campoq. extincta Voluptas:
Plorat Honor fractos inhonoro vulnere faſces.
Aggredere, atq. auſis melioribus incipe bellum.
Sic ait, & Solis fugiens feſtina iugales
Miſit ad Italiam ſubita ſe Gratia lapſu,
Paruulus horrifico tremefactus pectora motu
Proxima tecta puer cari genitoris, & omnes
Explorans aditus foribus penetrarat apertis.
Atq. extra pauidos ſeruantes arma Lepores
Huc, illuc pennis rapuit fuga. conuocat aruis
Continuo trepidos atq. increpat alma Virago:
Vos quoq. pro cunctis auſis mihi pendere pœnas,
Atq. hæc arma decet non veſtri abducere belli.
Tollite vulnificos, quid enim mihi ſumitis? enſes.
Non his Gonzagam ſtudijs, non deſtinat armis,
Pacifera cui longa Deus parat otia vita.
Ipſa ego diſtribuam iuſtiſſima partibus æquis
Munera, ſecreto ſuperi quæ numine firmant.
Mollior hæc capies horrentibus hiſpida ſetis
Veſtimenta puer, Cilicumq. aſperima textu:
Ipſe catenata portabis ferrea virga
Pondera, purpureos humeris raptura cruores:
Sanguineis tu lora notis, & fune retorto
Verbera:

Verbera: tu furtim raptis hæc fragmina truncis,
Excutiant dulces vt ſtrata per aſpera ſomnos.
Fruſtula tu duræ Cereris, potumq. fluenti
Gurgite: tu fixura latus calcaria ſæuo
Inſpicata feres, radiataq. ſydera ferro.
Tu lacrymis perfuſa puer chryſtalla coäctis
Accipe. quot ſuperis lacrymarum perlita fluctu
Vota dabit Gonzaga, ſuos vt ab imbribus ignes
Augeat! hæc domino memores ſeruate Lepores.
Sic fatur, iuſſiſq. cohors accingitur ardens
Officijs, operiq. manus, oneriq. laborant.
Conuertere oculos taciti, ſpectantq. viciſſim,
In quæ vicem blando luſerunt munera riſu.
At puer irati egreſſus tentoria patris,
Ignoti vt vidit rigida inſtrumentea doloris,
Ingemuit, raptaſq. ſibi crudelibus auſis
Impatiens repetebat opes; cum protinus ora
Gonzagam lacrymis rorantem, & multà querentē
Gratia ſolatur dictis, ſenſuſq. ſerenos
Et dulces animæ dicendo inſpirat amores.
Aſpicis? accipies Aloiſi hæc munera Cœlo
Miſſa, quibus bello venturos nunciat olim
Ipſe parens Diuum curru radiante triumphos.
An non ſic veteres ineunt pia bella parentes?
Et rigido ſanctas referunt certamine lauros?
Quid cupis infidas Maſſyla per æquora ſyrtes,
Aut Lybicos intrare ſinus? ſerpentibus atris
Illa necem puero iam ſibilat horrida tellus,

Vndaq.

Vſq. adeo ne pati refugit, menſq. horret amaræ
Nutrimenta necis? ſtygijs quin clauſa cauernis
Supplicia, & tenebris cinctos nigrantibus ignes
Nox vehis? adde Hydras, ſectoq. feracia collo
Pectora, crinales tu Gorgonis ore dracones
Iunge, flagellantes iuſſis furialibus angues,
Robora, flammiferaſq. ſudes: tu pondera ferri
Et glaciem, æternaſq. niues, atq. omnia miſce
Tartara. num pœnis quondam ſatiabor amicis?
Atq. auido inuiſas nunc Scorpius aggerat iras?
Quin potius tu rerum opifex, tu ſola voluptas,
Atq. animæ lux vna meæ Deus, ò mihi iuſtos
Emerito molire omnes operate dolores.
Si trifidis placet hoc flammis extinguere pectus:
Fulmineas iaculare faces, accende repoſtas,
Vre precor, tædis animæ populare latebras.
Si merſare vadis, prædamq. per æquora ſæuis
Hanc monſtris inferre placet: me me inijce ponto,
Me petat, inq. vnum cœleſtis machina peſtes
Exoneret. pœnis eſt hoc habitabile pectus
Innumeris; effunde omnes, explebis amantem
Semper inexpletum. Iam pridem corpora cunctis
Supplicijs deuota gero, perq. arma, per ignes,
Per freta, turbati per mille pericula ponti
Diuinis freno indomitos ſub legibus Indos.
Imminet in iugulum, ſtricto mihi fulminat enſe
Interea miles: direptam ſpicula inumbrant
Miſſa diem: totis aut viribus ingerit haſtam

Barbarus, aut miſcet magico mala cimbia ſucco,
Aut immergit aquis, merſoq. incendia portat:
Vt tandem, ah fœlix, tantoq. indignus honore
Inteream. voluere diu, tamen irrita vota
Incaſſum cecidere; Pater ſine comminus enſes
Enſibus, arma armis iungant, atq. ignibus ignes.
Si fragiles in tela manus in vulnera laxant,
Cœleſtes huc verte iras; caput omnibus vnum
Obrue ſæpe malis; odi implacabilis artus
Heu deſertores animæ, ſenſumq. rebellem
Cordi obluctantem, diuinaq. iura prementem.
Quod ſi imbellis adhuc votum abnuis, ibo per ignes
Ipſe ego me medios trudam moriturus in hoſtes,
Armatas irrumpam acies, in me horrida bella
In mea barbaricum conuertam viſcera ferrum,
Occumbam Eois, Cœlo data victima, campis.
Et vos, Ignari ſoboles, quam poſtera vitæ
Secla manent, Cauris vacuos, ac turbine rauco
Ne ſperate dies; ſurgent Aquilone procellæ,
Nec vacat ora maris: nimboſaq. nubila turbant
Solis vtramq. domum. vobis quoq. dura ferendo
Exuperare datum eſt: venturi ſigna doloris
Extulit, atq. aderit facta inter fortia Numen.
Sic ait illacrymans, tacitaq. in mente labores
Voluit inexhauſtos, oculis ſe largiùs imber
Egerit, in nubem conſpecta receſſit imago.
At verò effuſis vt nuncius ore querelis
Xauerium ſenſit ſecretam incendere noctem

Aduo-

Aduolat, & propior, Ceſſas ne? & cruda tuorum
Funera, præſentemq. Pater ſubducere mortem
Negligis? exclamat; pereunt, & flumine campos
Sanguineo complent, tu longè hæc littora ſeruas?
Nec dum auidos prædæ Badagas, non prælia ſentis?
Et gemit extinctas iam forte Trauancoris vrbes.
Vix ea; cum rebus ſubitò Franciſcus acerbis,
Excitus, atq. animo ventura pericula voluens
Agnoſco, quid ſua, inquit, ſub imagine Cœlum
Nunciet. Hi luctus fuerant, hic horror, & enſis.
Haud mora: ſtat cunctos ſemel exhaurire furores.
Dixit, & accelerans medijs volat ocyor aruis,
Auxilioq. ſubit. Non illum vaſtus arenæ
Tardat ager: magni pendentibus inuia ſaxis
Non Gatis nemora, aut præceps de culmine ſaltus
Obſtitit. Vt quondam ſolitus non paſſibus æquis
Exultare Gigas, ſiquando immenſa viarum
Decurrat ſpatia, & campo volet altus aperto.
Talis abit: non ille ſui, non ille pericli
Trans montes, fluuioſq. memor, valleſq. profundas:
Omne vorat nec feſſus iter; ſi nocte quietem
Sol agit, ille viam celerat: ſi mobilis effert
Axe diem, ſequitur, Solemq. celerrimus æquat,
Donec ad aduerſa veniens ſtetit æquora terræ.
Iam ciues (quamquã extremæ non vlla ſalutis
Spes aderat) clauſis defendere mœnibus hoſtem,
Atque auſi cladem tenui diſcludere vallo.
Sed funeſta dies perituris vltima Regnis

Venerat.

Venerat . obſtantes ſtrauere tonitrua muros,
Et miſſæ aëre faces aditus fecere patentes,
Hoſtis adeſt, mugitq. tubis, & fulgurat armis.
Quis populos lacrymis media iam morte natantes
Defleat ? Aſtabat ſimul immoritura Iuuentus ,
Non pauidæ iaculis dextræ, non enſe coruſcant.
At contra Badagæ ardentes clamore ſecundo
Inſultant: tenuere aditus, aut ſtructa reuellunt
Clauſtra manu, aut muros, longèq. euerſa domorũ
Culmina præcipitant ; nullos tamen enſis ad ictus,
Nec dum tela cadunt altos bibitura cruores.
Verum inter primi volitantia fulmina martis
Emicat aduerſo Franciſcus ab aggere, quà ſe
Tectis turba ruens patrijs miſeranda premebat.
Et procul ; Immitis caram quis barbarus vrbem?
Teq. petit ferro ſanguis meus ? eijce curas ,
Siſte gradus: adſum: pugnandum cõminus vni eſt:
Me mãnet iſte labor : ſuperis ſi morte litandum,
Emoriar victor . Dixit, ſubitòq. timendos
Euolat in cuneos, cedentemq. impulit hoſtem .
Barbarus infremuit, rabiduſq. Hic veſtra moretur,
O pudor, arma duces ? proſternite . Flammeus ora
Xauerius contra, dextramq. erectus inermem:
Vos ne, inquit, Badagæ teneram, Cœloq. paterno
Creſcentem ſobolem crudeli excindere bello
Speraſtis? Non iſtã Deus compendia vitæ
Annuit . infernæ procul hinc abſcedite Diræ.
Sic ait, incurſuq. minax properabat in hoſtem

Sſtri-

Stridentemq. magis, conuerſaq. tela mouentem.
Ecce horrendus atrox Cœlo Franciſcus aperto
Vaſta Giganteis producere corpora membris
Viſus, & ingentes armare in nubila vultus.
Ardent ora viro, manibus duo fulmina vibrat:
Torta ſonant oculis tremulæ duo fulgura flammæ.
Talis obit veſtis, qualis demiſſa per artus
Squamea ferratos lorica intexeret orbes.
Iamq. altas verſare faces, tonitruq. tumultus
Terrificos, raptiq. iugum diſpergere montis
Semianimes videre manu, ſublataq. Cœlo
Brachia conuulſis iaculari ardentia longè
Aſtra globis; totos fugiunt auerſa per agros
Agmina, cedenteſq. animo pudor excutit iras.
Tum primùm niger indomitis terroribus Indus
Palluit, ignotoſq. tremens bibit ore colores.
Deſunt arua fugæ, vox defuit auia linguis:
Funere vita ſimul trepido fugitiua receſſit,
Et paſſim latos texere cadauera campos.
Xauerium ciues, atq. agmina triſtibus armis
Libera palmifero reducem vexere tryumpho.

XAVE-

XAVERIVS ACENOS pugnantes longè diſſitus videt ac vincit.

XIII.

PErla tuis pretioſus aquis, qui gurgite puro
Indica Regna ſecas, Nereiq ſimillimus vndis
Laberis, & fluuios inter lætiſſimus omnes,
Aurea gemmiferi quot ſe trans oſtia Gangis
In mare deuoluunt feruentis ad vſq. Malacæ
Littora; tu, noſtras quæ vix ſonuere per aures
Bella, vales longe ripis reſonare canoris,
Xauerijq. memor veteres narrare triumphos.
Ille coloratos cœleſtia pacis ad Indos
Munera portabat, ſubitòq. in claſſica fortes
Ipſe vocat, ſtimulatq. viros; prior ipſe tubarum
Aera mouet, celeres prior impulit æquore puppes.
Ergò impacatos ſi bello accenderat hoſtes
Somatra diues opum (medio quæ limite mundi
Inſula Sole ardens æqualibus æſtuat horis)
Mœſta ſuos mergi doluit per cærula ciues,
Et cladem domitis fruſtrà indignatur Acenis.

Tuq.

Tuq. nouam texas victrici vt fronte coronam
Exue palmiferos iam lætior India lucos;
Ille ferat pretium pugnæ, qui ſydera votis
Placauit, qui belligeræ procul auius oræ,
Arma tamen ſpargit, tum barbara diſſipat arma
Luxerat alma dies, primi quæ mœnia mundi
Prima tulit: meliore Deus cum ſurgeret aſtro,
Ipſe triumphatis qua Solem vexit auernis.
Et tunc Xauerius ſolemni pulpita luce
Eloquio reſonabat agens diuina fluenti
Munera: ſollicitaq. per aurea templa Malacæ
Afflanti pauidos mulcebat numine ciues.
Iamq. procul bellis iuuenes naualibus ardent,
Nec dum ſanguineo volitat certamine Mauors.
Altera claſſis erat ſuperis quam fortis in armis
Luſitane moues: feſto Victoria plauſu
Quam ſequitur, placidiſq. volans aſſibilat auris.
Altera barbaricis nequicquam vlulata maniplis
Nudis informes cuneis cogebat Acenos.
Vnà omnes ruere, & validis incumbere tonſis
Quicunq. auriferas inuertunt vomere glebas;
Taprobane quà diues opum ſitientibus aruis
Gignit odorato redolentia cynnama ligno,
Arboreiſq. comis, diſcretaq. flumine tellus
Larga metalliferis effundit aromata campis.
Quiq. ſolent curſu pugnas ſimulare fugaces,
Et Palmeta ferunt ſcopulos vicina per Indos.
Turcica quin etiam crudelibus arma Tyrannis

Qui

Qui tractant: Ægypte tuis Othomania longè
Qui iura imponunt populis, & claſſibus actis
Littora Erythræi radunt inimica profundi.
Hi dubias tumidi fugientes æquoris iras
Puppibus aduerſo ſubierunt flumina lapſu,
Et validas celant ripis tutantibus alnos.
At Luſitanis placabilis vnda carinis
Sternitur, & ventis tranquilla per alta ſecundis
Lenè tumeſcentes obliquat Carbaſus auras,
Impellitq. leues ad fluminis oſtia pinus:
Et locus, hybernis aberant & iura procellis.
Quippè ſub æſtiuo flammatus Sole December
Flagrantes iterum ſuccenderat ignibus Indos,
Cum daret Europæ breuioris frigora Brumæ.
Sed paulum ardentis tepefecerat arua Malacæ,
Longè inclinati ſpectans, quæ ſydera Capri
Non procul à rectis ſua ſydera terminat aſtris.
Hic vbi Gangaridum trans Regna, ſinuſq. beatos
Flexa recuruatis protenditur India terris,
Rurſus & Arctoos conuerſa recurrit in axes.
Tùm pelago anguſtos intercurrente tumultus
Syncapura tuos audit, nec diſſita longè
Æſtiferum nebulis conueſtit Somatra Solem.
At parte ex alia natiuo nobilis auro
Longa iacet dominæ tellus regnata Malacæ.
Illic triſte coit collecta in nubila Cœlum,
Nec caret imbre dies, nimio qui torridus æſtu
Vritur; arboreis vel frigora colligit vmbris,

Sylua

Sylua frequens latis annoſa quòd imminet aruis:
Aut ſpatioſa iugis, aut æquoris accubat vmbris.
Ah mihi non illis libeat requieſcere lucis,
Nec triſti faciles agitare ſub arbore ſomnos.
Tot circumuolitant rabidarum monſtra ferarum,
Et lacerata truces paſcuntur corpora Tigres.
Sæpius aëriæ frondoſæ cacumina palmæ
Hoſpes adit, tutos neq. habent ea tecta ſopores.
Tigris *adeſt ſummiſq. vmbroſa cubilia ramis*
Exuperat ſaltu, thalamumq. hominemq. reportat.
Ver tamen aſſiduum placidus ſibi temperat annus.
Biſq ferax grauidis oneratur frugibus æſtas.
Ergo Malacenſi dum perſonat aurea templo,
Xaueriæq. trahit populos facundia linguæ;
Ecce Pater ſubito compulſus numine mentem
Reſtitit, aſpexitq. procul, queis comminus armis
T*errificant geminæ* Perlen*ſia flumina claſſes.*
Ceu quondam ſpectat Solymæ, ſanctoq. reuoluit
Ore P*alæſtinus venientia ſecula Vates.*
Continuò P*ater ancipitis diſcrimina pugnæ*
I*ncipit è ſacris referens componere roſtris.*
En, ait, aduerſas video concurrere puppes,
Et multo æquoreos miſceri ſanguine currus.
Barbare quid pugnas patrijs moriturus in vndis?
Haud Luſitanas victoria deſeret alnos.
Digna viris merces; ſed enim cœleſtibus armis
Bella mouent: video Superos inimica prementes
Nubila, & armatas violento fulmine dextras.

T*uq.*

Tuq. vadis fluuius non conceſſure profundis,
Vorticibus rapidis properantes incute pinus.
Et maris in ſpeciem ſtagnantibus altior vndis
Fluctibus adde iras, totiſq. effundere ripis;
Præda tibi dilecta venit. Fluuialibus hoſtis
Qui modò ſuccedens incluſerat agmina ripis,
Flumine iam prono pelagi deſcendit in æquor.
Contra denſa ratis curuo petit oſtia cornu,
Quæ Luſitanis apparet ab æquore velis.
Et iam ſulphureis diſploſa tonitrua flammis
Fulmen agunt; certo deſcendit turbine fulmen,
Exitium, ſtragemq. rotans. Tu barbare Ductor
Stridenti percuſſa gemis Prætoria ferro.
Frangitur, abruptiſq. ratis ſubmergitur vndis,
Spemq. ducemq. trahens. Curſus prohibete ſecūdos,
Ite aliæ circum, quæ fluctibus hauſta, triremes
Robora cinxiſtis, pontoq. & morte natantes
Eripite. hinc oritur primo certamine clades.
Nec mora: conuertere ſuas Othomana carinas
Agmina, & auxilio ſubeunt. pars tollere dextra
Errantes in aquis ſocios; pars flumine raptas
Quærere opes: tonſis rapidos pars vincere curſus,
Nè ferat in præceps fluuius, ne gurgite mergat.
Ecce ſequuturæ, quæ fluctibus ordine pugnæ
Flumineis labuntur aquis, iam proxima findunt,
Obuiaq. obſtantes incurrunt roſtra carinas,
Et crepuere ſimul: mox tertia comminus vrgent,
Atq. aliæ, extremo ſubeunt quæ robora ſigno.
H Scin-

Scindit prora latus, lateriq. obſtricta cohærent
Certatim latera, auerſis aut æquore proris
Puppibus incuſſæ puppes : non lintea ruptos
Vlla tenent malos, remis non frangitur amnis,
Perpetuumq. manet celata per æquora bellum.
Tu quoq. præcipitas contra iam victor ab alto
Luſitane moras : ſonitu ter miſſa tremendo
Tela, ter impulſo tonuere minantia ferro,
Ter fœdam cuneis ſtragem, ratibuſq. dedere.
Incaſſum non vlla tonant, lacerantq. refractis
Cum trabibus iuuenes, merguntq. natantia fluctu,
Seu denſa vmbrato diſpergunt robora Cœlo,
Raptaq. in obſtantes collidunt agmina nubes :
Vnda ſuper notas exundat ſanguine ripas.
Nec ſupereſt tentare fugam, nec credere ponto.
Ecce omnes periere vadis, quot corpora ſaltu
Præcipites miſere in aquas : fluuioq. natantes
Heu miſeros Phlegethon flagrãtibus abſtulit vndis.
Par meritis ſtatio, quò pridem infeſta vocabant
Tartara, & ardentes pœnis vltricibus ignes.
Hoc ſcelerum genus omne dabat, Pietaſq. Fideſq.
Spretaq. Relligio, & magni violata Tonantis
Fœdera; quid vos ò fœdis ſine numine templis
Diuitias pelagi, aut Arabos effundere odores,
Aut gemmas, omnemq. iuuat conſumere Gangem?
Tuq. adeo victor, ſpoliïſq. ornate ſuperbis
Conſere captiuas puppes, Zephyriſq. vocatis
Noſtra catenatas ad mœnia dirige turmas.

Hic

Hic mecum tua vota feres, his protinus aris
Munera ſacrabis; debentur munera Cœlo,
Vnde fluunt; propiore Deus, Deus impia bella
Flumine turbauit, pauidumq. remiſit in hoſtem
Funera. Tu fauſti, quodcunq. hoc ducimus aui
Feciſti ò Genitor; tibi reddimus: accipe donum,
Æterniſq. iterum natos complectere donis.
Sic ait, at ciues votis pia vota ſequuntur.

B. ALOISIVS GONZAGA indolem armorum traducit ad victoriam ſui.

XIV.

LVdis inexpertis Aloiſi pulcher in armis
Maior auis, patrioq. audes dare nomina bello:
Nec Cœlo ventura vides gratiſſima pacis
Otia, quæ ſacris, longùmq. tuebere curis.
Bellica tela puer, duroq. immitia vallo
Mitte rudimenta, & rigido iam parce labori;
Haud bene ſub tenero crudeſcit pectore Mauors.
Aut ſi bella placent, primos aſſueſce per annos
Terribiles erebi formas; ipſumq. potenti

Inter monſtra manu violare Acherontia regem;
Sydereas referes Roma plaudente coronas.
Patria bella ſequens iuſſuq. egreſſus ab alto
Caſtilione puer dominæ vicina Cremonæ,
Claraq. collectis Aloiſius oppida turmis
Venerat: Eridanum propter, quà turbidus implet
Cenomanum pingues Alpino flumine valles.
It bello cogenſq. Italas Gonzaga cohortes
Maurica Fernandus molitur in æquora Claſſem;
Tuneta cùm fremeret, longèq. vocaret Iberus,
Puppibus & Libycas Hiſpania frangeret vndas.
Tum puer, & pueros inter pulcherrimus omnes
Quatuor implebat veniens Aloiſius annos,
Seq. duces inter ſpectabilis ora ferebat.
Quem maculis bicolor, phaleriſq. inſignis & auro
Innectum portat Sonipes, dominumq. regentem
Ne lædat, placidis metitur paſſibus agros.
Ipſe ſuper, vultu roſeos aperire nitores,
Celariq. puer radianti caſſide frontem,
Et criſtas gaudet Zephyris vndare comantes:
Aureus atq. humeros, & pectoris aureus arma
Luce repercuſſa nitido colludere Soli;
Criſpaturq. chlamys tyrios imbuta rubores,
Gemmantiq. artus aduerberat aſpera limbo.
Sic adeo inuehitur medius: plauſuq. ſecundo
Conuertere oculos acies, & munere primo
Exultat teneri miles Ducis. ilicet omnes
Armorumq. decus, pulchraq. ſub indole formæ
Olim

Olim venturos iam tum videre triumphos:
Nec tamen incertis firmarunt omina dictis,
Creſce puer, quanto pariter iam fulmine creſcit
Armipotens, ornatq. tuo ſe nomine virtus!
Si tu bella regis, Maura non Italus vnda
Bella ferat; totum ſed marte domabilis Orbem
Barbare complebis Scythicis Othomane ruinis,
Et fracta Odryſia plorabis cornua Luna:
Atq. omnes ſub frena ibunt Aloiſia gentes.
Tu quoq. ſi regnis libeat certare profundis,
Tanareos inuicte vales mactare dracones,
Et trahere innexas colubris ardentibus Hydras.
Extremis puer arriſit, dextramq. minantem
In ſtygios armare duces, & lumina, ſumma
Fronte videbatur furiali accendere bello.
Ante illum volucres cœtu famulante Lepores
Depictiq. alas volitant, & dulcia blando
Arma miniſterio, dominiq. inſignia portant.
Hic gerit aurata lucentem cuſpidis haſtam:
Hic torquenda manu lunato ſpicula cornu:
Sclopus onuſta cauo grauat illi brachia ferro:
Alter acerba minax nudato fulgurat enſe:
Ægide at ille ferox, clypeiq. vmbone coruſcat
Gentiles Aquilas, regnatoreſq. Leones.
Quin etiam duo connixi fulgentibus alis
Certatim, atq. humeris, & toto pectore anhelant
Ænea ducentes patulos tormenta per agros.
It tereti baliſta tubo, ſtriderq. rotarum

Orbita, & impreſſam ſulco deſcribit arenam.
Ipſa ſuper, flammas, vacuo quamquã ore, tonantes
Et vidua ereptum meditatur machina fulmen.
Æſtiuus calidi tunc Sol altiſſima Cancri
Tardiùs elato rapiebat ſydera curru,
Et ſua Solſtitio ſignabat cingula Cœlum.
Summa dies medios cum fortè accenderat æſtus
Fuſus & vmbroſis miles requierat in aruis.
Sollicitus teneros Aloiſius ore miniſtros
Tum vocat, & factis aperit mandata futuris.
Aptari tormenta iubet, ſtudioq. ſilenti
Fulmineum curuo, tonitru fabricare metallo.
Accelerat pennata cohors: pars fuſile collum
Tergere: pars modulis nitroſa attemperat æquis
Sulphura, venturis infundens pabula flammis:
Conijciunt alij capitatæ haſtilia Virgæ,
Et nigros preſſant cineres, atq. arida ſæuis
Nutrimenta focis addunt, & hiantia ferro
Ora laborantes, & adacto fulmine complent.
Ipſe autem ſonitus agitans Cœliq. tumultus
A tergo exiguo: Aloiſius applicat ignes,
Iniecitq. auxitq. faces. globus ilicet ardens
Erupit fregitq. diem, cui protinus alas
Et fragor, & fulgor, piceiq. volumina fumi
Fecere: anteuolant cædeſq. alteq. ruinæ
Terrificant, ſtrageſq. fremunt; vt Sole ſereno
Obrueret tonitru, Cœliq. imitabile fulmen.
Stabat fortè vetus paries ſemiuſtaq. contra
Limina,

Limina, vbi quondam muliebri ſplendida cultu
Picta renidebat, medicataq. crin Voluptas:
Et ſociam comitatus Honor; cui plurimus auro
Fulgor obit veſtes, vmbrantur tempora gemmis.
Incedunt pariles, reſidentq. virentibus herbis,
Et riuos iuxta, Zephyriq. ad murmura gaudent
Mollibus in pratis perituros carpere flores.
Huc, quamuis certos non collibraſſet ad ictus,
Immiſit Gonzaga globos: diſiecta per agros
Rudera, & effuſis iacuerunt ſaxa ruinis:
Et lacerata ſuos flerunt ſimulacra colores.
At puer expauit fugiens, factiq. timentem
Pœnituit; rediere rotis ſtridentibus axes,
Authoremq. ſuos pene inuoluere per ignes.
Illum implorantem famuloſq. ad ſ ra cientem
Auxilia, æthereis miſerans clariſſima longè
Vidit ab vſq. plagis, atq. annuit ore ſalutem
Gratia. Phœbeos vnà conſcenderat axes,
Solis & illa comes medio luſtrabat Olympum
Culmine; ſubiectas vnde aſpicit ardua terras;
Atq. hominum ſanctis fœcundat pectora donis.
Gonzagæ ante quidem curas, & prælia iuſſit;
Æra ſed ignifero poſtquam tonuere metallo;
Hactenus iſta puer (dixit) per tela, per ignes
Tu quoq. mutatæ referes noua gaudia vitæ.
Talis in aduerſos animoſus Cantaber hoſtes
Caſuras Loiola manu dum ſuſtinet arces:
Indomitum baliſta ducem, teloq. frementem

Semianimum ſtrauit, dominoq. ſubegit Olympo,
Iniecitq. ſacro: feralibus ignibus ignes.
Et tibi ſors eadem ſupereſt; idem ardor in hoſtes
Incitat; eluxit fauſto iam lumine ſignum,
Et fatale vocat fulmen patris. igne tonanti
Iam percuſſa iacet, campoq. extincta Voluptas:
Plorat Honor fractos inhonoro vulnere faſces.
Aggredere, atq. auſis melioribus incipe bellum.
Sic ait, & Solis fugiens feſtina iugales
Miſit ad Italiam ſubito ſe Gratia lapſu.
Paruulus horrifico tremefactus pectora motu
Proxima tecta puer cari genitoris, & omnes
Explorans aditus foribus penetrarat apertis.
Atq. extra pauidos ſeruantes arma Lepores
Huc, illuc pennis rapuit fuga. conuocat aruis
Continuo trepidos atq. increpat alma Virago:
Vos quoq: pro cunctis auſis mihi pendere pœnas,
Atq. hæc arma decet non veſtri abducere belli.
Tollite vulnificos, quid enim mihi ſumitis? enſes.
Non his Gonzagam ſtudijs, non deſtinat armis,
Pacifera cui longa Deus parat otia vita.
Ipſa ego diſtribuam iuſtiſſima partibus æquis
Munera, ſecreto ſuperi quæ numine firmant.
Mollior hæc capies horrentibus hiſpida ſetis
Veſtimenta puer, Cilicumq. aſperima textu:
Ipſe catenata portabis ferrea virga
Pondera, purpureos humeris raptura cruores:
Sanguineis tu lora notis, & fune retorto

Verbera: tu furtim raptis hæc fragmina truncis,
Excutiant dulces vt ſtrata per aſpera ſomnos.
Fruſtula tu duræ Cereris, potumq. fluenti
Gurgite: tu fixura latus calcaria ſæuo
Inſpicata feres, radiataq. ſydera ferro.
Tu lacrymis perfuſa puer chryſtalla coäctis
Accipe. quot ſuperis lacrymarum perlita fluctu
Vota dabit Gonzaga, ſuos vt ab imbribus ignes
Augeat! hæc domino memores ſeruate Lepores.
Sic fatur, iuſſiſq. cohors accingitur ardens
Officijs, operiq. manus, oneriq. laborant.
Conuertere oculos taciti, ſpectantq. viciſſim,
In quæ vicem blando luſerunt munera riſu.
At puer irati egreſſus tentoria patris,
Ignoti vt vidit rigida inſtrumentea doloris,
Ingemuit, raptaſq. ſibi crudelibus auſis
Impatiens repetebat opes; cum protinus ora
Gonzagam lacrymis rorantem, & multà querentẽ
Gratia ſolatur dictis, ſenſuſq. ſerenos
Et dulces animæ dicendo inſpirat amores.
Aſpicis? accipies Aloiſi hæc munera Cœlo
Miſſa, quibus bello venturos nunciat olim
Ipſe parens Diuum curru radiante triumphos.
An non ſic veteres ineunt pia bella parentes?
Et rigido ſanctas referunt certamine lauros?
Quid cupis infidas Maſſyla per æquora ſyrtes,
Aut Lybicos intrare ſinus? ſerpentibus atris
Illa necem puero iam ſibilat horrida tellus,

Vndaq. collectis iraſcitur aſpera ventis.
Finge animo maiora: meis fortiſſime telis
Æſtiferas non tu Nomadum penetrabis in arces,
Tuniſeos Italo non franges milite muros;
Sed vaſti trans regna maris, trans vltima Mundi
Sydera ſubiectas mirari Aloiſia gentes
Nomina: purpureos nullo diſcrimine reges
Vndiq adorantes, populoſq. patreſq videbis
Feſta coronatas componere ſerta per aras.
Roma prior ponet titulos, temploq. ſacrabit:
Atq. vbi virgineo fœcundat viſcera fœtu
Mater, inaurato ſedes auguſta ſacello
Inſeret aut diues gemmas, maculoſaue multo
Marmore virgatos onyches altaribus addet.
Non patrius Latio collis, non cedet honori
Mantua, non ſupplex votis ſolemnibus Orbis.
Hæc Gonzaga meis naſcentur gaudia donis.
Accipe: Cuncta leuis frangit dolor; vnaq. merces
Soluitur, æternis texit quam Gloria palmis.
Hæc ait, ille animos inclinat, & aurea niſu
Aligero, patrijs ſe Gratia reddidit aſtris.

ALOI-

ALOISIVS PVER LVDICRA Militię ſpectacula auerſo aſpectu eludit.

X V.

Non tu (quāquā aderas Aloiſi) ardētia pugnæ
Pacifera ſimulacra vides: & claſſica Martis
Ludicra ludebas, oculos tibi victor apertos
Cum velaret Amor, *cupidæ qui lumina mentis*
Laxabat diuinus Amor: Cœloq. iubebat
Non defectura ſpectacula cernere pompæ.
Ipſa per vmbroſas memorare I*nſubria valles*
Vberibus diues campis, centumq. ſuperbas
I*mperio complexa Vrbes; memor ipſa tenacem*
P*ropoſitæ iuuenem Virtutis, & aurea vota*
Dicere, & auguſtis famam potes addere factis.
G*onzagam ſimulata inter tu bella modeſtos*
D*emittentem oculos vidiſti; atq. ærea campo*
Cornua cum ludos canerent, haſtaq. minaci
Miles in aduerſam procurreret obuius haſtam:
Senſiſti curſus, auerſo & inania vultu
Prælia ridentem: tum rapto ad Sydera corde

Bella

Bella intentantem ſuperas habitura coronas.
Sydere iam fauſto duodenos egerat annos,
Et ſancti Gonzaga tener nutritor amoris
Ad Mediolani ſedes, vrbemq. potentem
Iuſſa paterna ſequens venit puer. Inſuber aruis
Quà validus regnat domino regnatus Ibero.
Ipſe parens Natum ſpectandi ad mitia martis
Munera Ferdinande vocas; cum belliger arma
Cogeret Hiſpanus, cenſuſq. agitaret equeſtres,
Ibant purpurei chlamydes, cultuq. decoro
Florentes equites fulgentia tela coruſcant,
Et belli ſimulant ſtudijs pacalibus iras.
Vaſta patet moles, defenſaq. mœnibus altis
Circumdat foſſis vigilem cuſtodibus vndam;
Stantq. ſuper magnam validis compagibus vrbem
Ferrati poſtes, & inexuperabile vallum.
Altera non inter, ſe tantum ſuſtulit arces
Arx Italas, tanto non vertice ſydera tangit;
Ardua compoſitis tot propugnacula ſaxis
Aere tonant: ſtragem rapido ſic turbine torquent:
Clauſus ab elato ſic fulminat aggere miles.
Panditur ante arcem, vaſtis & finibus ingens
Area ciuiles longe diſterminat ædes.
Huc latè exciti Populi, quiq. Alpibus altis
Æternas preſſere niues: Taurinaq. propter
Mœnia qui campos; & qui tenuere feraces
Cœnomanum valles, Ligurumq. à littore gentes
Accelerant. ſtatuere locos, cuneiſq. refertis

Acci-

Accipiunt iligna Patres tabulata coactos.
Tuq. inter primos aurata ſedilia ciues
Spectandus Gonzaga tenes, ſuperiſq. ſecundis
Ah fingis meliora tuo ſpectacula corde.
Ergo puer placido dum condis lumina Marti,
Multa moues, tacituſq. animo Cœleſtia voluis,
Diuinoſq. iterum facibus depaſcis amores.
Iamq. dabat ſonitu ſignum tuba. bellica ſigno
Reſponſant longè lituis, & cornibus æra.
Tum verò ad ſonitus Aloiſius: Intonat, inquit,
At mihi corde magis perituri Buccina mundi,
Et tuba terrificat; quali tuba ferrea cantu!
Triſtis & extremos hominum latura dolores.
Quatuor vnde fremunt agitantes murmura vẽti,
Et raptum aduerſis populantur flatibus orbem,
Deſcendet Cœlo Tubicen; proh tortile fulmen
Fit tuba, ſtridoremq. cauis eructat ahenis.
Fulguraq. & flammas. imis commota ſepulchris
Accepere ſonum, & cineres aurita dedere
Marmora. Supremæ per magna incendia lucis
Iam volitant animæ, viuiſq. aggeſta cateruis
Denſa Palæſtinas ineunt iam corpora valles.
Heu facies, rerumq. vices; hi crimine vitæ
Surgentes tumulis æterna in funera viuunt:
Hi collucentem Phœbo ſeptemplice currum
Aëre ſublimes, agiliq. altiſſima lapſu
Aſcendunt ſpatia, & magno dominantur Olympo.
Has potius memorate tubas, hos dicite cantus

Morta-

Mortales, hic attonitas ſonor impleat aures.
Nam cur infames ſcopulis latrantibus vndæ
Sirenumq. canor merſura per æquora veſtros
Heu ſenſus hebetant? lituoſq. audire tonantes
Nondatur, extremas viſuq. agnoſcere pœnas?
Interea lato clypeata excurrere campo
Agmina, & alipedes ſenſit reſonare ſuperbos.
At melior, dixit, clypeoq. haſtaq. manuq.
Ipſe animæ ductor, Deus ò, belloq. decorus
Ecce mihi ſpectaris eques; qui Numine quondam
Virgineum afflaſti Pathmæa ad littora Vatem
Seruantem pelagi ſcopulos, deſertaq. duræ
Cycladis: vt ſeros caneret ventura per annos.
Vidit ſtelliferi patefacta cubilia mundi,
Et frangi cum luce diem. Subit ecce per auras
Prima candidior ſonipes niue; quiq. ſedebat
Altus eques, notaſq. manu moderatur habenas:
Fidus, & effando verax æquiſſima Cœlo
Iudicia exercet, Dux & iuſtiſſimus arma.
Ignibus exundant oculi, longèq. micantes
Effudere faces: deſcendit ab ore minaci,
Atq. aciem geminus mucronibus ardet acutis
Enſis atrox. Parce ò Genitor: quid percutis omnes
Heu nimis intento iaculatus fulmine gentes?
Irarumq. grauis tonitru, totaq. furoris
Tempeſtate quatis? rorantem ſanguinis oſtro,
Nec, ſi circumdas chlamydem, cruor ille nocentum
Signa notat: cruor ille tuæ triſtiſſima mortis

Argu-

Argumenta monet; pretioſa fluminis vnda
Cum clauſtra occluſi fregiſti adamantina Cœli,
Vt Populos patrij raperes ad ſydera Regni.
Idem orant ſuperi precibus, votiſq. repoſcit
Vnà qui graditur denſis exercitus alis,
Atq. albis inuectus equis; ille induit artus
Candentes niuibus, tunicaſq. & carbaſa veſtit
Biſſina. Quis penna celeres numerare maniplos
Audeat? incedunt alacres, & ſigna ſequuntur,
Teq. Deum Cœlo circumfunduntur aperto.
Ipſe acies inter medias, atq. arma coruſcas
Rex Regum, Ductorq. Ducum, iuſtóq. coerces
Imperio, dominoſq. premis ſub lege potentes.
Annè erit illa dies, quæ, non frangenda canentem
Sacramenta tuis aſcribat in ordine caſtris?
Et magnis elata ſequar vexilla triumphis?
Iam tibi nunc pugnas, ſtragemq & funera dico
Tartare. Sanguineo nimium crudeſcere bello,
Et Gangem regnare ſuper conaris, & Arcton;
Victe cades, referam prædas ego victor opimas.
Ah mihi dura prius clauſi certamina martis
Inſtabili ſub corde cano; me me ipſe domandum
Accipio. Colubris quæ firmior Hydra reſectis
Sponte reſurgentes è vulnere ſuſcitat angues?
Meme ego peſtifero conſumptum vt Vipera morſu
Depaſco: viuaxq. meis in vulnera rurſum
Surgo malis? Teritur vitium, viuitq. terendo,
Creſcit perq. ſuas ad noſtra pericula cædes.

Hæc verſantem animo iuuenẽ, plaudentia vulgi
Murmura, laudataq. recens victoria palmæ
Impulit. Aduerſis equites in pectora telis
Præcipiti ſpatium curſu rapuere volantes,
Inque ſinus, inque ora graues rupere cupreſſos.
Alter & eduri præceps cum fragmine trunci
Venerat ad terram, fuluaq. iacebat arena.
Aſt vbi frangi haſtas incuſſa per arma trabales
Audijt, & clypeos pulſu gemuiſſe ſonantes,
Ipſe animæ curas renouans Aloiſius: Olim
Sic, ait, Aligeræ clari ſuper ardua mundi
Pugnauere manus. Stetit hinc fortiſſimus armis
Dux Michael, meliorq. mouens in prælia gentem
Fulmineam, & prono venerantem pectore Numen.
Hinc Draco terribili quatiens altiſſima cauda
Sydera, caſuras ducebat in arma phalanges,
Rupit & iratus iam facta ſilentia clangor;
Intremuit Cœlum ſolitu, penituſq. recuſſæ
Telluris pauere ſinus. monſtra, horrida monſtra
Præcipiti lapſu miſeram traxere ruinam,
Horrenduſq. Draco; nectens ille ignea vinclis
Ora catenatis: auulſa volumine caudæ,
Ille trahens patrio ſtellarum examina Cœlo,
Æternumq. iacet flammis religatus auernis;
Tantùm adigit crimen, tumidæq. ſuperbia mentis.
Vos tamen ò ſimili funeſta in Tartara lapſu
Quis ferus adducit mortales? prædaq. Regi
Iam deuota Deo, canibus datur eſca profundis?

Carcere

Carcere deuinctus rugit Leo, corpora iuxta
Quid laceranda moues? te teq. immanibus offers
Faucibus? aſtra tuis dudum patuere triumphis,
Inuitatq. Pater natum; te redde parenti
Dum viuis, dum dona petit, poſt palma ſequetur.
Hæc ait, aſt iterum renouat certamina miles:
Facta iterum memorata puer Cœleſtia voluit;
Illa ſed intentas ludo latuere Camœnas.

ALOISIVS E REGIA Hiſpanienſi ad Regum Regis ditiorem paupertatem euocatur.

XVI.

HIſpanis Auguſta plagis, venerata per Orbē
Aula ingẽs, Regũq altrix, decorũq. creatrix:
(Cui Sol nocte iubar deponit, et aurea frõtis
Lumina credit aquis veniens captiuus Iberis:
Heſperus occiduis oriens cui lotus in vndis
Pronus adorantes inclinat ab æthere currus)
Quid memoras geminos effundere iura per axes?
Et parere tuis vtroq: ab littore gentes

Legibus? incaſſum nitidi congeſta metalli
Pondera, torrentiq. ſolo gemmantia ſaxa
Fundit ab auriferis pretioſa Peruuia *terris,*
I*am tibi fruſtra Oriens, & diuitis* I*ndia ponti*
Roſcida foecundo reſerat cõchilia partu,
Pulcher & aurato decurrit flumine Ganges.
Hæc Gonzaga tuis rerum miracula tectis
Spectauit, turmaſq. ducum, procerumq. cohortes
Et quidquid ſeu Pontus alit, ſeu terra miniſtrat:
Illuditq. fugitq, puer. Cæleſtibus oris
Scilicet ille ſui defixus gaudia cordis
I*ntulerat,* D*iuum manſuraq. regna petebat.*
I*am Cæli geminos circumluſtrauerat orbes,*
Tertius ac bruma gelidum Sol *egerat annum,*
Ex quo ſeruitio ſubiens Aloiſius, aulam
Heſperiam, teneroſq. inter numerandus Ephebos
Imperijs aderat pueri puer. A*lta Philippi*
Sce*ptra ſubit, magni veniens in regna parentis*
Didacus, heu morbis Iuuenis correptus amaris;
Gonzaga dominus tum mollia iuſſa ferebat.
Ille ſed obſequio Regem ſuper aſtra tonantem
Deſtinat, & quondam calamis ſtipulaq. iacentem.
Eſt amor inter opes inopem traducere vitam.
Nox erat, atq. ſui: opifex formauerat vmbris
Aſtriferum radijs interlucentibus aurum:
Stellarumq. duces fulgent, turmæq. minores
Lucida diuitijs popularibus ora tegebant.
I*nſomnis cùm forte puer Gonzaga quietos*

Falle-

Fallebat proceres, gemituſq. & longa trahebat
Vota ; Madritanæ medijs conclauibus arcis
Oranti patulis quà lux obiecta feneſtris
Sydereos aperit crinito examine ciues.
Ille autem largis perfuſus ab imbribus ora
Adiungit lacrymis queruli ſuſpiria cordis.
Siue immaturo mortis quòd vulnere Princeps
Languebat vitæ fugiens iam Didacus oras,
Atq. infœlices miſcebat Iberia luctus:
Siue quòd ipſe ſuæ differri gaudia vitæ
Plorabat ſtimulis animæ conſumptus acerbis:
Nec votis ſperare modum finemq. licebat,
Aut Loiolæis veſtigia ponere caſtris.
Ergo ſerenati conuerſus in ardua Cœli:
Clara domus, dixit, mortalibus orta ferendis,
Quot mihi ſtelliferis fulges ornata pyropis:
Tot mihi ſanguineos nutris ſubeunda dolores.
Diuitias ne tuas aperis, vt paupere cultu
Spretor opes fugiam, ſedes habiturus opimas?
Quis neget hæc auro redimi aurea ſydera? multo
Sanguine quis ſuperi reſcindi adamantina poſtis
Robora? ſed pœnæ ceſſant, abeuntq. doloris
Cara rudimenta, & rigidæ diſcrimina ſortis.
Non ego degeneres animos, non tarda periclis
Corda gero: longè fugiunt quid dura vocantem?
Nunquam difficiles annos, atq. aſpera ducam
Tempora, vt exiguo merces ſit magna dolori?
Quippe vetat domini lāguor. quid vulnere ab vno

Ille iacet, moriorq. miſer? Tu triſtè morantes
Rumpe dolos, diſſolue Pater *mea vincula; viuam.*
Fœlici redimam cœleſtia gaudia luctu.
Sic fatur, lacrymiſq. implet rorantibus ora.
Dumq. gemit, rurſumq. oculis dum ſydera luſtrat,
Ecce per obſcuram ſubitò clareſcere noctem
Lucis iter, longoq. faces albeſcere ſulco,
Cœlicolamq. iubar ſpectauit ab axe mouentem.
Ipſe aderas regnis veniens Iſidore beatis,
Priſca Madritanis celebrant quem nomina terris:
Romaq. compoſitas nuper celebrauit ad aras.
Circulus obliquo veſtibat lumine frontem
Labenteſq. in colla comas. it ſtamine veſtis
Purpureo ex humeris, medio quam cingula nodo
Adducunt lateri: laxo tum libera limbo
Se fundit, genibuſq. tenus demiſſa coërcet.
Seruat virga manum: ſtimulo ceu cultor acuto
Eduxit rigido quondam naſcentia ſaxo
Flumina, feruentiſq. ſoli morientibus herbis
Hauſit eques iuſſis ſalientem cautibus vndam;
Aliger impreſſo campum ſcindebat aratro.
Talis Diuus adeſt. in noctem agnouit euntem,
Procubuitq. puer venerans, precibuſq. fatigat.
Ille autem dictis moerentem affatus amicis,
Quid Gonzaga gemis? dixit: quæ gaudia vitæ
Deploras fugitiua tuæ? Non ſera voluptas,
Quæ tandem vel ſera venit. Sed munera Cœlo
Ecce fluunt, properantq. tuos remouentia luctus.
Quid

Quid fruſtra Domino illacrymas? ſine, triſtia pergãt
Funera: ab his cara duces exordia lucis.
Ipſe tibi certa ſub imagine cuncta reuoluam.
Dixerat, ignotaq. procul venientia pompæ
Agmina monſtrabat, volucreſq. ad frena iugales.
Eſt via, quæ longo per culta noualia tractu,
Perq. iuga ad duplicis tendit confinia regni:
Quà Caſtella potens medio contermina monti
Nomine ſe ſcindit gemino, tum vallibus imis
Excurialis habet regalia culmina molis.
Nixa ibi diſpoſitis ædes camerata columnis
Marmore veſtitur, gemmiſq. auroq. refulget
Auctorem teſtata ſuum. nec pondere tanto
Dona metalliferis fluxerunt Mexica venis,
Aut Cubana ſuæ nituere per æquora gemmæ,
Vt ſtrueret magnus Laurentia templa Philippus,
Syderibuſq. tholos, & tecta minantia Cœlo.
Hinc ergo incedens tacitis egreſſa ſepulchris
Furua manus, manicaſq. & ſyrmata longa trahe-
Ibant velati faciem famuliq. duceſq. (bat.
Pullataq, ſilent auris ceſſantibus vmbræ.
Pars nigras tenuere faces, pars pectora tundunt,
Pars tenui mœſtos meditantur murmure cantus.
At vacuum in medio feretrum ſublime ferebant
Horribiles viſu Pallor, Luctuſq. Dolorq.
Atq. tremens Horror: iuxtaq. Silentia mille,
Mille ſimul Gemitus, Obliuia mille ſequuntur.
Currus ponè rotis, ac ferreus axe remugit;

Horrida vbi ſolio ſqualet Regina ſuperbo
Exeſas populata genas, & lurida frontem,
Conſumptoq. cauas ſuſpendit pector: coſtas.
Illa tamen longè ſublatum fulget in enſem
Ac ſeſe regum ſpolijs ornabat opimis.
At prope iam ſpectans Aloiſius horruit vmbras
Auertitq. oculos; Vanos depelle timores
Diuus ait, rigido quæ tollitur ardua curru
Nonne vides? Mors atra cauis emiſſa cauernis
Aduenit; extremo venientem Didacus horret
Vulnere, & intorto ferientem comminus arcu.
Illa tamen gladio, iuuenili in corpore vitam
Quo metet, ac ſpolium ſtrato ſibi Principe condet:
Hoc tua perrumpet mox vincula. liber ab illo
Caſtra petes dilecta ducis, melioraq. vitæ
Gaudia. Sic fatus nitida ſe luce recondit.
Tũ famulas celerare gradũ Mors impulit vmbras,
Ipſaq. ſe, rapto exuuijs iam Principe veſtit
Regales illapſa domos. Ah ferrea curru
Nunc quoq. terrifico nimium ne romula pulſet
Limina. Cede: Tybris iam pridem peſtibus atris
Ingemit, atq. Italis viduatæ ciuibus vrbes. (ſes?
Quid Ver? Quid calidos populat Mors improba mẽ
Tu propior tumulo Gonzaga effunde ſalutem;
Hoc quoq. Roma tuos templis cumulabit honores.

ALOI-

ALOISIVS FREQVENS in Templo Annunciatæ Virginis adiunctas Societatis Aedes vita & morte illuſtrat.

XVII.

ASpicis ? & ſuperas Aloiſi inuectus in arces
Fraterno dilecta olim tibi limina cœtu
Noſcis ab vſq. tui ſecreto culmine Cœli ?
Hæc domus, intacta ſunt hæc delubra Parentis,
Sollicitus curas,annis vbi caſta ſolebas
Ducere per ſanctos iuuenilibus otia ſoles ,
Atq. animos nunquam perituris paſcere ſacris .
Vnde tibi ad ſuperos flagrans iter:vnde merentem
Sp*onte acclinatis lactens via ſuſtulit aſtris .*
Nunc tua collucet facibus, depictaq. gemmis
Ara nitet, liquidas & miſcet odoribus auras ;
Quam toties onerare tuis caſtiſſime votis :
Paſtus vbi Diuum voluiſti accumbere menſis.
Veſtibus in ſacris operatus & ore Sacerdos
Sub niueo dabat orbe Deum: *ſine lege ſolutis*

Tuq. pauimentum lacrymis. tu frigida ſaxa
Flumine ab irriguo madidus, tepefacta rigabas,
Cœlumq. & tacita ducebas Numina voce.
Ipſe Pater, procul è picti teſtudine Templi,
Solis inacceſſos facies quem velat in arcus
Spectantem, & triquetra radiantem luce corona:
Spiraq. lucifero quem circinat aurea ſigno,
Spiritus, & niueam ſimulat leuis ore columbam,
Librantem geminas Zephyris pernicibus alas,
Efflantemq. nouos materna in gaudia partus:
Quin & inaſpecto qui defluit æthere lapſu
Virginis in gremium, ſecretaq. viſcera compler,
Parq. Deo, nec Patre minor Deus; ipſe latentes
Coniecit iuuenis taciturna in pectora ſenſus
Inſpirans cœleſtem animam, traxitq. ſequentem;
Menſq. reuerſuros tacitè gaudebat ad ignes,
Potabatq. faces, auidoq. incendia corde,
Et lacrymis puros iterum miſcebat amores.
Ipſa videbatur venturo Numine Mater
Virgineos demiſſa oculos, tot pectora telis
Peruia, tot ſuperis mirari exercita flammis.
Nec minus & caro ſecreta miniſtrat alumno
Spicula, dilectumq. manu iaculatur amantem.
At non ille tuos nunc primò expertus amores,
Diua tulit, Dominæq. faces; præcordia iam tum
Afflaſti multo puerilia Numine Mater,
Cùm tener ante tuas aruis Florentibus aras
Candida virginei ſacrauit iura pudoris,

Et

Et modò ſe parili tollit per ſydera voto.
Nunc quoq. cæruleis quì pernniger adſuit alis,
Et cohibens viridi chlamydem, promiſſaq. nodo
Lina, ſalutantes tulit alto ex æthere voces:
Lilia, ſydereis quæ legerat alba viretis,
Floribus innodat teneris, violiſq. roſiſq.
Sparſit odoratum ſtellis iubar: & tua circum
Tempora compoſuit meritas Gonzaga coronas.
Sed neque tot violis, tot ſpirant ſerta liguſtris:
Quot gaudet iuuenis Cœli depromere gemmas.
Lilia, nonnè vides, pudor vt lactentia ſignat?
Vt roſa purpurei flos illi ardeſcit amoris?
Aſt armatus amor, ſæuiſq. exercita dumis
Heu quantos illi dederunt dilecta dolores
Gaudia. non ſpinas tantùm roſa veſtit acutas.
Ergo diem vacuis impaſtum ducere menſis:
Et gelidam puris potare è fontibus vndam:
Tum virgas aptare truces: tum ſpartea nodo
Vincula, & horribiles ferro ſtridente catenas.
Iamq. humeros ictu lacerat, iam flumina large
Oſſa ſuper lapſu ſpumant nudata cruento,
Iam ſomnos fraudare leues, noctiſq. per vmbram
Spernere ab hyberno rigidas Aquilone pruinas:
Et furere imbelles annus glacialis in artus.
Inſtauratq. diem votis; quem Lucifer albo
Sæpe videt, ſero videt Heſperus ore precantem.
Talis erat viſus patriæ. Sed limine caſtæ
Interiore domus caros meminiſſe ſodales

Nunc

Nunc etiam moreſq. pios, & nomina mille
Virtutum memorare iuuat: queq. ipſe tenebat,
Seu loca, rimoſis ſeu tecta oſtendere muris.
Hic pius orabat ſuperos: hic lacteus ore
Verba dabat: docta Tyberinas Palladis arces
Hàc veniens, rediens hàc limina nota petebat:
Hic tenues luſit ſomnos, hoc dulcia lecto
Heu non matura properauit funera vita.
Ille etiam medioq. foro, perq. vrbica latè
Compita paganos ad Templa vocabat agreſtes,
Atq. auerſa Deo conuertere corda docebat.
Sedulus ille domos, ſtratis vbi tabida lectis
Corpora lethiferi perlabitur igne veneni,
Et furit exangues peſtis moritura per artus,
Intrabat, triſtiq. ferens ſolatia morti.
Namq. Ceres lætas, morientibus arida culmis
Abſtulerat meſſes, fœcundaq. ſemina terris:
Tum ſterilis nemorum fruges depaſcitur annus,
Et violenta fames Italas circumuolat vrbes.
Iam raras auidis vellebant dentibus herbas,
Impaſtiq. domos fugiunt, aruiſq. reperta
Indoluere dapis; rabidos agit ardor edendi,
Luctuſq. & languor: facies & lurida mortis
Inficit, & morbis habitat pallentibus artus:
Ah nimium ſaturata lues? quæ triſtibus agris
Damna moues? viles animas, nec lucis egentes
Sit temerare ſatis; quæ Romam in funera miſces?
Et Gonzaga perit? Quamquam ſuprema trahentē
Stamina

Stamina ſydereo veſtigat palma triumpho.
Ille quidem ciues ſpectans, moribundaq. paſſim
Corpora, contemptor vitæ deuouerat aris
Exultantem animam, morboſq. neceſq. leuantem.
Sed non & ſuperis impleuit vota ſecundis,
Et raptum medio duxere ad ſydera curſu.

Nox aderat, iuuenemq. ſuper iucunda vocantē
Funera diſpoſitis Cœlo vigilauerat aſtris.
Ille ardet fragiles artus, & corporis atri
Pondus iners, animis atq. obluctantia membra
Deſerere, & capiti intextam componere laurum.
Ibo, ait: æternis ſe ſpiritus inferet oris:
Seruabis Romana domus non vltima fratris
Nomina, meq. annis referes gauiſa futuris.
Ipſe ego ritè memor ſeu caſto limine Templi
Non defecturis componam munera votis:
Siue domus adero cuſtos, ſemperq. mouebo
Præſentes ſuperos, & ſoſpita Virginis ora.
Dixit, & oblata ſucceſſit in æthera palmæ.

BEATO ALOISIO VRBES quas incoluit diuinos honores gratulantur.

XVIII.

Scilicet hæc deerant Gonzagæ nomina famæ,
Vt ſuperos inter Proceres par gloria Cœlo
Iret in æternos nunquam violabilis annos.
Aduenere: ſacros Aloiſius addit honores;
Genſq. alio tantùm quæ non gauderet alumno:
Cui decus imperia, & ſceptris decora altà regēdis:
Purpura ſublimes titulos: cui fortibus armis
Laurea victrices intexuit alma coronas,
Addita Romanis aſcribit nomina ſacris,
Aram ſydereo latialem inuecta triumpho.
Vos auguſta manus, lectiq. ex orbe ſenatus
Purpurei Proceres, ſecreta indagine ritus
Cura quibus munire ſacros, abolere profanos
Incumbit, populiſq. nouos inducere faſtos:
Tuq. potens rerum, magniq. ter ardue mundi
Arbiter, ingenti qua ſubijcis omnia dextra,
Paule iubes imponi aras, & nomina feſtis
Non-audita prius reſonare Aloiſia templis.

At

At modò, Romanos qui Cœlo aduertit honores,
Atq. inclinatis Aloiſius adſuit aſtris:
Ipſe tuis aderit votis, tacitoq. ſequutus
Munere in arcanos ſe fundet numine ſenſus;
Dona decet magnos etiam tibi reddere Diuos.
Interea precibus dum ſacræ aduoluimur aræ,
Spargimus & violas, Araboſq. adolemus odores:
Accedunt tumulo muliebribus ecce figuris
Agmina, regaliq. tenent Altaria coetu.
Hæc teneros lacerantem artus, aut pura dicantem
Corpora Gonzagam: notat hæc diuina ſequentem
Imperia: hæc celeri venientem ad ſydera curru.
Tum vota ingeminant, ſparguntq. recentia circũ
Serta manu, intextis florentia ſerta coronis.
Ipſa ſed ante alias limen venerabilis ore
Inſtitit, atq. humilis Gonzagæ affuſa ſepulcro
Roma refert: Votis teneros adiungite flores,
Et donis cumulate aras, Aloïſius aras
Implet, & emeritos pridem ſibi poſcit honores.
Illi perpetuis ego thura flagrantia Templis
Roma fero, lucemq. comis, ſolemq. nitentem.
Ille animis, auſiſq. potens virtute ſequentes
Iàm ſibi tum palmas, & euntem ad ſydera currũ
Fecerat, ac terris ſuperiq. homineſq. canebant
Venturas olim quas Templo imponimus aras,
Cùm vixit ſcelerum puros Aloiſius annos.
Namq. puer teneros inter viſendus Ephebos
Vix dum prima nouæ recluſerat oſtia vitæ;

Cum Cœli per ſumma leuis, ceu more columbæ
Indueret pennas, volitabat, & aurea propter
Sydera lucentes ſolis requieuit ad ignes.
Hinc validas ſub corda faces, lapſumq. trahebat
Numen, & in ſuperum dulces adoleuit amores.
Quin etiam fugiens, deſertaq ſolus in arua
Elongauit iter: quamuis conclaue paternis
Seruaret medium domibus, magnoq. tumultu
Valliſoletanas Hiſpania panderet aulas.
Seruitio Regum teneros traduxerat annos
Iam puer, atq. iterū tranquilla per æquora vectus
Cenomanum patrios inuiſerat incola montes:
At ſemper tenebras, ſemper ſibi quærere ſedes
Inuiſas, tacitaq. domos ſub nocte latentes
Solus vbi arcanos per longa ſilentia ſolet
Orandoq. diem metiri: vbi fuſte ſolebat
Ferrato niueos lacerare immobilis artus,
Aridaq. è lautis ieiunia ſumere menſis,
Iam tum Virginei decus immortale pudoris
Et virtus, & amor tenero floreſcere cordi.
Hinc patrias illuſit opes, capitiq. coronam
Detraxit, diadema Polo rapturus aperto,
Quod circumpoſiti nectebat lumina Solis.
Aſpera iam duræ meditatus tempora vitæ
Corpus alit, ferat vt longas ſine crimine pœnas
Algeat hybernis, flagrantibus ardeat horis,
Et viuens ſolas moriendi exerceat artes.
At non vulgares, Cœlo digniſſima, cœtus

Hæc,

Hæc, habitat virtus; trans ſolis & ignea mundi
Mœnia nubiferas inter ſubuecta curules
Debita ſe pridem ſtellantibus addidit oris.
Tu quoq. inaſpecto lacrymans dũ Roma ſepulchro
Supplicat, huc oculos Gonzaga aduerte ſerenos,
Me donis dignate tuis: velut ante per orbem
Conciliare Deum Populis, viuenſq. ſolebas
Itala pacato deducere gaudia Cœlo.
Quos modò naſcentes miſeræ conſurgere nimbos
Aſpicis, auerſumq. diem? ſeu vere maligno
Stridet hyems boream intorquens, libyciq. procellas
Triſtior inſanis ſeu peſtibus imminet æſtas:
Aut calidi non dum bello intepuere cruores.
Et tua, nonne vides? quo turbine rapta iuuentus
Labitur & quondam tumidis immergitur vndis?
(Si merui) iuſtos tu Roma auerte pauores:
Tu placidos menſes, & ſoſpita menſibus aſtra,
Otia tu Populis, pacemq. effunde Latinis.
Sic effata iubet latis excurrere terris
Ardentes famulos, totaſq. accire per Vrbes
Huc populum cineres venerantem, & dona ferentẽ.
Nec minus & ſociæ perſoluere vota ſorores,
Vrere & aſſyriæ properant opobalſama ſyluæ.
Prima Madritanis accurrit Iberia turmis.
Et caras memor exuuias florentis Alumni,
Et cineres complexa ſacros: precibuſq. ſolutis
Ipſa canit, magno dum nobilis aula tumultu
Infremeret: gemmas Indus, totumq. patenti

Lucidus

Lucidus amne Tagus dominis effunderet aurum
Luſerit vt victu infœlix, & paupere cultu
Heſperiæ fugitiuus opes Aloiſius ora.
Vt tenuem Cœli ſonitum (ceu ſibilus auræ
Occurrens Solis medios interuolat æſtus)
Senſerit, arcano iuuenis cùm percitus ictu
Concepitq. faces, & noxia vincula rupit,
Vt Loiolæos ſe tandem liber ad ignes
Siſteret. Italiæ diuerſis protinus oris
Monte ſub Alpino regnans Taurina Virago,
Vota refert; veteres illa referente choreas
Romanis audire licet; cùm ſaltibus actos
Certarent iuuenes miſcere decẽtibus orbes.
Sed pauidus Gonzaga fugit, ne lubricus error
Longùm exorantem diuos, tenebriſq. latentem
Falleret. Hinc properas Tyrrhenæ maxima gentis
Votaq. Virgineæ Florentia nobilis arà
Prima canis. tu ſerta manu, tu candida plenis
Lilia fer calatbis, tumulumq. intexe liguſtris;
Hæc gerit allapſus Cœlo pudor. vlcere fœdo
Corpora paſcentes liuentia dicere cancros
Hinc poteris: multo iuuenis cum Sole videndum
Ante oculos Gonzaga tulit, caſtæq. puellæ
Vulnera ſyderei fouit medicamine ſucci.
Tuq. adeò geminas inter qui collibus altis
Eridani, Tanariq. vndas, ſemperq. feraci
Monsferrate iugo Populos in bella mouebas:
Nunc aderis proprior ſacris, nunc poplite flexo
Suſpen-

Suſpenſis tumulò teſtabere dona figuris.
Tu quoq. Gonzagam vitæ ſurgentibus annis
Sacrantem curis memoras cœleſtibus auum,
Atq. tuos puro recreantem lumine campos.
Parte alia Regina freti feſtinat amœno
Littore Parthenope, cui nobile copia cornu
Implet, floriferas Zephyrus cui fronte coronas
Educat. ignotos ſed enim veſtita nitores
Lilia, nec ſolitum roſa pulchrior induit oſtrum,
Cum vidit Gonzaga tuam fœlicior Vrbem.
Huic comes apricis Inſubria pinguior aruis
Diues opum teſtata venis, vt docta Lycei
Et ſtudia, & ſanctos Aloiſius auxit amores.
Qualis in ardentem volucris clariſſima ſolem
Aſpicit, hærenteſq. negat conuertere vultus,
Sed totis contra ſe proluit ignea flammis:
Diuini haud aliter ſe ternà in fulgura Solis
Conÿcit. hinc flammare animos, & caſta ſolebat
Pectora: tanareos incendere comminus angues:
Sydereoſq. aptare comis Aloiſius ignes.
Quid dicam laudes? & quas comitata minori
Caſtilione pares ſacrauit Mantua lauros?
Exultatq. prior pueri natalibus auris
Magna canens: quarta cum ſe Trieteride ſacris
Vouiſſet precibus, noctiſq. inſomnis in vmbra
Sæpe immota ſuo tenuiſſet ſydera Cœlo.
Inde admota refert teneris calcaria membris.
Nocte flagellatum per longa ſilentia corpus:

Pectora tum lacrymis, lacrymis rorantia miſto
Sanguine, & arcano percuſſa cubilia fletu.
Tum Patris furias, totoq. frementis ab ore
Ardentes irarum ignes, certataq. bella,
Victoremq. canit dubio certamine natum,
Vt palmas cœlo fugiens inferret aperto.
Ipſa ſed ante alias celebras venerata ſorores
Mantua Gonzagam domina de ſtirpe nepotem.
Tu ſuccos Arabum, lacrymataq. cortice thura,
Atq. indos molire onyches, tu munera largè
Suffice. ſcimus adhuc, iuuenis tibi cognita virtus
Vt magnos clarauit auos: florentibus annis
Vt nulla tenuere mora, quin protinus omnes
Gentis opes, ſceptriq. decus, regniq. volucres
Calcantem pedibus tu cœli in regna moueres.
Mox illo dicente ſuos in fœdera pacis
Mincius ire Duces placidis miratus ab vndis,
Lætus adorantes in carmina mouit olores.
Ergo diu meritum tollis, iuuenemq. vocari
Auguſtos inter properaſti Mantua Diuos,
Sacra vides. maiora vides tua nomina laudum.

CAECI-

CAECILIA VT APIS Vrbani Sanctiſs. Pont. præconio, Valerianum & Tiburtium fratres ad fidem & Martyrium vocat. XIX.

Fulgurat æterno cingens ſe nobilis auro
Cæcilia, & roſeo ſuperas interplicat ore
Diuitias. illi naſcentes Æthere flores
Intexunt pictisq. roſis, violisq. coronas,
Sertaq. non vnquam fragilem paſſura ſenectam.
Quin & virgineæ cuſtos ante ora puellæ
Additus è cœlo vigilat. quod crinibus aurum?
Quiſue oculis afflatur honos? quæ ſydera frontis?
Quis decor? auguſtæ quæ lucet gratia formæ?
Huius ad aſpectum luſtralis flumina fontis
Valleriane ſubis, caro & cum fratre ſupernis
Ordinibus temet vittatum ſydere miſces,
Et mihi præſentes in carmina ſufficis artes.
Venit ab Vrbano rediens, & paupere tecto
Cæciliæ ſponſus Iuuenis, quem fonte Sacerdos
Abluerat, crimenq. ſacris aboleuerat vndis,
Et caſtæ ſecreta petit penetralia Diuæ.

Ecce autem ſuperis qui formoſiſſimus oris
Pennatos vincit proceres fulgentibus alis,
In foribus Princeps aderat. minus emicat ardens
Solis ab ore nitor : minus implet odoribus auras
Hortus, vbi teneros viridanti gramine fœtus,
Terraq. maturas aperit de ceſpite gemmas.
Cæſaries humeros, & colla micantia lambit,
Spirat & ambroſios nimium ſaturata liquores,
Et ſtellis aſperſa iubar. ſuper alba renident
Lilia, luciferis quæ ſpira innectit acanthis,
Et circum violas ridenti ſubligat aſtro.
Purpura ſed niueis, roſeis ſe gratia malis
Explicat, & vultus, frontemq. accendit eburnam.
Lumine picta chlamys nitidos illabitur artus;
Lineaq. extremas quæ ſutilis errat in oras,
Murice mæandros, rutiloq. interluit auro,
Gemmantiq. ſinus caſtigat fibula nodo.
Quin etiam textos pendenti ſydere torques,
Nexilibuſq. gerit rubicunda monilia ſertis,
Et dextra geminas cœleſti è flore corollas.
Hunc vbi Romanus mittentem fulgura miles,
Veris & inſuetos afflantem ſenſit odores,
Incidit ad terram pauidus, pronuſq. ſolutis
Conciliat votis. ſtetit ille, & voce precantem
Affatus: Mihi quos inquit moliris honores
Solue Deo, iuuenis; poſtquam luſtralibus vndis
Crimina lauiſti, ſontiſq. piacula vitæ.
Debueras illi iampridem ingentia cordis

Mune-

Munera, natalis cunabula dulcia lucis
Ex quo prima tenes. ſed enim te vouerat vmbris,
Tercentumq. Draco deuinctum pectora nodis
Raptabat, nexumq. lacu mergebat Auerno.
Nunc fœlix, pulcherq. animis, vincliſq. remotis
Mecum ſumma pari ſortiris ſydera voto.
Sed tamen ignoti diſpar penetralia cœli
Ipſe habito, & magno propior de Sole beatos
Alta in luce bibo, non vnquam expletus amores.
Infima tu hoſpitia, & terris aliena frequentas
Limina. nec longum tempus, cùm ſanguine fuſo
Hac quoq. viſendus lauro, palmaq. relinques.
Quippe vbi germanus parili certare triumpho
Cœperit, & ſuperos Tiburtius ire per axes
Non niſi per cædes, rabidi per Cæſaris ignes
Fortis amet: bello fratres pugnabitis ambo,
Cœlum palmiferis clarabit frondibus ambos.
Ipſe adero, & meritos innectam ad tempora flores:
Iamq. ornant duplices victoribus aſtra coronas.
Sic ait, accenditq. animos, iuuenemq. volentem
Ad tormenta ciet, fugienſq. euadit in auras.
Illum autem liquidi tranquilla per ætheris arua
Alternantem alas, & ſydera nota petentem
Spectabat Romanus eques, coniuxq. vocabat
Cæcilia, & ſocia fugientem voce ſequuntur.
Sic quondam ardentes præcinctum ſydere crines
Cœlicolam Iſacidis geniti videre parentes.
Venturi ille nouos nati narrabat honores,

Heroemque manu Samſonem clauſtra potenti
Vellentem, & Iuuenem correpta per oſſa per ignes
Dira Philiſtæis renouantem funera campis.
Ecce autem ludis veniens tum fortè peractis
Intrabat notas iterum Tiburtius aulas.
Tranſtyberina domus fuerat, quã Virgo tenebat
Cæcilia, & caſtè primis habitabat ab annis.
Nec longe Tyberis nauales flumine ripas
Stringit, & heſperio longarum errore viarum
Feſſus ad æquoreos quamquam requieſcere fines
Accelerat; tamen ille tumens, multoque ſuperbit
Vortice: at ira minax imo ſilet abdita fundo.
Hic habitat; roſeo tum ſanguine cõſecrat ædes:
Tum ſibi compoſitas Virgo deſcendit ad aras:
Nunc celebrata ſuo tumulatur candida templo.
Lampas agit ſancto excubias accenſa ſepulchro
Argento numeroſa nitens. Stant læuia circum
Et picta inſertas contexunt marmora gemmas,
Quà paries tumulo aſſurgit, maculoſaque veſtit
Cruſta pauimentum, lucentis & obijce ſaxi,
Et ferro clathratur opus. Formata niuali
Marmore virgineos at ſeruat Diua nitores
Osq. habitumq. gerens; quo tela furentia mortis
Pertulit; immanis cùm fixit vulnera lictor,
Et generoſa rotans ter adactam in colla ſecurim.
Pectore ſed prono celat ſua vulnera Virgo:
Vmbrant lina comas, teneros it veſtis in artus.
Ergo vbi ſucceſſit cognatas Ciuis in ædes,

Afflari

Afflari ignotos ſubito miratur odores:
Qualiter æthereis expirans aura viretis
Mulcet odorati ſecreta roſaria Cœli,
Miſta vbi floriferis adoleſcunt ſydera gemmis.
Tum ſpectans per inane iubar, diſperſaque tectis
Lumina, ſcitatur cauſas, fratremq. repoſcit.
Quid mentem, partes oculos quid vertis in omnes?
At Virgo effatur. iam cede, & numina ſupplex
Fraternosque audi monitus: fuge marmora, ſurdi
Aut dextra contunde Iouis: *te te ablue lymphis*
Sydereis: tum ſe, nitido qui fulgurat aſtro
Aliger optanti reteget. pulcherrimus ore
Effundit quas ille faces? quas vertice claro
Induit, ille tua iunget quas fronte coronas?
Sic *ait. adiungitque preces, monitusq. retexit*
Germanus: Iuuenisque audit, ſequiturq. vocãtes.
Extemplò Vrbani repetunt Conclauia fratres,
Ignotumq. ſacri ſubeunt penetrale Parentis.
Illi autem quamquam portæ trans vda Capenæ
Limina defoſſos latebroſo in Colle Penates,
Tutaque inacceſſas populis dabat Appia *ſedes;*
Obſcuris tum forte Parens egreſſus ab antris
Venerat ignotus rigida per compita Romæ.
Extrema locus Vrbe fuit, quà mœnia propter.
Planicies romana Tybris *tendebat ad vndas.*
Hinc centum attollens ſe Porticus alta columnis,
Fixaq. marmoreo pendebat Scena *Theatro:*
Qua ſteterat moles, poſtquam victricibus armis

Laurea Pompeios velarat Pontica crines :
Regiaq. alta Ducis, verſiſque in prata ruinis
Nunc deformata ſubeunt Campeſtria *Flora .*
Contractis hinc vnda vadis, vaſtoque remugit
Ponte gemens frangi Tyberis: *nũc Xyſta per arcus*
Lunantur validos, ſpumantque in gurgite ſaxa .
Venerat è tacitis huc primo Sole cauernis
Diuinasq. animo curas Vrbanus agebat :
Atque vbi ſe ramis Laurus fundebat opacis ,
Feſſus in arborea ſenior requîeuerat vmbra .
Cum ſubitò caueis egreſſa examina Cœlo
Ducere Apes viſæ, & profugam producere nubem.
Mox illæ ramos virides , & frondea tecti
Hoſpitia obſedere leues,atque arbore pendent .
Talis erat ſpecies, qualem ter iuncta corona
Serta darent : terno veluti diademate circum
Ardua romulei præfulgent tempora Patris *.*
Obſtupuit ſpectans volucrum portenta Sacerdos*,*
Aligeræq. videns propius redimicula Mitræ ,
Et ſimul aſpexit Iuuenes *noua ſacra petentes .*
Vix adeo lacrymis Tiburtius ora coortis
Implerat, vitæq. vndas , fontemq. vocabat ,
Cùm ſenior lacrymis perfuſus & ipſe decoris
Sic effatur : Apis *veluti, quæ florea circum*
Rura volat,reficitque fauis rorantia mella ,
Cæcilia inuigilans operi dat mellea Cœlo
Munera . Sed *cerno quidnam præſaga futuri*
Signet Apis,*denſo quæ conſidet agmine ramis,*

Atque nouas format redimita fronde coronas.
Hic locus eſt, ſeris vbi ſe voluentibus annis
Purpureus gentis ſedes, & candida Princeps
Limina ſeruabit, cui ter diadema reuinctum
Terna notabit Apis, noſtroque è nomine ſurget
Sacrorum Antiſtes Romanam Vrbanus in Vrbe.
Auguror ipſe tuas mihi ſucceſſure Sacerdos
Fatidicus laudes, & nomina certa reuoluo.
Vt flores delibat Apis, tum mella refigit
Dulcia, tum liquidas commiſcet nectare ceras:
Sic tu cœleſtes variæ Virtutis amores
Miſcebis, dum regna regis, melle obſita regna.
Iam Pietas, iam tuta Fides, iam ſceptra tenebit
Iuſtitia, & placido ridens Sapientia vultu,
Propoſitique tenax, & non ſuperabilis vlli
Indeflexa minis ſolidæ Conſtantia mentis.
Te manet intereà iuuenis de flumine puro
Aurea cœleſtis libare exordia vitæ.
Nec tibi iam niueæ deerunt promiſſa puellæ,
Quæ caligantem circum tua lumina nubem
Scindet, vt æternis adſit ſpectandus ab oris
Ales, in æternas qui te mox euehat oras,
Iunctaq. fraterna componat præmia Palma.
Sic fatus maturat iter, merſumq. liquenti
Fonte lauat: Germane aderas: geminũq. Sacerdos
Ad celeris ventura mouet diſcrimina mortis.
Tu quoque Virgo tuos animæ grandeſcere partus,
Et citæ gaudebas ferri ſua pignora Cœlo.

Frater

Frater vterque ſubit iã vincula: verbera vinclis
Agglomerat lictor, virgaſq. & carceris vmbras,
Hi vota ingeminant: teſtantur vota Tonantem,
Et faſces igneſque cient. Quæ verba Tonanti
Fertis? ait, clamans rabida de ſede Tyrannus;
Iuppiter eſt, qui monte tonat, nimboſaque vibrat,
Et Capitolino molitur fulmina Cœlo.
Hic votis placandus erit. nec flammea torques
Tela Pater, romana negant ſi munera Ciues?
I miles, delubra ſubi: germanus ad aras
Raptus vterque Iouis ſacrabit thura tonantes;
Ni faciat, tum ſubde faces, tum ſtringe bipennes.
Nec mora. captiuos rapiunt, denſaq. corona
Agmina Tarpeio properant aſcendere cliuo.
Iamq. fores, arcemq. tenent, cernuntq. per altas
Surgere cum templis ſimulacra volantia nubes.
Lucentique iubar tectum veſtire metallo.
Nec vero par fulget opus, nec pulchrius illo
Roma tulit, quamuis domitis ditiſſima terris
Cuncta per impoſitas componat marmora moles,
Gangemq. & ripis reuehat gemmantibus Indum.
Stant ſummi delubra iugo ſublimia Collis
Et latio celebrata ferunt miracula Cœlo.
Ante fores triplici ſeſe ordine tollit in auras
Porticus, ingenteſq. grauat diſcreta columnas,
Flexaq. ſimplicibus ſpatijs latera ardua firmat.
Interior ſplendore domus ſeu fulgurat auri,
Pulchrior aut gemmis, opibuſque oneratur Eois.

Ipſa,

Ipſa, interiectis qua ter diuiſa columnis,
Signa ducum, ſimulacra Deum, *gazasq. ſubacti*
Orbis habet, dominis ac terna habitacula Diuis:
Ara ſacrat mediam tibi maxime Iuppiter *Aedem:*
Iuno *ſiniſtra ſedet: ſtat in armis dextera Pallas.*
At ſuper aurato fulgentibus imbrice tectis
Ardentem radijs imitantur lumina ſolem:
Ipſe autem, medius ſolido qui fuſilis auro
Iuppiter *horrificat ciues, flammisq. triſulcis*
Qua micat effigies Furias gratiſſima condit,
Nec magis vlla fremēs mōſtris habitatur Auernis,
Conijciuntque truces populis venerātibus angues.
Huc forti innumeris vinctus cū fratre catenis
Tiburti raperis: patrioque in limine Virgo
Stabat; & auxilijs Superos cogebat amicis.
Hortantur dare thura focis, placare ſedentem
Tollentemque Iouem vibranti fulmina dextra;
Thura etiam ſurdis referam votiua metallis?
Vallerianus ait. Nec vos lacrymabile vulgus
Dona pudet ſanctis erepta auertere Diuis,
Dona voraturis templo cumulare cerastis?
Moribus ò caſura tuis, ò Roma probroſis
Heu nondum ſaturata malis, qua triſtibus aris
Sacra iubes, vigilesq. faces? quos neſcia vita
Morte necas? tu tela manu, tu ſaua mouebis
Supplicia, vt ſtygio cadat hoſtia caſa draconi?
Quid tamē hac ceſsāt? noſtris quin protinus omnes
Vulnera vulneribus, quin additis ignibus ignes,

Et

Et cuncta in laceros tormenta effunditis artus?
Annè etiam mactare animas, mentemq. latentem
Poſſe datum? ò fauſtum niueo ter lumine ſolem,
Teſtari diuina ſacro ſi numina bello,
Cœleſtem ſignare licet ſi ſanguine palmam.
Num Deus immeritos lauri dignatur honore,
Atque Vrbane tuos tanto legis ordine natos?
His accenſa cohors dictis, coit vndique fortes
Circumfuſa viros, pugniſque & faſcibus vrgent,
Verberaq. ingeminant. non ſic percuſſa cadenti
Grandine tecta ſonant, gelido crepitantia nimbo:
Ceu lacerat percuſſa furor, ceu pectora tundit.
Iamque trahunt are innexos, populuſque ſequenti
Implebat clamore vias: portiſque propinquant,
Sciſſa darent ferro latios vt colla per agros:
Impia ne puros libaret Roma cruores.
Ecce ſerenato depellens nubila Coelo
Viſus inauratas librare per athera pennas
Aliger, ac gemino Iuueni pratendere lauros.
Accipite ò, dixit, non deficientia vita
Munera foelices anima: mors aurea tantum
Emeritis condit Palma decus. ite per enſes,
Quaque parant hoſtes, per vulnera: vulnera Coelo,
Pulchrius atque aſtris fulget cruor. iſta canebat
Cacilia, inuictaq. Deus pia vota puella
Annuit. at maiora dabit, quibus omnia dudum
Prona inclinato patuerunt ſydera Mundo.
Stelliferos inter proceres iam gemmea ſedes

Ponitur

Penitur.hic æterna quies.hic gaudia: Numen
Semper & amiſſos penſabit honoribus annos.
Hæc ait. impellitq. hilares:præit inde per auras
Victricesq. in nube animas,Coeloq. locauit.

Finis Primi Libri.

CAR-

CARMINVM Liber Secundus.

VRBANI VIII. PONT. MAX. Lateranen. Baſilicam adeuntis triumphalis Pompa XIII. Kal. Dec.

I.

NOn ſatis Vrbanæ miracula cernere lucis;
Sed muſis ſpectata iuuat memorare ſecũdis
Et facta exiguo fas ardua promere cantu.
Tu mihi plectra dabis, iuſtoq. vocabere voto
O numeris Vrbane meis, cui ſupplicat omnis
Prona miniſterio tellus, pedibuſq. volutas
Lætior ecce tuis ſubmittit ad oſcula gentes.
Te quoq. vota decent, humilis te carmina Vatis:
Quòd tantum ſperare licet; namq. ardua Mundi
Regna tenes, imos & Sol altiſſimus auges.
Ergo aderat delecta dies, geminumq. per axem
Compoſuit placido tranquillas flamine nubes.
Inſolitum mirata iubar. Quòd magnus in Orbem

Scor-

Scorpius obliquum dum portat ab æquore ſolem,
Impoſitoq. grauat ſudantes ſydere Chelas,
Aduerſi meditatus opes, & florea Tauri
Munera, mellifluum ver extulit, ilicet auris
Non tibi veliferis placabilis vnda recumbit
Halcyone: hyberni non mitia tempora menſis
Prouexere tuos pacata per æquora nidos,
Æthere vis maior nimbos fugat. Ecce videndus
Sydereos inter proceres pulcherrimus ore
Aliger (huic magni cuſtodia credita Patris,
Curaq. fida manet tutari ardentibus armis
Vaticana ſacra fundentem oracula lingua)
Incertus ſtabili pacauit fœdere ſoles.
Ille potens, valida qua frenat tempora dextra,
Et modò nimboſis deſignat murmura Coris
Nubilus, auritaſq. mouens ad iuſſa procellas:
Pulcher inoffenſa cœlum modò luce ſerenat;
Ille diem toto ſolis dedit ore micantem,
Et geminum latè diſperſit iura per Orbem,
Ne pluuias agerent Auſtri, ne frigora Cauri,
Ne ſeptem rigido fremerent Aquilone Triones.
Non aliter decuit niueam decurrere lucem,
Et medium puro ſignari ſydere menſem.
Quippe hominũ cuſtos, & maxima cura Sacerdos
Cœlicolum votis tercentum, Auguſta petebat
Templa tuis Laterane iugis: Romaq. patentes
Impleuere vias Latiæ ſpectacula pompæ.
Quantus iõ populi plauſus! latiſq. ſonantes

Voci-

Vocibus Vrbani complerunt nomina valles!
Septeniq. procul geminarunt nomina montes?
Non ita poſt domitos Aquilis victricibus Indos,
Subiectamq. iugo plauſtris glacial antibus Arcton,
Roma Ducem iuſto reducem dignata triumpho
Prætendit meritas redimita in tempora lauros:
Ipſaq. componens viridantes fronte coronas
Alma ſuper currus Victoria luxit eburnos.
At modò quos renouat dominatrix Roma triũphos,
Non velut excidio quondam, fluuioq. natantes
Sanguineo, aut fœdis veniunt poſt bella ruinis.
Ipſa viro ſtruxit Virtus, & prima ſacrorum
Imperia, & Pietas, Cœloq. allapſa poteſtas,
Terrarumq. graues Romano è culmine faſces.
Hic vbi quadriiugos non vmbrat laurea currus,
Gemmea tergeminæ præfulgent texta coronæ,
Et picturato tolluntur marmore moles,
Antiquos tituli s victuræ ingentibus arcus.
Flumineis adiuncta vadis, maculoſaq. ſaxo
Aſpectat propior Tyberinos altera pontes,
Tyrrheno quam diues opum Florentia Patri,
Virtutumq. virumq. ferax, aſſuetaq. regnis
Extulit, ac generis renouat monumenta vetuſti.
Altera Romano Capitolia celſa paratu
Inſidet; immani gemuerunt pondere montes,
Præſulis vt magni Tyberis deſignet amores.
Hũc vacuis paſſim tectis properate Quirites,
Lætaq. flumineas Hetruria currat ad vndas.

Hic

Hic apibus ſpectare datur ſublata decoris
Stemmata; tres volitant: fauſto diademata ſigno
Terna notant: Romæ ter mellea Regna refigunt.
Hic quoq. ſublimes titulos, & ducta per arcus
Fornicibus conuexa cauis, ſtabileſq. coronas,
Cernere erit: patulis & ſaxa albentia quadris,
Atq. aurata ſuper ſurgentibus aera columnis,
Totq. operum formas, altiſq. impreſſa figuris
Marmora, & auguſtos habitus, & grandia facta
Principis, & viuis animata coloribus ora.
Mœret ab extincto ſupplex Regina ſacrorum
Gregorio, viduæq. gemunt in fronte coronæ.
Illam continuò patefactis Clauiger aſtris
Solatur dictis lacrymantem, & vota ferentem:
Vrbanum legere Patres: terræq. ſupremos
Attollit fulgens ad ſumma altaria faſces.
Tunc æſtiua nouum terris educere Solem
Viſa dies. Niueo lux ò liquidiſſima Cœlo,
Quà debellati Germanica Principis arma
Haſſius ingemuit, rurſumq. occumbere morti
Tillia diſiectos doluit per fulmina Cattos,
Et circum Bauaros cladem mugire Leones.
Bella figuratos viuunt ſimulata per arcus.
Parte alia galeas demittit prona comantes,
Bellatrixq. ſinum venienti Gallia pandit,
Mitior & pronos inclinat Sequana fluctus.
Seù dum vitales veniſti in luminis oras,
Primaq. fonte ſacro pulcher Ludouice piabas

Crimina: Romani prementem iuſſa parentis
Siue armis ingens poſitis Henrice colebas,
Et placido ardentem mulcebas pectore Martem.
Seù dum mellifera tactus dulcedine lingua,
Saxea deturbas dira monumenta columna;
Et cepit reduces pacata Lutetia Patres.
Quin etiam dubias magno ſub iudice lites
Deficere, & latij quas laudauere clientes,
Publica ſignatis mirabere vocibus aëra.
Hæc adeo læta imperijs iam Roma parabat,
Et Capitolino ſimulacra nitentia cliuo
Diſponit, ſummoſq. Patri maturat honores.
Iamq. alto clangore tubæ, iam tympana pulſu
Signa dedere viris: properant quicumq. ſuperbis
Sublimes in equis iuuenes percompita latè
Incedunt, cuneiſq. terunt turmalibus Vrbem.
Quiq. Palatinæ curis, ingentibus Aulæ
Inuigilant propiùs, magnoq. aurata frequentant
Tecta miniſterio; nunc feſto ex ordine pompæ
Serica in oſtrinas mutant Amethyſtina veſtes.
Iam Vaticanis vndabant agmina campis,
Et fora, flumineaſq. vias, atq. atria complent:
Atria, porticibus quæ conformata ſuperbis
Immenſæ penetrale domus & limina cingunt,
Regaleſq. aulas, & non imitabile tectum.
Eſt via, quã Tyberis tyrrhena interluit vnda
Et Vaticanæ ſcindentem limina vallis
Ælia marmoreo deſpectat vertice moles.

Inde

Inde ſuper teritur pontes: tum flexilis vrbem
Infertur mediam, domibuſq. obliqua vetuſtis
Linquit agonales, circenſia iugera, campos,
Arduaq. aſcendit molli Capitolia cliuo.
Mox fora, mox veteri iam collabentia ſaxo
Amphitheatra videt, placido mox edita colle
Marginat extremas Lateranis ædibus oras.
Hàc iter, huc totis funduntur ciuica tectis
Agmina: vicino conſerta palatia Cœlo
Cernere erat, varioq. domos ſplendeſcere cultu,
Atq. oſtro intextos pendere, auroq. tapetas,
Et picturatas mentita aulæa figuras.
Quotquot Roma tegit ciuilibus addita tectis
Magnorũ argumenta operum: quot purpura veſtes
Inficit & tyrio ſaturantur ſtamina fuco.
Nec licet his auidos longùm depaſcere viſus;
Ecce leues adſunt equites, & ſerica mollis
Aura ſuper longas bicoloria ventilat haſtas.
Iam dominos numeroſa notant inſignia Patres,
Sectilis intexto quæ purpura pingit in auro,
Quæq. grauant ſolidas argento lucida clauas.
Iam Romana cohors vehitur, pictiq. decoris
Veſtibus incedunt equites; micat aureus ollis
Balthens, & quamquam vagina includitur enſis,
Fulgurat: aurato prætexit linea limbo
Ductilis extremas ſagulis nigrantibus oras.
Hos quoq. villoſæ, raſæq. volumina telæ
Sericeis ornant tunicis, aut pendula collo

Multiplicem ſpirant gemmata monilia ſolem:
Altius aut gemmis interlucentibus vmbrat,
Pennigeriſq. iubis aduelat tempora nubes.
Nec minus & grauidis auro tumefactus habenis
Altior inuehitur campis equus; vngula crebro
Et pulſu modò ſaxa quatit, tactuſq. magiſtræ
Aſſultat virgæ ſonipes: modò raptus in auras
Naribus expirans, labriſq. ardentibus ignem
Incedit, laceros & calcibus excutit euros.
Tum plauſa ceruice graues iam mollior iras,
Turbataſq. iubas componit, & alta ſuperbo
Erigit ora gradu, gaudenſq. argentea frena
Mandere, pacato glomerat veſtigia dorſo.
Non tot habet denſis cuneos exercitus armis,
Aut circumductas equitum leuis explicat alas:
Quot ſua paciferæ numerat Tybris agmina pompæ.
Coccina quid dicam velamina? ſultaq. circum
Vellere? talariq. viros in veſte rubentes,
Aſſuetos dominæ iuſſis regalibus aulæ?
Quid Capitolini non illaudata Senatus
Ora? quaterdenos ciues, quorum ampla recondit
Conſilia, & iuſtas veteri par Curia voces.
Criſpa plicaturis oloſerica fronte coërcet
Pileus, & nigro tenuis ſubit orbita circlo.
Pulla tegit veſtis, tunicaſq. habituſq. nigrantes
Romanis cinxere togis. Subit alba virorum,
Bellatrixq. manus: patriæ quæ tecta tueri,
Biſq. ſolet ſeptem diſcretam partibus vrbem.
At

At niueis omnes aduelant veſtibus artus:
Fila rigent auro, collo ſuper ardet ab alto
Sydonio fulgens bombycina ſynthesis oſtro:
In plumam cuneatur apex, nitiduſq. volantes
Ad Zephyri nutat, ſeſeq. recolligit auras.
Ponè duces gemini, auratam ſed quiſq. coruſcat,
Et circum ſolido turgentem ſtamine Abollam.
Mox & Tarpeia viſendus Conſul in arce,
Et gemini iuxta Patres, *& ſignifer vnà*
Romulus, auratis veniunt in veſtibus omnes:
Tegmina clara nitent, rigidoq. tumentia filo.
Vos quoq. Romani proceres, clariſſima Tybris
Lumina, depoſitis alter modò Pegaſus alis:
Nec celerem curſum pelago mentitus Arion:
Cyllarus atq. iterum veniens in frena: latinos
Et melior Xantho *ſonipes portabat* Achilles.
Circunſtant agiles denſato examine cœtus,
Et famulatrices cingunt latera ardua turmæ.
Terra coloratis quot pingitur herbida gemmis:
Stamina ſic varios ducunt virgata colores.
Lanea cærulea, praſina diſcrimina telæ,
Lutea diſtinguunt chlamydes, rubicundaq. textu
Vellera, & in plumas abeunt capita alta comantes
Et iam fraxineas ferrata cuſpidis haſtas
Miles agit, longèq. ardens lectica refulget;
Atq. hebetat princeps humanos Purpura *viſus.*
Ante quidem cognata manus propiore vehuntur
Sydere. Quale decus! Quantum germana coruſcat

Gloria ! prætexit claros aut quanta Nepotes !
Legati vicina tenent, lucemq. ſequentem ,
Et non aſpecto mirantur lumina Sole.
Voſq. adeò pauidæ genibus procumbite gentes:
Ecce Vrbanus adeſt , nuſquam par fulgeat illi
Maieſtas, ſimiles non fundat ab ore nitores .
Centum adſtant illi gemino de flore iuuentæ
Delecti iuuenes : atauis hos Arnus Hetruſcis
Inſignes : hos Roma dedit . Quæ gratia frontis!
Quiſue habitus ! niueis intermicat aurea brachis
Tænia : præfulgens auro ſeptemplice thorax
Irradiat : villoſa nigræ ſeu pallia telæ ,
Siuè quaterducto radiantur Ianthina limbo :
Pinnula gemmiferis internitet alba galeris.
Et gauiſa tuos audis Florentia natos
Cingere pendentes torquato pectore bullas,
Iungere & auriferis meritos calcaribus enſes .
Ipſe autem (quamquam ſpecies altiſſima turbat
Et ciues in vota ciet, plauſuſq. ſequentes)
Spectando tamen ore Pater tranquilla ſerenat,
Gaudia, & auguſtos placidè ſubmittit honores ;
Maieſtas humiles ne terreat ardua viſus,
Diſſimuletq. ſuos populis veneranda nitores.
Illum etiam (ſacras quoniam ſpectare licebat,
Et procerum turmas) propiùs comitata ſequuntur
Ora, nec aſpecto veniunt ad gaudia motu
Diuarum chorus: ignoti quæ culmina Cœli
Atq. occluſa procul ſeruant penetralia Regum.

Quæq. ſuis ſpectanda notis, memorataq. circum,
Facta Patris magni tabulis referebat eburnis.
Prima ſubit ſceptroq. manus, crineſq. corona
Veſtit, & inſignes aperit pulcherrima vultus
Nobilitas. illi puros deſcendit in artus
Purpura, & inſertas interplicat aſpera gemmas,
Tyrrhenoſq. notabat auos, & longa parentum
Stemmata;pugnaces hic ducit in agmine turmas,
Et forti Batauos proſternit marte rebelles:
Æquior hic ſtudijs animum ciuilibus ornat:
Hic latias ibat Præſul laudatus in arces;
Omnes pacatis fingebant moribus ora.
Huic comes ardenti fertur Sapientia vultu,
Cui regale decus: diademate cincta decoro
Frons ſuper extantem portabat lucida ſolem,
Doctaq. lucifera prætendit pondera virga.
Illa canit memor, vt primis Vrbanus ab annis
Egit Apollineæ ſtudio laudata Palæſtra
(Gregorio quà ſtructa domus,doctaſq. per artes
Loiolææ regit teneras facundia mentes)
Tempora. iam numeris lyricas agitare Camœnas:
Altaq. mæonijs euoluere carmina plectris,
Eloquio dulces animis iam ponere nodos,
Et magna ciues opulentia ducere lingua.
Tum quoq. Cecropios, inamœna ad ſepta Lycæi,
Cura fuit tentare ſinus, ſtrictoſq. plicantem
Vocalem digitos artem: Regina ſequaces
Vt greſſus adytis moueat Natura repoſtis.

Iamq. palatino naſcentes Cæſare leges,
Et populis ſancti venerata oracula iuris,
Et patrum reſponſa tenet, quoſcumq. ſupremis
Euexit pia Roma ſacris. Firmiſſima Cœlo
Sed iam lex fuerat ſolido ſignata metallo,
Vt populis tu iura dares, & priſca verendis
Culmine de latio ſancires legibus aera.
Nec longùm fœlix venientia tempora Tybris
Diſtulit. incluſi Patres conclauibus altis
Vix tacitos egere dies, cum protinus ingens
Extulit emeritas terrarum Vrbanus habenas.
Ilicet allapſus Cœleſtibus adfuit oris,
Et Vaticanos impleuit numine colles
Spiritus: incertas eadem ſententia mentes
Cùm rapuit, dominamq. viro ſtatuere coronam.
Ferte Patres, ornate ſacram diademate frontem,
Lethaleſq. moras, clauſaſq; relinquite ſedes.
Heu ſuper infeſtas molitur ab æthere flammas
Syrius, & calidis latrat mala funera terris.
Funeribus patuere domus, cùm pallida lectos
Mors quateret procerum toties, & triſtia luctum
Tecta fremens, gemitumq. fores inferret apertas.
Non lacrymis vacat orta dies, non funere noctes;
Purpura Romanis iacet immatura ſepulchris.
Tu quoq. (ſic rabido furit ira licentior aſtro)
Artubus hauſiſti cæcos languentibus ignes,
Membraq. feſſa iacent. at non Vrbane petenti
Debueras differre diu ſua gaudia Roma,

Sed triplicem fulgens capitis veſtire coronam,
Imperiiq. Pater populos frenare volentes.
Ecce tibi ſocios veniens hinc dextera greſſus
Maieſtas glomerat: rebuſq. hinc laeua gerendis,
Contemplata ſuas in te Prudentia leges.
Illa tuos habitat vultus, oculiſq. verendos,
Et fronti, ſublime decus, depingit honores:
Hac magno arcanos explorat pectore ſenſus,
Et regit, & iuſtis ſeſe inſerit obuia cœptis,
Diponitq. legitq. modos, verſatq. receptos,
Vt validos matura ferant conſulta paratus,
Feſtinent lœtos vt facta celerrima fines.
Pone ſequens aſtris celeri demiſſa volatu
Iuſtitia inuehitur, vehitur quoq. iuncta, niuales
Relligioq. regit currus. Hac addita cordi
Inſpirat cœleſtem animam, diuinaq. iungit
Arma, nec humanis robur ſuperabile telis;
Nè ſcelus irrepat, neu dura ad noxia vita
Diſcant, indociles flecti, molleſcere ſenſus;
Altera ſed palmas, & crimina ponderat aquis
Lancibus. inſequitur Pietas, & nobilis auro
Prodiga opum Virtus: placido Clementia vultu
Cui ridet, vulgiq. pios irritat amores.
Catera quid memorem? Vos ò fulgentibus oſtro
Tollitis ora Patres in veſtibus: altaq. iuxta
Purpura, pratexto qua nubit vellere frontem,
Labitur, & totos rutilat demiſſa per artus,
Et villoſa ligant patulos amenta galeros.

Tu Barberinos cumulas Franciſce triumphos,
Extremumq. tenes ortus modò Lucifer agmen,
Serò vt decedas rubicundo pulchrior aſtro.
Hinc Præſul numeroſus agit: mox aduolat armis
Acer eques, raptiſq. fremit mętuendus in haſtis.
Sic adeo Princeps ad Conſtantina Sacerdos
Tecta ſubis: ſubijt pariter tua Roma, precanti
Acceſſitq. comes, mouitq. in vota Tonantem;
Hunc, ait, alme diem Pater ò (cui Romula curæ
Imperia, & ſceptris meritas attollere dextras)
Ominibus mihi finge bonis; da faſcibus Vrbis
Vrbanum proferre tuos trans vltima faſces
Littora. Quis medio remoratur in [illegible] Tyrannus
Mittentem leges, diuinaq. ſacra iubentem?
Cornibus æternum fractis Othomana cruentum
Luna gemat periiſſe iubar: Cœleſtibus armis
Aut cadat infoelix Aſiæ regnator: ab arce
Aut procul euerſa Latiæ det colla catenæ,
Sancta Paleſtini pateant vt ſepta ſepulchri,
Idem, oro, arctoas demergat in ignibus Hydras,
Oppidaq. infernis ſoluat Germanica monſtris:
Et nigra in populos reuomentem numina Gangem,
Littora nulla vacent extremo conſcia mundo,
Quà non ille manu populis diuina reponat
Munera. ſed propior donis Europa ſecundis
Mellea longæuis aſcribat ſecula faſtis.
Euenient; Cœlo Deus annuit. inclita terris
Vrbanum hæc olim referent feciſſe Nepotes.

SACRI-

SACRIFICIORVM ſacri Ritus.

I I.

SIuè quis inſano ſceleri, ſeu februa culpæ
Noxius, atq. animæ diuina piacula poſcat:
Siuè petat ſupplex, lapſuraq. deuocet altis
Munera ſyderibus, doniſuè rependere dona,
Inq. vicem cupiat memores exoluere grates;
Quæritur interpres diuum, qui caſta Sacerdos
Sacra ferat, dignoſq. manu componat honores,
Et noua thuriferis ſuccedat victima templis.
Iſta decet magno diuumq. hominumq. parenti
Munera per terras mortalibus ire tributis,
Vnde fluit Mundus, quò deſinit. ille repertor
Atq. Animæ quondam fines per celſa beatos
Regna paraturus domino ſibi danda repoſcit
Corda virum; ſacro ſubeuntia corda latenti
Illi ſecretis quæ Spiritus atterit aris.
Hinc etiam gremio tellus enixa tepenti
Quod creat, & vario gignunt animantia partu,
Accepiſſe iuuat (populi nam ſenſile donum
Interiora animæ firmat ſacra) pomaq. ſyluæ,
Pri-

Primitiæ frugum, calidaſq. effuſa per aras,
Atq. exuſta ſuper fumantibus exta iuuencis
Numini odoratos expirauere vapores:
Cæſa reponebat quam ceperat hoſtia vitam
Auctorem teſtata ſuum, cui viuimus omnes:
Et conſumpta focis, fumoq. elata volucri
In cœlum properabat iter, quò tendimus omnes.
Sed quis Tænarei fraudes, prædamq. Draconis
Neſciat? ille cadens auulſa volumine caudæ
Agmina ſtellarum traxit, cœlumq. ruina
Inuoluens vnà ſtagnis immerſit auernis.
Tum Delubra ferus rapuit cæleſtia prædo,
Templaq. ſacrilegos & adorea liba per ignes.
Prima dabas Babylon ſceleratis ſemina ſacris,
Diluuio è magno poſtquam fugientibus auſtris
Terra recedentes gremio diſcuſſerat vndas,
Et noua progenies vacuum poſſederat orbem.
Clarus ad Euphratem primi diademata regni
Cum tulit Aſſyrius, debellatorq. ferarum
Venator poſuit ſimulacra recentia Belus.
Ille immaturo raptum ſibi funere natum
Longà gemens ſimili viuos ſub imagine vultus
Extulit, & carum tepefecit thure metallum.
Tum parili natus dignatur honore parentem
Sceptra regens bello domitis latiſſima regnis.
Inde alios repens traxit furor: ille potentes
Sollicitare duces: votis hic aſtra nefandis
Lucenteſq. globos, ſolemq. onerare cadentem.

Aurea tum vituli conflatilis ora choreis
Hebræas iuxere dapes: Thyaſiq. canentum
Et populi riſere Deum, reſonantia longè
Aera manu, duraq. orbem ceruice mouentes.
Tum ſummis ſtetit ara iugis nemoroſa Bethelis,
Tum latè Aſſyrij moles operoſa Coloſſi
Aurato viridem compreſſit pondere Duram;
Ipſe Palæſtinæ domitor reſonare iubebat
Immanemq. tubam, cytharamq. & fiſtula campis
Sternebat ſonitu pauidas in vota cateruas.
Nomina tum venere Iouis, viliſq. Deorum
Turba per auratos tenuit Capitolia montes.
Ite leues, Orientis aquas, decliue cadentis
Solis iter, lybicis regnata caloribus arua
Luſtrate, & tumida ignotas per cærula terras,
Omnis vbi ſtygias interplicat ara Colubras,
Et flamma inuigilat vetitis phlegetontia ſacris.
India fumoſis impulſa Pagodibus ara
Perſonat, innumeriſq. locat delubra columnis:
Xaca, giganteis ſocius grauat Amida membris
Iaponas extremo ponentes littora fluctu:
Nec procul irridet ridentem Numina Sinam,
Atq. infœlici meditantem verbera ſigno;
Quid, nullos habitura Deos, magis impia gentis
Agmina Braſiliæ? feſtis epulata choreis,
Mexica quid dicam? Cum triſti corpora ſacro,
Siuè Dapes, potos aut caſa dedere cruores.
Templaq, per veteres titulos ſurgentia Regum;

Et

Et quod quemq. iuuat? terras heu regnat in omnes
Dira ſuperſtitio, & ſtygij fœcunda furoris.
Quis cœlo ſeruatus honor? Quis Numina ſupplex
Conciliat? quis ſacra Deo, quis dona reponit?
Et ſcelus agglomerant nati, pereuntq. caduntq.
Heù miſeri, æternas nec dum ſenſere ruinas.
Quòd ſi non aliò properet conuertere curas
Loiolæa manus, belloq. inuicta potenti
Ardeat infames furiarum excindere vultus,
Luctantem ſublimè ferens diſcrimina pugnæ,
Vellentemq. aras, monſtrumq. immane terentem.
Nullus ab hoſte metus. ſcimus quo tela Sacerdos
Turbine, fulgentem quo cingat fulmine dextram
Suetus & irato medium ſe opponere cœlo
(Hæc illi officia) & iuſtas auertere pœnas,
Et forti ore Deum contra ſpectare tonantem,
Tanta viri, ſanctiq. manet reuerentia cultus.
Regia ceu volucris ſuſpenſa flagrantibus alis,
Tranſq. inuecta notos ora imperterrita ſoli
Obijcit, æſtiuos cœli ſecura per ignes.
Talis, vbi caſtis ſacrauit munera palmis
Ante Deum rapit auguſta ſe mole videndum
Myſta potens. non ille faces, non ille refugit
Victor inextinctæ iaculata volumina lucis.
Stat ſolio genitor, & circumductile dorſo
Immortale iubar, ſolidum ceu texta per aurum
Veſtimenta gerit; capiti famulantur in orbem
Sydera, in ardentes & aguntur fulgura cirros.

At ſubit impauidus, ſpectatq. auditq. vocatus
Ætbereos, propiorq. manu fert dona Sacerdos.
Nunciet ò quiſquam: Genitor quo munera vultu
Accipiat, frontem qua maieſtate coruſcis
Horribilem flammis acclinet, & ignea grato
Se placidè inſpirans, deuoluat lumina cordi.
Ecce procul (videone? an vatem falſus auentē
Ardor agit?) videor Borealis cardine mundi
Ire per ignotos penna ſine remige campos.
Ante oculos trepidant, & diſcedentia latè
Sydera deſcripta cœlum compage recludunt.
Proh qualis turbat ſpecies? ceu lumine quondam
Terruit horrifico iuuenem, Babylonia propter
Mœnia: captiuum dum ſeruat in agmine regem
Ezechiel, magniq. ſedens Euphratis ad vndas,
Et viſa tremuere aliј ſpectacula Patres.
Sibilat ecce alto veniens Aquilonis ab ortu
Turbinis in morem ventus, quem nubila circum
Fumida torquentem, piceoq. nigerrima nimbo,
In gyrum ſplendor, volucriſq. reuoluitur ignis,
Et miſta auratos ſimulant electa colores.
In medio irradians (ruptis quà nubibus ardet
Lucida tempeſtas flammarum) ardentior igne
Inuehitur currus, geminoſq. voluta per axes
Orbita magnarum rapitur ſtridore rotarum.
Et viuens oculos conueſtit, & alta profundi
Curuatura maris, vitreiq. ſimillima fluctus,
Vitaleſq. ſonant radiј, raptuq. laborant.

Qua-

Quatuor at iuxta properant animantia curſus,
Os hominem quibus aſſimulat, ſed denſa Leonis
Pectoribus iuba deſcendit, pedibuſq. figurat,
Sciſſa Boues bifidis imitatur & vngula plantis:
Ex humeris geminæ pendentia corpora librant,
Velatis geminæ deſcendunt artubus alæ:
Inceduntq. pares, leuibuſq. per aëra pennis,
Quò vocat, impulſaq. mouens rapit impetus aura.
Quin etiam veluti candenti fulgida ferro
Maſſa rubens, multoq. ignis carbone coruſcat:
Clara velut denſis lampas funalibus ardet;
Haud ſecus accenſis iuuenum ſe plurima membris
Flamma per igniferos miſcens exæſtuat artus,
Viſceraq. alta calent crepitantibus vſta fauillis,
Interiùs quà nube iubar, quà paſcitur ignis,
Eiectantq. vagas ſtridentia fulgura luces.
His rapti celerant currus, iuueneſq. iugales
Æqua attolluntur rapidarum mole rotarum.
At Cœlum ſublime ſuper conuexa lacunant
Horribili chryſtalla gelu: ſonat arduus infra
Alarum fremitus; Veluti de rupe cadentum
Montana ſonitus præceps auditur aquarum,
Viſaq. turbati ſpecies fremit aſpera ponti:
Caſtra velut reſonant, denſiſq. exercitus armis,
Cum litui, clamorq. virum, clangorq. tubarum
Ingeminant, latiſq. ſonant bella horrida campis.
Vlterior iam viſus hebet, creſcitq. videndo
Corde metus, vocemq. negat. Clariſſima ſurgens

Qua

(Qua riget horrendi facies chryſtallina cœli)
Gemma ſacrat ſolium auratis ſapphirina guttis,
Ora viro ſimilem quod ſuſtinet. ebria Sole;
Æternumq. caput pectuſq. electra figurant,
Lucida & adducto formant orichalca metallo;
Veſtibus aſt idem lucentibus igne deorſum
Clarus inardeſcit: denſiſq. incendia flammis
Cruribus orta manent, facibus femora vſta relucẽt
Impendet capiti, ſed mille coloribus Iris
Roriferos virgata ſinus, nimboq. madentes
Intexit vario curuamine picta nitores.
Qui circum illi autem ſtantes? infraq. ſupraq.
Innumeri, deciesq. virum centena feruntur
Millia? Pennati Proceres ardentibus alis
Ora occultantes ſolio capita alta viciſſim
Subijciunt, humiliq. excuſſa tonitrua vultu,
Fulminaq. horreſcunt, Solemq. è fronte refuſum
Regis inacceſſa flexo ter poplite adorant.
O metus, ò nullo arcana periturus in æuo
Maieſtatis amor. trepidant, ne proxima lucis
Viſa immortales conſumant fulgura ſenſus:
Inde tamen traxere ignes, & amata repoſcunt
Lumina, potandoq. faces incendia gaudent
Nunquam, inflammati facibus reſtinguere cordis:
Tum laudes, fidibuſq. ſonant alterna canoris.
Me miſerum, quòd viſa loquor, quòd cerno loquẽtes
Nec dum cæleſti purgantur lumina lympha!
Nec polluta ardens mihi calculus expiat ora!

Vos modò quid ſtatis? pauidi procumbite contra
Mortales: Deus, ecce Deus. tremuere ſonantes
Stelliferi poſtes, & vtroq. à cardine mundi
Terrarum, cœliq. procul fundamina nutant.
Ille ferox, terq. ille potens, terq. ardua ſanctus
Aſtra per intonuit curru; geminate cadentes
Vota viri, votis ardentia iungite corda.
Si quis adhuc primis facturus ſacra diebus
Siſtitur ante aras venerabilis ora Sacerdos,
Occurrat, donumq. ferat; placabitur ingens
Dextera, iamq. armis parcet furibunda triſulcis.
Sint oculi collati oculis, ſint oribus ora:
Et talem notet Omnipotens, altaria qualis
Munere ſacra tenet, prono cùm vertice adorant
Cœlicolæ, celebrantq. ſacræ conuiuia menſæ.
Quis melior terras, vndaſq. ardore tueri,
Quem grauis effundit diuino pondere currus?
Emicat ante rotas, totiſq. effunditur aruis
Turbidus accenſo reuclutus flumine vortex,
Et ſtagna ex imo torquens ardentia fundo
Verberat exuſtas feruor fluuialis arenas.
Quis fugiat, raptuſq. truces non horreat ignes?
Ni dextra defenſor adeſt audente Sacerdos?
Fluminaq. extinguit cœleſtibus ignea lymphis?
Quondam etiã profugos pluuius cum paſceret ardor
Iſacidas, rapuit fumantem thuris acerram
Ipſe Leui de gente Pater; contraq. voraces
Præcipiti ſtetit igne globos, precibuſq. ſolutis

Preſſit

Preſſit oderatis extincta incendia fumis.
Quis melior placare Deum, ſi Numine laſo
Spargendos hominum clamant ſcelera acta cruores
Iraq. deſcendit violati egreſſa Tonantis?
Non aliter Sina in magno cum fumus in auras
Ceù ruptis ageret piceas fornacibus vndas,
Mixtaq. turbaret flagrantem buccina montem:
Ductor Idumæus, poſtquam furialibus auſis
Iſacidæ auratis aram ſtatuere iuuencis,
Iracunda ſuis placauit Numina votis,
Auertitq. faces & agentem fulmina dextram.
Ille tamen non ſacra manu, non vlla ferebat
Munera, queis voluens oculos auerſa ſerenat
Ora Deus, cœlumq. onerat, ſubigitq. Sacerdos:
Et numeros nectunt eadem mihi fauſta ſupremos.
Vix capit tenero naſcentia ſecula mundo
Voluere currentes Sol irrequieta per orbes,
Cùm iuuenis fœcunda regens hædilia Paſtor
Munus Abel medijs cœlo ſacrauit in aruis:
Extructoq. ſuper violis & mollibus herbis
Ceſpite tum primis natalibus occidit agnus.
Tum quoq. primitias culti referebat agelli
Frater & auerſos cœlo ferus horruit ignes.
Ah ne immitis, atrox animos incendat agreſtes
Vltriceſq. ſacro poſcat malus impare pœnas.
Quid furis? inuentos non dum matura per enſes
Mors ferit, informiq. negat dare vulnera trunco.
Heu pietas, heu rara fides: ſpes tota futura

Stirpis habet geminos primæuo ſemine fratres,
Tu rapis extinctos caſa cum ſtirpe nepotes.
Debueras idem decuſſis arbore malis
Intemerata focis imponere corda; neq. alto
Diſſimilem fratri Numen feciſſet olympo.
At iuuenes Patris meliora exempla ſequuti
Sacrauere nouas conſumpta holocauſta per aras;
Erexitq. altare ſenex, quem deuia nimbis
Arca tulit, merituſq. iras eluſit aquarum.
Nec diſpar in dona nepos, cum vallibus Hebron
Sacra litauit Abram; tituloſq. aramq. ferebat
Mambre palmiferas inter pulcherrima valles.
Poſt vbi Niliaca liquerunt Mœnia terra
Iſacidæ reduces, ſola per deſerta Sacerdos
Veſtibus in ſacris tentoria biſſyna primùm
Thurifero pecudes mactans adoleuit odore:
Tum quadrata Setim fecere altaria ſylua,
Arca immortales tum veſtijt aurea cedros?
Iamq. alit æternis ſeptem lucentia circum
Candelabra liquor: ſacriſq. inuenta ſupellex
Aurea: inaurata luxerunt fercula menſæ.
Nec dum tecta ſacris ſtabant extructa paratis,
Picta Tabernacli ſolùm Cortina manebat.
At poſtquam iunxere duos Salomonia colles,
Hinc Acram, inde iugo maiorem Templa Sionem,
Et fulgens auro moles ſtetit; omnis ad aras
Sacrifico cecidit puri gregis Hoſtia ferro;
Tum ſonuit gemmis, bicolor tum veſte Sacerdos.

Lam-

Lambebat tunicæ tenuis nam byſſina talos
Carbaſus, albentiq. ſinu criſpata fluebat.
Integit hanc veſtis, textcq. hyacinthina limbo
Alludit genibus, totamq. alterna per oram
Aurea puniceis reſonant crepitacula malis:
Palla ſuper, vario texunt quam licia filo.
Illa nitens auro: Tyrios oſtrina rubores:
Alba niues: hauſit venetos aut cœrula ſuccos.
Illam etiam geminis bipatentem multa ſub alis
Tænia ſeu nectit, ſeu balteus alligat aluo.
Tum veterum biſſena ducum, cælataq. in auro
Nomina ſculptus onyx humeros grauat; inde cate-
Aureus appendit duodenas pectore gemmas, (nis
Et ſubter vario lucentia ſerica textu.
Lamina tum Cidarim, & lunatæ cornua mitræ
Antemicans, mediæ ſupereminet aurea fronti.
Sic ille inceſſu liquidos agitante ſonores
Aſtitit ante Deum gemmis oneratus, & oſtro,
Atq. ore, & iuſſo ſuperis ſpectabilis auro.
Sed non vlla dabat niueis niſi dona iuuencis,
Quaſq. armenta ferunt pecudes: iugulataq. ferro
Nidorem ambuſtis ſparſere cadauera membris,
Parcite iam rigidos fœdare cruoribus enſes,
Nec grauidæ metuant agnis per ouilia matres.
Quin duras temerare manus, & ab vbere raptos
Parcite iam natos vetitis imponere flammis.
Quas ſimulacra vorant animas? quæ triſte metallũ
Annua ſacrauit Chananæis corpora cultris?

Vos etiam immanes populi delubra per orbem
Sanguine fœdantes, hominum crudelibus extis
Cur centumgeminas Erebi depaſcitis Hydras?
Taurica quis Scythicæ, Latiæ quis Templa Dianæ,
Sanguinis humano quà gaudet Arcia riuo,
Commemoret? Quis ſacra Ioui Salamina crueto?
Punica Saturni morientibus antra puellis?
Gallica Theutatis? plenumq. altaribus orbem
Infandis? veſtris iam tela minantia natis
Ponite, nec tanta infernis ſint gaudia monſtris,
Sat ſceleri furijſq, datum. Conuertite cultus
Quò vocat Omnipotens: & vos pacalibus ima
Corda Sacerdotes, animoſq. accingite donis.
Non extincta cadet manibus iam victima veſtris;
Sed qualis cœlo mittetur victima! quales
Collis Idumæi deſignatura triumphos!
Ipſe Deo genitore Deus cùm diuite ſeclo
Humanos ageret curis mortalibus annos,
Iamq. Palæſtini contingeret oſtia lethi;
Accipe, ait, niuea celatum fruge Sacerdos
Quod non pontus habet, non terra, nec educat aer,
Non vaſta aethereis ſuperant complexibus aſtra:
Hæc dona impoſitas referes operatus ad aras.
Parq. feret, dignumq. Deo Deus. Ille peractis
Munus erit ſacris, fumiſq. oblatus odoris,
Idem inclinatô capiet qui munera cœlo;
Iſta adeo monimenta Pater defixit amoris
Donec in extremis incendat ſæcula flammis.

Ergo

Ergo nouis ſacram diſponite finibus aedem;
Ipſa autem in medio ſi ſtructa reſulgeat ara,
Lunatis ſupra, cameram ſuſpendite cruſtis.
Si premat incuruos ſumma teſtudine muros
Marmore ſit niuea, & pharijs rubicunda colūnis.
In medio Superum ſimulabunt lina figuras
Et picturati viuent ſub imagine vultus.
Ante aram Eois interlucentia gemmis,
Et ſolidæ rigeant auro frontalia telæ
Nexilium phrygio contexta volumine florum.
Sed quà tergemino tenduntur lintea velo,
Multa ſuper paſcens niueas lux ordine ceras
Pinguibus accenſum diſcriminet aëra flammis;
Cux auro medios fundat venerata nitores.
Lumina tum claro non decedentia Soli
Lycnuchis tremulum ſparget funale coruſcis,
Et liquido viuens argentea lampas oliuo.
Iam ſubeat ſacris; hominū quid vota Sacerdos
Diſtinet, aſtrorumq. preces? Ecce omnis ab alto
Cœlicolum plauditq. chorus, denſuſq. laborat
Tandem aures dictis, oculos depaſcere viſu.
Nec minus & populi aſtantes venerantur euntem,
Miranturq. virum, vultuſq. infuſa micantes
Numina, fulgenteſq. animos, habituſq. decoros.
Vt vittata tegunt ſe tegmine colla niuali:
Fluxaq. carbaſeis velamina flexibus vndant.
Penſilia vt collo, & totos demiſſa per artus
Alba plicaturo ſtringuntur carbaſa cinctu,

Vtq. interciſam quæ telæ cuſpidat oram,
Sutilis extremos circumfluit inſita limbos:
Zona decuſſato tum pectore lintea preſſat
In geminum diducta femur; breuiorq. ſiniſtra
Brachia, & intortis cohibent oloſerica vinclis.
Vtq. humeros ingens, vt pectora velat amictus
Stamina ſidonio miſcens aurantia fuco:
Binaq. linigerum non vittæ nexilis vlli
Liberat ora latus, nec candida brachia veſtit.
Qualis adeſt ſuperiſq. Deoq. ſimillimus ora!
Nil mortale gerens! non Reges purpura tantùm
Non chlamydes gemmatæ ornãt: non hoſtibus actis
Ipſe triumphali trabea, curruq. ſuperbo
Tarpeias Cæſar ſucceſſit victor in arces.
Vos adeo quæ clara opibus, quæ fortibus armis
Nomina per domitas iactatis inania terras?
Sydera quis bello inuaſit? quis Martia cœlo
Signa tulit? Superos in fortia verba Sacerdos
Sollicitat, ſolioq. Deum deducit ab alto,
Imperijs poſtquam ſubiecerit aſtra ſecundis.
Quantus agit, vaſtiq. premens altiſſima cœli
Fundamenta, grauat nutantem pondere Mundũ:
Tantus ab arcanæ iuſſus penetralibus aulæ
Verba audit veniens vltrò Deus. ò noua ſacris
Maieſtas, & partus honor. Proh qualia templis
Sacramenta canis! demiſſi altaria propter
Supplicibus populi votis attollite palmas,
Percuſſiue ſinus, ac pectora tundite pugnis:

Aut

Aut oculis lacrymas: ſuſpiria promitte cordis:
Aut ora in trepidas reſoluta effundite voces.
Tuq. opere in tanto populis effare Sacerdos,
Quid mens alta premat, quo numinis æſtuet igne,
Gaudia quæ ſecura bibat; dum paupere lino
Diuitias cœli condis, dum conditus auro
Vina cruor redolet, ſpargitq. calentia corda.
Attonito defixa hærent modo lumina vultu,
Nunc gemit, ac totos lacrymarum prodigit imbres,
Nunc tacitis reſonant ſecreta ſilentia dictis.
Te ne ego ſtellanti è ſolio, luciſq. perenni
Sede, Pater, *noſtra reſcrendum ad ſydera dextra*
Accipio? potuiſti alto deſcendere cœlo?
Atq. gigas veluti exultas mea verba ſequutus,
Vt propiùs ſpectare oculis, magnumq. liceret,
Contrectare Deum, niueiſq. obducere velis?
Hoc equidem Pater *omnipotens tibi reddere donũ*
Si iubeor, ſi tanta mea ſtat victima ſorti,
Optanti venio pariter mactandus amori.
Conterat ille meum repetito vulnere pectus,
Arida ſubiectos accendat corda per ignes,
Oblatuſq. Deo moriens adiungar amanti:
Quid tenui infœlix; ſubitoq. recepta relinquo
Munera? quærebam nocteſq. dieſq. vocabam,
Iam reperi, ac verbis ſtatui cæleſtibus aræ,
Vt natum Patri *referam, ſua gaudia cœlo.*
Nec ſequor? aut duplex vno venit hoſtia ſacro?
Altera ſit viuens, deuota ſit altera morti;
Quod

Quòd ſi nec placeo moriens: ſemperq. ſuperſtes,
Semper adhuc pereo ſacro rediuiuus eodem,
Agnoſco quid vita paret; moriturus ad aras
Rurſum adero, ſemperq. nouis noua victima ſacris.
Hoc vnà oblatum comitabor munere Numen.

SACRAE STATIONES Vrbis.

I I I.

SYdera Cœlicolæ pandunt, quos alma recluſis
Roma vocat templis, demiſſaq. munera largè
Sufficiunt. Placare Deũ, *ſcelera alta repoſtis*
Mentibus, vltrices animo conuellere Diras
Tempus adeſt: Patrum veteri nunc lege Quirites
Illacrymare decet rapta mala gaudia vitæ;
Dum precibus delubra patent, Statioq. *piandis*
Mentibus, & propior ſacris Deus *inſidet aris.*
Hæc tepidi cum vere dies cœleſtia ſignant
Tempora, depoſitiſq. ferunt ieiunia menſis.
Ilicet effuſo turpati puluere crines
Dum cinerem, rigidæq. notant oſſa arida mortis,
Tænarijs verſata dolis iam Romula pubes
Proijce, quæ dederat tibi iura nouiſſimus Euan,

Vt

Vt Solem dapibus, vigilares ſydera ludis;
Succede ò templis melior, conuerſaq. cœlo
Vota refer. Delubra tholis operoſa ſuperbis
En ſubeunt populi, portiſq. patentibus vndant,
Ac precibus ſpatia ampla patent. Teſtudine ſumma
Marmore candentem nitor aureus induit aram;
Quam prope, thuriferas, expirans lentus, acerras
Implet odor, tremuliſq. micant laquearia flammis:
Pendula ſeu lucet vigiles Chryſtallus ad ignes,
Defenditq. facem, liquidoq. innutrit Oliuo:
Siue diem veſtit radijs, atq. inuida Soli,
Sole renidentes lux cerea verberat auras.
Belgica iam pictas animant aulæa figuras,
Igneaq. intextas accendit purpura veſtes;
Et quas Parthenope deducit ſtamine telas,
Inſubriſq. manu, Tyrrhenaq. verſat Arachne,
Cernere erit: buſtis huc circumfuſa beatis
Turba coit, magnæq. cadens aduoluitur vrnæ.
Hic locus eſt vbi vota feres, vbi carmine Diuos
Atque Deum placare decet iam tela mouentem.
Sic docuere Patres; Pietas cum vecta per orbem
Pugnaret rigidis cœlo defenſa Tyrannis.
Sed tum atris merſi tenebris, ſpecubuſq. latentes
Effudere preces, & clauſa ſilentibus vmbris
Scrupea Romanos celauit Curia cœtus.

Mos erat, inſani, Superis dilecta, Nerones
Corpora cùm ſæuis populo plaudente theatris,
Puluere ſeu Circi, aut valli Caſtrenſis arena
Demi-

Demiſere neci, laurumq. in morte dedere,
Occultis habitare cauis, altaſq. latebras
Quærere, & ignotas Phœbeis faſcibus oras.
Egeſta quippe innumeris tellure, cauernis
Impendet Tyberinus ager. Stant cæca viarum
Strata, neque obſcuris deſunt Regionibus vrbes.
Recta modò: ambiguo refluens modò ſemita flexu
Curuat in ambages, atq. indeprenſa locorum
Incertas errore vias (ceu Dædalus error
Arua olim Dictæa premit) modò laxat opertas
Terra domos, vdiſq. latent habitacula tophis,
Aut teſtudineus cameraſuſpenditur orbis.
Talia Romanos paſſim defoſſa per agros
Aſpicias; ſiue illa viris ſinuoſa parauit
Antra metus; ſiue ad moles, & Romula templa
Sanguineam liquido lapidi fodere Saburram;
Appia quà portæ ſuccedunt ſaxa Capenæ:
Exquilij Veranus ager quà mœnia montis,
Et Tybur viridi cinctum proſpectat oliuo:
Quà campos Collina tuos, & Pincia latè
Iugera pampineis texunt vineta racemis,
Atque renaſcentem reuocat vindemia Solem:
Quàq. alias inuiſa fores conclauia condunt.
Hic tuti ciues tenebris, gens aurea, plenis
Celantur caueis, raptoſq. immanibus aruis
Heroum cumulant cineres, tumultiſq. recondunt.
Ergo ſinus inter gelidæ telluris opacos
Supplicibus ſoliti Patres conſidere votis,

Inſom-

Inſomnem ducunt per amica ſilentia noctem.
Illi per medias nigræ caliginis vmbras,
Igne leui monſtrante diem, dum candida nutris
Ceræ faces, imamq. fugant ellychnia noctem,
Implorant ſuperas acies, & corpore toto
Procumbunt; gemitus circum ſonitumq. cauernæ
Ingeminant, ſanctiſq. aſſultant vocibus auræ.
Sic adeunda vocant auidæ diſcrimina mentes,
Venturiſq. virum legio deuota periclis
Excubat, alternatq. preces, vigiliq. beatas
Exercet Statione vices. ciet acrior omnes
In cædem, ferrumq. vigor: perq. arma, per ignes
Ire iuuat, quà Numen agit; latebroſa tenebant
Et quæ tecta, nouis mox impleuere ſepulchris,
Cæſaris intento dederunt vbi corpora ferro.
Ex illo deductus honor voluentibus annis,
Luſtraleſq. dies: taciti ſq. occluſa cauernis
Romana vmbroſas tenuere piacula ſedes.
Ipſe locat, mundum latia complexus ab arce
Gregorius, magnoq. ferens ſeſe arduus oſtro,
Poſtquam Romuleam compleri gentibus vrbem
Viderat, & Tyberim populis vndare coactis;
Quos ad buſta fides egit, cinereſq. beatos,
Annua palmiferis ferrent vt dona ſepulchris.
Ergo Pater cæcis inducta piamina tectis
Inſtituit tumulos propter, Diuumq relictas
Exuuias. Totis huc Roma effundere portis
Poſcentes populos maculatæ februa menti.

Olli ſupplicibus patefacta ſacraria turmis,
Inuiſóſq. ſinus, ſecretaq. templa ſubibant;
Ante Patrum cineres ſoliti procumbere, & ante
Oſſa, liquefactis ſuſpendere lumina ceris,
Et circumpoſitis vota inclinare ſepulchris.
Sed iam templa Deo tercentum educta columnis
Preſſere Auſonias numeroſo pondere terras.
Tum Pater extructas vertit Romanus in ædes,
Seu tu Magne dabas niueis purgamina templis:
Poſtera ſeu veniens alius in regna Sacerdos.
Quin etiam producta nouo ſpectacula ritu
Vocibus inſtituere ſacris, ſeptemq. per arces
Supplicibus reſonare choris: longoq. dedere
Ordine Linigeros vrbem luſtrare Parentes.
Menſis erat, vacuam pluuialis flumine cœli
Quo Pater vndarum miratur Aquarius vrnam
Fundere ſtelliferos mutato ſydere piſces;
Aridaq. impaſtæ redeunt ieiunia genti.
Agmina tum certis venere ad templa diebus
Solemnes factura preces. Vos Romulæ teſtor
Compita, ſignari toties quæ lumine Tybrim
Vidiſtis, numeriſq. virum ſeu vallibus imis,
Seu toties reſonare iugis plaudentibus vrbem;
Primus ego primæ referam ſolemnia lucis.
Valle locus media eſt gemini ſub vertice montis,
Circenſis quà Roma dedit miracula pompæ,
Raptaq. centeno fugit leuis orbita miſſu.
Acclinis quondam gradibus, caueaq. patenti

Incli-

Inclita, porticibuſq. nitens, & marmore moles;
Nunc roſtris verſata virent hortenſibus arua.
Hinc monſtrant veteres delapſa Palatia muros,
Et proprior niueam defendit Anaſtaſis *adem;*
Dexter Auentinus, latialis & alta Diana
Limina; ſed latia melius ſacrata Sabina;
Huc agitur ſupplex ſacra per ſolemnia Pubes.
Iam coiere manus; tumido Velabra fluebant
Quà Tyberi, feſtas quà viſit Anaſtaſis *aras,*
Longaq. conceptis ineunt ſpectacula votis.
Prima figurato rutilant inuecta metallo
Purpurea vexilla Crucis; palleſcit imago
Aurata ſuſpenſa trabi: lux cerea circum,
Vitreaq. effulgent clauſis ſpecularia flammis.
Tum iuuenes, gemino tum digerit ordine Patres,
Et via Auentino teritur magis edita cliuo.
Omnibus in morem tenui velamina flexu
Carbaſeos criſpata ſinus, & libera cinctu
Poplite fuſa tenus: queis margine ſutilis imo
Inſita coniferas fluit interſtincta per oras.
Dextra gerit pariles ceris ardentibus ignes.
Quin etiam auratis fulgentia pegmata velis
Imponunt humeris: adytiſq. elata repoſtis
Thure vaporatis portant ſimulacra metallis.
Tum numero librata pari diſcrimina vocum
Alternant: reſonant litui, neruoſq. laceſſit
Sopitos fidicen, vociſq. aſſultat imago
Rupibus, & longè fluuium perlabitur Echo.

Iam

Iam Latij decus omne fori, ſanctiq. Senatus
Succedunt, oſtrina manus: capita alta coruſcæ
Aduelant, auroq. nitent redimicula mitræ.
Ipſe Pater medium ſupereminēt arduus agmen,
Et cinctus niueam triplici diademate frontem
Luſtrat adorantes ſubmiſſe poplite gentes.
Iamque coronati ſubiere ad limina templi,
Aſperſitq. comas cinefactæ puluis oliuæ;
Sacra litant; animos ſecreta piacula purgant.
Sic pia Romanis quondam ieiunia turmis,
Et ſua diuerſas peragebant vota per aras;
Nunc molimur iter, feſtaq. virentia fronde
Auditura preces damus ad delubra ſilentes.
Ire iuuat ſua quiſq. dies vbi templa coronat,
Caſtaq. ſupplicibus declinat Numina votis;
Seu per Auentinas deſertis collibus ædes:
Seu Laterane tuas: picturatæq. niuoſas
Virginis exquilias: quæq. imo colle ſacrarunt
Priſca Quirinales Vitali altaria valles.
Iam ſeptena procul trans culmina: martia campis
Et quà Roma ſedet: quàq. olim tecta ſacrauit
Hoſpita nocturnis oleæ manantia riuis
Tranſtyberina domus, fontanaq. Virginis ædes.
Ante omnes mihi Petre tuis veneratus in aris
Præſes ab auguſto meditaris dona ſepulchro.
Huc & romulidum viſendus in agmine Patrum
Succedit ſupplex Vrbanus, amatq. reclusis
Gens foribus magno ſe circumfundere Patri.

Ille

Ille piat tacitus mentem, Numenq. ſecundae
Romaq. ſenſit opem, & tutos ſibi proſperat annos.

SACELLVM EXQVILINVM Virgini Maximæ à Paulo V. erectum dicatumq.

I V.

ITe per Exquilias, opulentaq. Numine Templa,
Et magna ante ſacras procũbite Virginis aras.
Non picti manibus flores, non candida deſint
Lilia: conceptis donum ſubtexite votis.
Ire iubet Paulus, pretioſo altaria ſaxo,
Lucentiq. nouas componens marmore ſedes.
Ille memor, primis cui ſe vouiſſet ab annis,
Virgineam eduxit molem, gaudetq. videri
Virgo per auratas Regina auguſtior ædes;
Roma ſuos celebrat maiori culmine montes.
Tu quoq. nec turres, nec Mecœnatis amœnos
Roma iugis memoras olim fondentibus, hortos.
Scimus, adhucq. manet lucis par fama vetuſtis;
Seu properantis aquæ Chryſtallinus adderet aruis
Murmura; natiuo ſeu pumice conderet humor;

N Siue

Siue renaſcentes redolenti ceſpite flores
Fida per apricos nutrirent flamina colles,
Aëriaſq. comas, ſemperq. virentibus arbor
Ipſa ſibi folijs patulas attexeret vmbras.
Hæc cecinere olim, quæ mox aut hoſtibus actis
Ira ferox, fremituſq. Euri, ſeu longa vetuſtas,
Seu diræ rapuere faces: quæq. impia Iuno
Templa tulit, quà Virgo nites. Nũc Fama ſuperſtes
Exquilijs decora acta canit, quæ maxima Paulo
Principe ſecla vident. Sed quas tu marmore moles,
Æmula ſydereo quæ culmina conſeris orbi,
Non hęc tẽpus edax, non flamma, nec horrida cœli
Diluuies nimbo inuoluet. Pulcherrima Virgo,
Cuius ad imperium, tempuſq. ætaſq. feruntur,
Et iuſſo pater annorum Sol vertitur aſtro,
Æternam ſine fine dabit, ſine tempore vitam,
Deuotaſq. ſibi dextra tutabitur ædes.
Ignibus ipſa niues: niuibuſq. morabitur ignes
Semper Diua ſuis; quibus olim templa locari
Iuſſit, & algenti iaculatus vellere montes,
Syrius æſtiuis commiſit frigora flammis,
Nox erat, & rabidi Sol frenans ora Leonis
Vrgebat calidas auguſto ſydere Nonas:
Romaq. ad Exquilias ardenti frigida cœlo
Velabat niuibus baccata recentibus arua.
Obſtupuere animis, medios cum viſa per æſtus
Latè humus albenti velare cacumina nimbo,
Euentuq. hærent. Sed iam Pater ipſe futuris,

Terge-

Tergeminos verſat Latio qui vertice faſces,
Fundamenta iacit, quà nix diuiſerat agros,
Deſignatq. locum templis; tum regna tenentes
Romula Liberiam lato poſt limite ſedem
Laxauere Patres. Iamq. obſeſſura ſuperbas
Excubat ante fores octonis ſtructa columnis
Porticus, æterniq. aperit penetralia templi.
Hinc, illhinc dena, totidemq. effulta columnæ
In cœlum latera attollunt, quibus area ternas
Finditur in partes, ſpatÿq. tricorporis ædem.
Tum paries vario pictas emblemate formas
Suſtinet: alta ſuper tecti laquearia fulgent
Auriferis ſtellata roſis: Sic *aſtra ſereno*
Lumine ſydereos pingunt radiantia campos.
Hic Paulus ſedes ſtructiſq. operatus in aris
Virgineæ matri donum immortale ſacrauit.
Exquilÿq. nouo gemuerunt pondere colles,
In primis annoſa cadit, longeq. ruinas
Dat conuulſa domus, lateq. effoſſa dehiſcunt
Iugera. congeſtis iam fundamenta laborant
Molibus, aſſurgit paries, ac ſydera lambit.
Ante aditus conuexa choris habitantur amicis
(Quà tholus exiguum medius coit actus in orbem)
Aligerum, manibuſq. alacres, pedibuſq. per auras
Ludunt in numerum; comitē comes inuidus vrget,
Hunc fugat alter, adest alius, celeremq. moratur,
Et victor volat, & rapitur, victuſq. triumphat
Ridenti ſimilis, ſeſeque in gaudia verſat.

Atq. omnes circum denſa obſedere corona
Nubifero in ſolio regem, ſceptroq. decorum.
Inferiùs ſedere cauo ſub fornice Patres,
Nominaq. auguſtæ memorant & Virginis ora:
Et (mirùm) ſimulant operoſi verba colores.
Quàq. ſuper iunctas teſtudo innixa columnas,
Langueſcit moriens (Diuam fulcite cadentem
Floribus, & pictis adiungite mala roſetis)
Diua per extremos ſomno langueſcit amores.
Ære graui ſtridunt poſtes, commiſſaq. ferro
Ianua pandit opes; uam pars diuiſa metallo
Ære caret: rigidis pars conformata cylindris
Pampineos ſimulat folijs, & palmite thyrſos.
Hinc regnatrices Aquilæ, dominæq. volucres:
Hinc Draco terribili pro poſtibus excubat ore,
Et tutus ſquamis, fuluoq. ſuperbit in auro.
Aſt introgreſſæ mirantur marmora gentes,
Plurima quæ Ligures lunenſibus eruta venis:
Quæque metalliferis ſuccidit Iberia campis:
Quæq. olim priſcis Roma intulit aurea templis,
Externis aduecta plagis. Seu Sinnade ſaxa
Interſtincta Phryges maculis miſere cruentis:
Caniciem criſpa, Ægyptus: liuentia, Lesbos:
Picturata, Lybes: guttataq. Thebais auro:
Alba, Paros: maculoſa, Chios: variata, Caryſtos,
Verſicolorq. Thaſos: rorataq. murice Sidon,
Et Tyros: & Nilus tyrios imitata rubores:
Atraq. Lucullo, & ſcenis celebrata latinis:

Et

Et duri Oebalio viridantia monte Lacones.
Angue coloratus viſentem paſcit Ophites:
Vngue notatus Onyx: ſpiris Alabaſtra recuruis,
Virgatiq. vndant ſinuata volumine fluctus.
Biſgemino locus interior componitur arcu,
Pendenteſq. ligat quater angulus; emicat ingens,
Et cameratus apex vaſto ſuperimminet Orbe.
Ergo vbi conuerſo ſtridentes cardine poſtes
Suſpenſo ære gemunt, maculoſo tegmine veſtit
Marmor ab Hiſpanis exciſum montibus; illi
Sanguineos variat ceu glarea miſta colores:
Purpura ceu chlamydem texto diſcriminat auro.
Sic veſtiri omnes cruſtis lucentibus Antas,
Et paribus ſacros ſpatijs obducere muros,
Ludenteſq. intus rerum mirabere formas.
Hinc, atque hinc aſtat, viridiq. Paraſtata ſaxo
Cingitur, & turgens niueo ſe margine claudit.
Quàq. duos ſectus paries aperitur in arcus,
Culta manu artificis, dextra, læuaq. perennat,
Et minor ingenti coniungitur ara Sacello.
Hanc Franciſca tenet: læuam tibi Carole Paulus
Obtulit, & cœlo pariles æquauit honores.
Altera: ſydereis quam pridem inſcribere faſtis
Debuit, ac ſuperas inter numerare Sorores
Tybris, & auſonias tumulo prouoluere Matres.
Inſubribus ſpectandus auis, ac ſtemmate longo
Alter, & inſignem ſe Borromæus agebat:
Italiæq. decus, Romæ, Patriæq. voluptas.

Purpureos tollit proceres, latiumq. Senatum.
Aris par geminis labor additus: vtraq. in auro
Lucida, depictis imitabitur vtraq. muris
Facta virum, & viuis ſimulata coloribus ora;
Stant innixa ſuper, defenſaq. marmore circum
Pulpita; ſolemnes animare vbi dulcibus auris
Turba modos: vbi vocales reſonare choraulæ,
Percuſſiſq. ſolent adiungere carmina neruis;
Præſes adeſt, plauditq. ſua inter carmina Virgo.
At ſuper horrificant cælati ſaxa Dracones:
Saxa tenent Aquilæ grauibus candentia pennis.
Hic capita alta leuant folijs vmbrantibus Antes,
Iſthmia ceu docuit vireſcere ſaxa Corinthus
Flore ſuperiecto, & ſummis inſculpta volutis.
Hic & ludentes pueros, dorſoq. grauantes
Cernere erit, nexos tumida inter poma racemos;
Mollia ſub duro miteſcunt marmore poma:
Dedignata ſuos & candicat vua rubores.
Quantus Epyſtilio decor eſt! quod ductilis ornat,
Inter & inſertos ter cingit faſcia talos,
Marginat & baccis torquata nitentibus ora.
Læuis at induitur lapides ſublimè virentes
Zophorus, & nigris, maculiſq. interplicat albis:
Ac ſuper extantes, attollit, fronte coronas.
Iamq. patet læuum templi latus: ecce ſepulchrũ
Alba quaterductis viret inter ſaxa columnis.
In medio ſedet auguſtus diademate, & oſtro
Lumine adhuc cingens gentilia ſydera Clemens.

Idem

Idem habitus, eadem ora viro, qualē inclita Roma
Vidimus arcano moderantem Numine Regna.
Ipſe ſedet ſolio medius, circumq. ſupraq.
Marmorea effigies ſaxo calantur eburno .
Hic ſpectare licet, primi diademata Regni,
Et ſena in rutilas formantur ſydera gemmas.
Stant circum lecti proceres : capitiq. decoras
(Namque altus ſolio Clemens) poſuere coronas.
Hic etiam poſitis quos ille vocauerat aris,
Templaq. ſydereis inuexerat aucta triumphis .
Hinc aſtant gemini nectentes mutua Reges
Fœdera : iam Rhodanus, iam tela reponit Iberus.
Inferiora lapis ſpirat bella, aſpera bella ,
Marte recedentem premeret cùm Theſſalus Iſtrũ .
Roma ferox ſæuit contra : ciet agmine Clemens
Aldobrandinis vexilla volantia raſtris .
Strigonium tumido clauſum defenditur Iſtro,
Signaq. Threicia ſuſpendit lellica Lunæ .
Hinc radiata ſuis mucronibus Aſtra coruſcant :
Lumina Biſtonium commutat ſanguine Sydus.
Franciſco plauſere acies : & Sfortia bello,
Et Pius, & pauidum Baleonius increpat hoſtem:
Quiq: Tybrim reſonat, domitũ Delphinus ad Iſtrũ
Nobilis & criſta veniens Federicus, & auro:
Vnà omnes : Mariuſq. ferox Farneſia cingens
Arma, notat veteres clypeoq. haſtaq. Hyacinthos:
Nec longè in medias acies ſe Montius infert:
Et Peruſina mouens pugnaci prælia Cornu

Corneus. Anteuolant Superi, vireſq. miniſtrant:
Turca fugit, domitaq. patent Victoribus arces.
Parte alia occluſas aperit Ferraria portas,
Mœniaq. inuectum celebri ſuper alta triumpho
Clementem ſolio ſultum veneratur eburno.
Aptior ille ſacris, cano venerabilis æuo,
Millibus in medijs, denſis tamen obſitus armis
Fertur: adorantes ſubmittunt culmina turres.
Illi & populeas inclinat ab arbore frondes
Eridanus, proniſq. ſonant lacrymantia ramis
Robora: reſpondent Clementia nomina ripæ:
Suntq. laboratis quondam ſua murmura ſaxis.
At contrà eſt eadem facies, operiſq. labores
Et lapis, & viridi ductæ de rupe columnæ.
Procumbit Paulus, caſtæq. ante aurea Matris
Ora, ſuæ renouat votum ſolemne Parenti:
Inclinatq. hominum Regem, iungitq. potentes
Sollicitare Deum palmas, cœloq. tonanti
Deturbare faces, teliq. tricuſpidis iras.
Ante pedes Diadema iacet, cœloq. paterno
Ille ſuas commutat opes. Sed poplite flexo
Quamquam Virgineis ſupplex ſe deuouet aris,
Regnantem tamen aſpiceres, populoſq. regentem.
Tantùm oculis, tantùm auguſto clariſſima vultu
Maieſtas, ſceptriſq. manus micat apta gerendis.
Arte figuratis inſculpta toreumata ſaxis,
Sedulaq. impoſuit titulos ibi Fama ſuperbos.
Stat Vaticano tollens è culmine faſces,

Nec

Nec dum maturos cum Regno adduceret annos,
Emeritas Paulus, Roma properante, tiaras.
Inde ſuam plenis fœcundat meſſibus vrbem:
Iuſtitiaq. regens Italos ac legibus æquis,
Diſſociata premit vaſto procul æquore bella.
Parte alia moles oſtentat Roma ſuperbas,
Extructaſq. domos, eductaq. limina cœlo:
Inſtrataſq. vias: erectaq. marmore templa:
Largaq. montanos quærentia flumina fontes.
Inuectus niueas Paulus ſuccedit ad aras,
Et noua ſolemni deducit nomina ſacro:
Cœlicolæ ſuperis aſcribunt nomina faſtis.
Signauit ſtructas Ferraria nobilis arces,
Et pauido antiquas fugientem gurgite ripas
Eridanum: ſurgunt late turrita, fluentes
Mœniaq. immergũt limphis trepidãtibus vmbras.
Tu quoq. Romani Burgheſiæ Principis arma,
Victriceſq. Aquilas ſcythicis Rodulphe Tyrannis
Obijcis. Extremi venere in fœdera Reges:
Seu medijs feruens Manicongius æſtuet horis:
Perſida ſiue alius, pronumq. inducat Araxem.
Ille immaturæ referat ſolatia mortis,
Romano iacuiſſe ſolo: trans vltima Bactra
Hic auidus martis Latias in Thracia bella
Implorauit opes, Pauliq. ad ſigna Dracones.
Cœtera quid referã? Pario quid marmore ſigna
Sena ſuis diuiſa locis? vaſtiq. Gigantis
Funditor icta premit ſaxis fluuialibus ora.

Oraq.

Oraq. Dauides fingi ſibi ſaxea gaudet.
Illi thura manu : fumos nec acerra volucres
Denegat ; intrabat Solymæ *ſic templa Sacerdos.*
Illi *Virgineos miranti euoluit honores*
Diua Deo ſimilis : qui lethum in nocte diurna
Numinis edocuit patrias tremefactus Athenas.
Ille *locuturo voluit ſub marmore laudes,*
Gallia mellifluo ceu ſenſerat ore canentem.
Alter adhuc Diuam cælo proſpectat aperto
Sole incendentem muliebris ſtamina pepli,
Vltro & adorantem Dominæ *veſtigia Lunam.*
Stat contra intacta puros meditatus amores
Virginis, & ſancto ſpectatur nupta Marito.
Quid canã inaurato fulgentes tegmine muros?
E*t circum pictos ſimili ſub imagine Reges?*
Virginis auſpicijs valida Eraclius in arma
Irruit, Euphratemq. ferit, captiuaq. ducit
Signa : nec Armenijs munitur Coſdroa regnis.
Emicat hinc Narſes(cui Virginis addita virtus,
Et bello exigui maior ſtat corporis ardor)
Infreneſq. Getas, Totilamq. extrema ferentem
Excidia, atq. Italos vaſtantem milite campos
Frangit, & exuuijs implet victricibus vrbem.
Portat Idelfonſus *ſacras à Virgine veſtes.*
I*nde Damaſceno raptam crudelibus auſis*
Diua potens iungit populata ad brachia dextram.
I*llq; docet Fidei leges, ſolemniaq. audit*
Verba, & inaſpecto voces imitatur ab ore
Grego-

Gregorius; cedunt infernis acta venenis
Agmina; noxa vetus luſtrali immergitur vnda.
Verum vbi lunatum ſuſtollitur arcus in orbem,
Collucentq. auro, gypſoq. albaria turgent,
Aſpice, flet natum ſuper immoritura Leonem,
Fœdantemq. videns altaria vulnere mater.
Hic ſubit vltrices Deſertor, Virginis iras
Cæſar, & infixum vomit alto pectore fulmen
Infœlix; at tu votis infide maneres
Sceptra nec Auguſtæ violares Flauia gentis,
Aut prima innocuo ſcelerares ſanguine regna,
Te quoq. clamantem fruſtra (miſereſcite flammæ)
Flamma occulta premit, nutris tibi dire curules
Conſtantine faces, bibuliſq. incendia venis.
Ora tenent diuerſa Patres, ſua bella Virago
Queis agitare dedit: forti defenſa Cyrillo,
Ac telis Cypriane tuis, pugnataq. magno
Quondam Irenæo: latiæ quam victor arenæ
Perſonat in medios Ignatius ore Leones.
Nec procul Aſſiſias comitem proſpectat Iberum,
Votumq. ingeminant. fulgent diademata contrà
Gemmea, regales imitataq. fœmina cultus:
At Diua inclinat dominos Pulcheria faſces.
Quid referam vectos patrio de Tybure montes,
Exterior quà Cella nitet? ſimulacraq. Diuum
Parietibus magnæ titulos inſcribere matri?
Quid picturatos decliui culmine muros?
Summa vbi ſe moles, vbi ſe conuexus in auras

Alta

Alta tholus paruo minuit per nubila gyro?
Quatuor hic relegunt antiqua volumina Vates,
Et veteri ingentem meditantur carmine Diuam.
Ecce elata ſuper famulanti ſydera nube
Virgo triumphatrix ſtellantibus euocat oris
Cœlicolas; pictas chlamydes, fulgentiaq. arma
Quiſq. gerens, quiſq. auriferas in fronte coronas,
Pennati proceres reuolant ardentibus alis.
Ipſa etiam prono labuntur Sydera *cœlo:*
Luna ſubit pedibus: rutilo Sol *veſtit amictu:*
Signa comas duodena tegunt. Hinc peſtifer anguis
Fractus membra cadit; non illum ſquamea colla,
Non ſpira, non corda atris armata venenis,
Non implorantem ſocij iuuere Dracones.
Hinc Solymæ collecta manus dominamq. ſequuta
Obtutu, repetit fugientem, ac mille reducit
Gaudia. Sed noſtrum ſibi deſtinat vltima carmen
Diues opum variarum, & cuſtos Virginis ara;
Virgo ades, & mecum numeros molire ſupremos.
Aurea bis geminis coniungitur ara columnis,
Quas ſolido aëre nitens, & Iaſpide *ſubligat aurũ.*
Purpureus lapidi color eſt; ſed concolor alba
Vina niui maculas ſerit interfuſa nitentes.
Et ſtria ſubiectas interſecat aurea gemmas.
Auratumq. Caput: Spira aurea: murice ſaxi
Picta rubet Baſis, extremo quæ fulgurat auro.
Quàq. altè moduli irradiant, flexæq. coronæ,
Curua ſuper gemino faſtigia corpore, ſeſe.

Hinc,

Hinc, atque hinc iuuenes inſtrati mēbra reponūt.
Ære, auroq. graues, pedibus per inane ſolutis
Seſe oculis, Dominamq. animo venerantur amāti.
Altiùs Aligeri ærato puerilia vultu
Ora ter attollunt: veſtis defenditur auro.
Horum qui medius, dextra, læuaq; coronam
Virgineo ſeruat capiti: mouet aureus infra
Aurea raſtra Pater, ſignatq. niualia templa;
Circumſtant populi, mediuſq. per agmina Cæſar.
Cœrula dein facies: interq. columnia veſtit
Cyaneus quadrata lapis. non lumine cœlum
Sic aperit redeunte ſuos ſine nube colores:
Non mare, dum poſitis humor ſtat lucidus vndis.
Hic quoq. inauratos fulgentibus aëre pennis
Cœlicolum reges videas. Submittit amico
Ille humeros, oneriq. habiles accomodat alas:
Fortes ille manus, geminataq. brachia verſat,
Nec comiti ſortis, nec ponderis inuidet æqui.
Diua ducit amor: Diuam celantq. feruntq.
Et vela obtendunt, ſolido vela aurea textu,
Claraq. Erythræis collucet linea gemmis.
Virgo intus gaudet, capitiq. ardentia nectens
Sydera, Romanos non dedignatur honores,
Gemmanteſq. humero Pauli ſuſpendit amictus.
Quin etiam (teneras nam forma imitante Colūbas
Numen adeſt) propiore Deo dum concipit æſtus,
Fœcundos afflata ſinus, conuerſa refundit
Arcanas in corda faces, votiſq. precantum

Illa-

Illabensq́ animis molles prætentat amores:
Donis Roma viges: populi noua tecta frequentant,
Vixq. patent ſectis Aſarota nitentia cruſtis.
Tu quoq. Roma canis veteris miracula facti,
Et ſpectata malis magnæ ſimulacra Parentis.
Illa tuas miſerata neces, cùm dira ſubiret
Peſtis, & obſcuro pallerent ſydera nimbo:
Cum ſcelerum vindex Tyberinæ culmine molis
Aliger excuſſo vulgaret funera ferro,
Nec dum ſanguineos vaginæ includeret enſes.
Nil niſi funus erat: ſumma cùm peruigil arce
Præſul ad Exquilias lectos procedere Patres
Imperat, & longa templum redimire corona.
Nec mora. conuenere: fluunt longo ordine turmæ:
Ardentes luxere faces: penetralibus altis
Virgo elata ſuos luſtrat ſub imagine Ciues,
Et cecidit moritura lues, profugiſq. receſſit
Auia funeribus, nebuliſq. exuta malignis:
Vita redit terris: redeunt ſua ſydera cœlo.
Roma ſacrat votum, & populi teſtantur amores.
Sed non illa nouis pugnent ſolemnia ſacris,
Cùm Diuæ renouatus honor: cùm ducta per Vrbẽ
Ipſa coronatis nuper ſuper aſtitit aris,
Intrauitq. domos Regina inuecta recentes.
Cernere erat late populos, & longa viarum
Veſtibus auratis, pictiſq. ornata tapetis:
Ibant & turmæ procerum, ſtipantq. Senatus
Agmina purpurei, atq. ipſo in limine Paulum

Sacra

Sacra inſtaurantem, venerataq. Virginis ora
Flectentem votis, propriaq. in ſede locantem.
Tu modò Diua (tuos ſi tantùm inſtaurat honores:
Gemmanti ſi pura ferens altaria ſaxo:
Si tibi marmoreas æterna Pace columnas,
Æraq. conſtituit: te te vnam pronus ad aram
Si vocat, & Mundi tecum molitur habenas)
Iam precibus propior, tranquillo ſoſpita vultu
Adſis ò, Pauli conceptaq. vota ſecundes.
Tu potes æternis intexere ſerta coronis:
Tu potes aſtrifero per cœlum ducere curru;
Cuncta dabis Virgo, ſuſceptaq. dona rependes.

HORTI QVIRINALES Pontificij.

V.

SPirat ab vmbroſis, Zephyri molliſſima lucis
Aura, Quirinales quæ mõtibus incolit hortos,
Et ſpectare locos, fonteſq. inuitat amœnos,
Aura iocoſa redi; ſi leni arguta ſuſurro
Certatim reſonas frondoſi gaudia collis,
Malaq. de ramis, ruptas de ceſpite gemmas,
Eductaſq. domos hedera, platanoſq. comantes,

Et

Et myrtos virides, & quæ de fonte perenni
Certatim potant liquidos pomaria riuos.
Ipſe ego floriferæ diſcam miracula terræ,
Ingeniumq. ſoli, pomoſaq. munera dicam;
Et Dominum Muſis longè venerabor amicis,
Principiò quantùm metiri lumina viſu,
Quantùm æquare valet ſpatioſus iugera collis,
Planicies fœcunda iacet; ſtat regia muris,
Hinc & ſurgentem ſpectat domus ardua Solem:
Hinc fontes, denſiſq. virent vmbracula ramis.
At quà materna Boreas deſcendit ab Arcto;
Subſidit tellus, & molliter edita cliuo
Semita ſubiectos brumæ ſine frigore campos,
Et geminos aperit lucis ſine verbere lucos.
Ipſa iugo Natura ſedens, & blanda Voluptas
Viſa manu nemorum primos diſponere ſulcos,
Et ſignare locos, dulces vbi marmore fontes:
Lilia vbi, & lentis teneros arbuſta per annos
Iuſſa ſequi diſcant, obeundaq. munera ramis.
Ergo ſuis numeroſa foris, & limite certo
Hinc, atq. hinc diſcreta iacet, fœcundaq. campi
Iugera frondenti diſterminat area vallo.
Non ibi Chaonias quercus, non robora (duris
Ceù ſurgunt iniuſſa iugis) ſylueſtria tellus,
Noxia nec patitur ramis dureſcere poma.
Culta nouo ſeu flore ſinus, violaq. recenti,
Arbore ſeu bifera, molli ſeu pingitur herba,
Irriguoſq. bibit muſcoſo è pumice riuos.

Excur-

Excurrunt teneras circum topiaria frondes,
Et longo obiectas venientibus ordine myrtos,
Detonſiſq. comis tollunt & vertice buxos.
Bis ſeptem Areolae: totidemq. minoribus vndis
In medio ſcatebra: tenuiq. argentea plumbo
Lympha fugit mordens cognatas mobilis herbas.
Quàq. aditus patet, aut ſpatijs coit angulus æquis
Picta coloratis inſculpto è marmore quadris
Teſta ſuper reſidet: viuunt per ſaxa Dracones,
Cuſtodeſq. operum ſeptis viridantibus angues
Inuigilant, pedibuſq. ferit Iouis *armiger vncis.*
Hic paſſim virides mentiri corpora frondes,
Et folijs textas videas volitare volucres.
Illa recedenti ſimilis, ſimiliſq. volanti
Libera iam trunco geminis ſubremigat alis:
Illa animis, roſtroq. minax petit eminus hoſtem:
Illa ferox criſtis, natiuo diſcolor auro
Indignata dolet cunctas virideſcere pennas.
Quin etiam telis, galeaq. induta comanti,
Et clypeata furit myrtus: ſtant frondea ferro
Agmina, ceù turres, ac propugnacula circùm
Denſati veniant hoſtes: hi miſſile telum
Expediunt: longis hi pugnant comminus haſtis:
Hi feriunt, liquidoſq. trahunt pro ſanguine ſuccos.
Parte alia puppis Zephyro dat vela tepenti
Apta ſolo, & fruſtra conſumit carbaſus Euros.
Hinc hominum, ſuperumq. trahit cælata figuras,
Seq. ſacris naſci miratur frondibus arbor.

In medio tellus gemmantibus herbida plantis
Regales imitatur Apes, molleſq. figuras
Geſtit odoratis æternùm viuere fibris,
Agnoſcit campus Dominas, atq. omnia laxat
Spiramenta; trahunt dulces ſerpilla liquores
Neſcia per noctem rigidis areſcere Cauris.
Quin etiam tenui creſcunt Violaria ſulco,
Et circum teneros pariunt lætiſſima fœtus.
Tu puras Narciſſe niues, aut lutea colla
In tepidæ credis concordia frigora Brumæ.
Frigora nec metuis Hyacinthe innoxia, magnis
Quæ tibi concilias opibus; ſic pulcher in auro,
Pulcher & argento, vitreis aut concolor vndis
Te mille in facies, & nomina mille colcras.
Hic & Pæſtanis certans Anemona roſetis;
Cui tumido collecta caput ſeu purpura nodo,
Seù nix alba tegit roſeo circumdata limbo:
Explicat & varios eadem pulcherrima cultus.
Vos quoq. liquiſtis iam credita montibus, imas
Lilia conualles, viridiq. hærentia culmo
Lacteolos puro calices afflaſtis odore.
Quin & formoſæ Tulipæ (quibus inuidet Iris
Grandia inexhauſtis diſtincta coloribus ora)
Omnigeno pictos ſimulant in ceſpite flores.
Nobilior liquidas implebis odoribus auras,
Cariophylle omnes ludes imitate colores.
Prima Dioneæ vos & lactentia Matris
Germina, & oſtrifero redimita roſaria crine

Cer-

Certatim molles inter floretis Acanthos,
Præcintuſq. rubes niueis Amarante Liguſtris .
Ornas parue ſinus hic Ianſimine *caducos,*
Oraq. ab Æthiopum nigris albentia terris
Pulcher agis : medios hilarans aut floribus æſtus
Nomina ab Hiſpanis ducis Catalauniæ regnis;
Et totidem noctis naſcentes educat humor :
Quot matutinis cultor demeſſuit horis.
Ipſe quoq. ignotus qui Mexica rura tenebat
Pulchrior in ſeptis vernat Granadillus amœnis;
Ille ſuper folia auguſti candentia floris
Spinea contexit lento diademate ſerta ,
Cuſpidis ac ternas acies, & vulnera ſignat:
Argumentum ingens, morientis ſigna Tonantis,
Ergo renaſcentis ſub flaua crepuſcula lucis,
Ambitioſus humum cùm vere irrorat Eous ,
Ipſa ſuo calathos veſtit, dominoq. miniſtrat ,
Et Nardo, & *Viola donum ditiſſima tellus.*
Flos metitur, textis vrget quem nodulus herbis,
Sparguntur q. Aſarota Roſis, menſæq. Liguſtris .
Mox vbi depoſitis Vrbanus pectore curis
Lætus adeſt , tum pura ſacris veſtigia plantis
Quà ſignat, vernos certatim terra colores,
Diſcolor & pictas exponit roſcida merces ,
Diuitias mirata ſuas : Stant agmine longo,
Lætaq. adorantes veniunt in gramina gemmæ,
Præterit aura nouos ludenti murmure flores ,
Perq. vmbras tenues, commiſtaq. ſerta volutus ,

Itq. reditq. vias, & ſuaues ſibilus inter
Vrbani auguſtum nomen meditatur odores,
Quid dicam arboreos fœtus, mutataq. mala
Matris adoptantes circum flaueſcere ramos?
Vos quoq. poma parit rutilanti Medica malo
Quatuor & tellus diſcriminat herbida ſeptis,
Et querulo fontis lapſu leuis irrigat humor.
Vos etiam grauidis properaſtis Citria ramis
Heſperias meliore ſolo mutare nouales.
Seù tereti picta nutritur margine teſtæ,
Et ſobolem, ramos arbor collecta fluentes,
Sæpe legi manibus gaudet, ſemperq. recenti
Flore nitens: paruæ maior quoq. gratia Matri eſt.
Seù medÿ ſurgens ſpatioſo limite campi
Libera ſublimes effundit in aëra frondes.
Seù propior Domino, muriſq. affixa ſuperbis
Poma parit primùm virides imitata colores,
Mox tingit, fuluoq. rubent accenſa metallo:
Rurſus & in florem, fœtuſq. induta minores
Non hyemes horret, quæ flumine temperat æſtus,
Longa coloratis ſimulans aulæa figuris.
Quis rerum ſpecies, quis cuncta æquare canendo
Nomina, quis tantum ver audeat? Ilicet omnes
Defeſſi redeunt tot per miracula viſus,
Defixiq. hærent, iterumq. iterumq. tuendo
Expleri nequeunt, ſeſeq. ad viſa retorquent.
Iā vocat vndarū ſtrepitus, numeroſaq. in auras
Arbor ab extremo quæ tollitur ardua campo;
Con-

Concentuſq. pares auium, lymphaq. ſuſurros,
Et vaga ludentes ad murmura prouocat Euros.
Aſpice, depreſſis ſonitu quæ perſtrepit aruis,
Vnda cauum ſtagnans habitat ſecreta per antrum:
Saxaq. lucentes irrorant tophina guttæ:
Et ſcaber humeſcit conuexo tegmine pumex.
Hinc iterum ſalientis aquæ collecta perennant
Murmura, & in tenues colludit fiſtula lymphas.
In medio fontana ſedent, & marmora miris
Viua modis potant latices, atq. ora quietis
Contemplantur aquis, velantq. ingentia muſco
Membra. neq. aſſidua releuant aſpergine vultus,
Eſt locus, arborea tegitur qui plurimus vmbra,
Quà diſcit tabulata ſequi, quà vimine texto
Flexilibus ramis camera ſuſpenditur arbor.
Vndiq. ſtat paries hedera, lauroq. virenti,
Frondibus æternis nemoroſaq. cingitur aula,
Nec deſunt aulæa ſuis decorata corymbis:
Aut abiegna ſolo, viuoq. ſedilia ſaxo.
Hic etiam veteris videas ſpirantia formæ
Marmora, cuſtodeſq. loci conſiſtere Muſas.
Fons ſonat in medio, ſemperq. virentia muſco
Saxa irrorat aquis; prærupto ſcrupea dorſo
Imminet à tergo rupes, aqua culmine ſummo
Emicat, inde cadens vario liquidiſſima cliuo
Scinditur, & fontis ſubiecto conditur alueo.
Hinc, atq. hinc emiſſa cauis ceu pugnet in auras
Euolat vnda tubis: plumbo bibitura latenti

Ora decem iaculantur aquas: pars læua minatur,
Pars obuerſa fremit; vitreos ſinuatur in arcus
Lympha fugax, ſeſeq. vrget, ſeſeq. volentem
Implicat, aëriaq. diu teſtudine pendet.
Rex ibi Maieſtate ferox, terrorq. ferarum,
Squamoſus Draco nimbifero ſub fornice regnat.
Ille etiam fonti latices pleno ore miniſtrat,
Expanditq. procul. Zephyro tumefacta fugaci
Lintea ceù tendit malus, ceù carbaſa turgent;
Inq. ſinus cogit, ſeq. vnda effundit apertos:
Vndiq. conſpirant riui, ſcatebraq. ſonantes:
Scena coronat aquas, curuiſq. arbuſcula ramis,
Vmbraq. adſtantes, & amabile frigus aluntur,
Quid dicam, media quà tollitur apſide turbo
Spumeus? extremam ſeù marginat imbribus orã,
Seù cadit irrorans, magnoq. recondita ſubter
Æſtuat vnda lacu, tunditq. coercita muros?
Quid dicam, occulto feriunt quà ſpicula plumbo?
Anguſtoq. aditu ſe Lympha erumpit, & ora
Seù ferit, aut ſubito pulſat veſtigia nimbo:
Ardua ſeù cœlum repetit, rurſumq. perennes
Fontibus illabens renouat colliſa querelas?
Quàq. pluit tenuis riuis rorantibus humor,
Et ſuper exeſo curuatus pumice fornix
Senſim inſtillat aquas? ſed enim mox flumina largo
Ebibit alta ſinu, totoq. à vertice nimbos
Agglomerat: ruit in præceps, & viſcera ab alto
Egerit, inferiorq. ſuo fons æquore inundat.

Quàq.

Quàq. ſonant amnes depicta per antra loquaces,
Et reſponſuræ coguntur ad organa lymphæ ?
Ante viret Platanus, veteris quæ tegmine frondis
Ardua inumbrat aquas, & frigora ſubijcit vndis;
Poſt aditus numeroſa tenet, gradibuſq. viciſſim
Accipit, & lymphas rotatilis vrna refundit.
Totq. vigent vno rerum miracula fonte,
Vt blandos vacuæ ſonitus modulentur Hydraulæ.
Defluit occultis inducta canalibus vnda,
Stridenteſq. Euros, calamoq. incluſa trabali
Flamina pellit agens; animæ luctantur euntes:
Ductilis ac tenues quà pandit fiſtula portas,
Cum fremitu erumpunt, forisq. elapſa canoris
Innumeræ circum variant diſcrimina vocis.
Imparibus ſonat ecce tubis, & machina cantus
Vocalis geminat, nulloq. coercita tactu,
Pinna tamen queritur digitos volitare latentes,
Concentuſq. vrgere nouos, auramq. ſonantem.
Accurrunt picta volucres, & ſauſta diurnum
Noctua marmoreo molitur gutture carmen.
Huc quoties Satyriq. leues, Fauniq. ſilentes
Conuenere! ſacros qui cingunt agmine lucos,
Exercentq. choros; quoties auditus Apollo
Aonium percuſſit ebur! Zephyriq. tacentes
Cuncta per intentos poſuerunt murmura ramos.
Nox erat, & latebris educta ſilentibus aſtra
Iuſſerat auratas per cœlum ducere formas.
Iamq. propinquabat nitido lux aurea curru

Et ventura dies lætis gratiſſima terris,
Vrbano cùm Roma nouos adiunxit honores,
Et Vaticanas ſacrorum ceſſit habenas.
Nocturnas renouant fontana per antra choreas,
Et Fauni, & cuſtos antri nemoralis Apollo.
Dumq. metallifera reſonant ſub arundine fontes
Carmen agens Phœbus *vocalia compulit ora:*
Huc ades, ò Tybrim. *vicinaq. Tybridis arua*
Linque Pater: *nimis illa feris latratibus vrget*
Syrius, & tacitis incendit peſtibus annum.
Hic ſecura quies, & molles arboris vmbræ,
Murmur aquæ, & ſoles hic decipit aura calentes.
Hic quoq. ſi qua mali bibulas illapſa medullas,
Vis agitat corda ambiguo trepidantia motu,
Cedet, & ancipites componet pectore curas.
Hinc vbi iam placidis populos moderabere frenis
Ipſe tibi cunctos agitabo in carmina vates,
Et mea Romanos inducam flumina colles.
Hunc omnes laudate, modis quicunq. canoris,
Aut Tybrim patriũ, aut Italas *reſonatis ad Vrbes.*
Quis Patris Hetruſcam *gentem, claroſq. vetuſtæ*
Stirpis auos? ſtudijs cultas iuuenilibus artes
Quis vel Pierias neſcit? vel docta Lycei
Atria? & Auſonio fundatas Cæſare leges?
Et dubias fugiſſe ſacro ſub Præſide lites?
Iam faciles vultus, niueiq. in pectore mores,
Et decor, & viuax opulentæ Gratia linguæ
Corda mouet: longè populi ſtupuere loquentem,
Et

Et Reges grauibus miſcentem pondera dictis.
Nunc meliora dabit regnato oracula Mundo.
Adſis ò Pater, & fontes inuiſe vocantes.

IN ANNVO FVNERE laudatus Alexander Cardinalis Farneſius.

V I.

EST mihi, cur triſtes morituro ſydere Brumas
Cõquerar, et primos anni tibi Romule mẽſes.
Ecce reuertentes rigido cum Marte Kalẽdas
Triſtior aduerſo Phœbi lux inficit ortu
Occiduis inuecta rotis; & pallida noctem,
Horridaq. obſcuris inuoluit nubila nimbis.
Iamq. infauſta videt lacrymatus funera Tybris,
Purpuraq. ingenti ſqualet Farneſia buſto.
Eſt locus auguſtæ memorans ſpectacula Romæ,
Quà Pompeiani primùm lapidoſa Theatri
Scena dedit ſtabili gaudentes marmore ludos,
Et ſpatia ignotæ ſubeunt latiſſima Floræ:
Nunc melior domino ſedes, deuota triumphis,
Laurentiq. domus, iunctiſq. Palatia tectis.

Hic

Hic & longæuos Romæ venerabilis annos
Ducis Alexander, latiam quem Tybris in arcem
Inuitat, triplicemq; iubet ſperare coronam .
Mox tamen (ah duræ quantùm inclemētia mortis
Cæca furit) gelido expiras heù languide lecto,
Et furor extincto te Martius abſtulit æuo.
Sic vbi Thebana meditatus prælia buxo,
Bactra per, & Gangem, dominataq. Perſidis arua
Egit pampineos incintus Nebrida currus;
Hauſit Alexander liquidæ mala cymbia mortis,
Victor & in mediæ maior Babylone iacebat.
Nec tamen auguſtum violaueris improba Nomen
Mors telis caſura tuis; cinefacta ſepulchro
Obruet oſſa lapis, ſed non & pondera ſaxi
Famæ timet, Zephyris, volucriq. ſimillima flammæ
Ipſa per extremos fœlicibus incita pennis;
Iam laudes ordita ſinus, vix omnibus æquat
Vocibus, innumeriſq. nouat præconia linguis;
Ille animis, ille ore potens, populiſq. regendis
Romana ſe mole gerens; quantùm inſtar in illo eſt,
Qui perit? hunc ſceptris dudum Tyberina vocabat
Regia ſacrorum, & puræ per tempora vittæ .
Hic fidei, iuſtiq. tenax, fraudumq. malarum ,
Ac ſcelerum vindex: quo nullus amantior æqui,
Nec pietate prior, ſanctiſue audentior armis.
Ille, Palatino iam tum plaudente Senatu ,
Purpureos inter proceres, teneræq. iuuentæ
Prima per oſtrinos ſignauit tempora faſtos .
Gra-

Gratanti, Pauliq. viris mandata ferenti
Submiſit flauos venerata Lutetia Francos,
Et dominum placido iunxit cum Cæſare Regem.
Ille etiam arctoi bis frigora pertulit axis,
Et bibit impauidus glaciantem flumine Rhenum
Legatus, trepidumq. potens exterruit Iſtrum.
Tu populos idem moderatus lancibus æquis,
Priſca metalliferi formabas nomina ſecli.
Sublimeſq. domos, nec decedentia templa
Syderibus tu magne locas. Scit diſſita longè
Trinacris, impoſitos ducens in nubila muros
Regaleſq. ſacro nutantes pondere montes.
Scit Soracte vetus, niueas celebratus ad aras
Quà Silueſter ades: norunt & Tuſcula Tempe
Ferrea Virgineæ quà pandunt limina Cripta.
Siue vbi quadratos latiſſima pandere fines,
Et dominam gaudent vmbrare Palatia Romam,
Altaq. in obſtantes abeunt faſtigia nubes.
Miratur molem Tyberis, refugitq. tuendo
Turbatis tremefactus aquis; tum flumine verſo
Ianiculum quatit, & rapidis iuga deuorat vndis.
Quid dicam Cimini colles? cliuoſaq. gentis
Oppida? montoſa quà ſe conualle ſonantes
Rubibus euoluunt fontana ad murmura lymphæ,
Et nemus hoſpitijs nutrit viridantibus auras.
Structa ibi regalis, Zephyri domus obuia pennis
Quinq. aperit facies, cœloq. obliquat aperto
Atria, tum rectas muro complectitur aulas.

Sed

Sed dicenda magis niuei miracula templi,
Et Loioleis extructa nepotibus ædes.
Viderat Ignati *decurrere ſigna per orbem,*
Miratuſq. nouas gentes, extremaq. mundi
Mœnia Romanis latè procumbere ſacris
Inſit Alexander ; Magnis exercita curis
Auſa viros ſtimulant Ignati *in caſtra coactos,*
Indomituſq. *labor, Pietas vt regnet in omnes ,*
Relligioq. plagas . contra non deuius vnda
Obſtiterit limes , ſæuis non barbarus armis .
Cuncta petunt, flectuntq. animos, & ſaxea corda,
Victaq. cœleſtes afflant in pectora ſenſus .
Tales Roma dedit, Pauloq. vocata iuuentus
Nomina venturis auget Farneſia ſeclis :
Talis ab Hiſpanis inuictus Cantaber aruis
Tela meo referebat Auo, propiorq. vouebat
Ingentes animos, palmamq. ignemq. ſacrabat,
Roma Ducis *magni ſpolijs gaudebat opimis ;*
Nunc Patris ardentes deducit in arma nepotes .
At illis nondum ſedes, erectaq. ſancto
Templa miniſterio; nondum meditata ruinas
In *noua manſuro vertuntur limine tecta.*
Et tamen iſta meus ſperabat munera Paulus,
Cum Pater ipſe manu ſocios amplexus inermes,
Ignotoſq. *Italis Tyberina in ſede locabat .*
Te quoq. Paule nouas generis primordia tanti
In laudes, carmenq. vocant ; te ſentiet omnis
Phœbi vtriuſq. domus, cœli quà bella mouebit
Loiola

Loiolæ ſuperis pubes inuecta ſecundis.
Et me cura manet, generi quò debita noſtro
Dona feram. Templis titulos, nomenq. ſuperbis
Scribet Alexander, ſocijs Odoarde futuris,
Candenteſq. domos, manſuraq. limina pones.
Illa Deus viſat puris veneratus in aris,
Et ſubeat vinclis ſcelerum pia Roma ſolutis.
Illa mihi tumulo ſedes, perq. otia lethi
Oſſa ſub arcano iaceant compoſta ſepulchro.
Aſt ibi longæuæ deducant ſecula vitæ
Caſta Patres; & iura noua de ſede ferentes,
In geminos fundant ſocijs venerantibus orbes.
Sic ait, accingitq. operi, ſeq. incitat ardens.
Vrbe fere in media locus eſt, quà peruia Cliuo
Deſuper occiduos ſpectant Capitolia Soles,
Atq. olim lapſi Tarpeia ſede Quirites
Martia quærebant ludos in prata curules:
Nunc fora diducto celebrant Alteria campo.
Hic & Alexander puero noua templa Tonanti,
Æternumq. imponit opus. iamq. ardua ſulco
Fundamenta notant, altiſq. egeſta cauernis
Diſſilit, & vaſta prorupta voragine Tellus.
Non aliter cæcis ſi quando ſpiritus antris
Clauſtra remolitur, ventoq. agitabilis aer
Immugit, rupitq. ſolum: trepidoq. tumultu
Ima flagellati mouerunt pondera montes;
Viſceribus ſubter tellus auulſa profundis
Parte hiat, & manes lucentibus inficit aſtris:

Parte

Parte quatit dubias mundi per vulnera ſauces.
Talis in immenſum patuit ſpecus; altaq. circum
Subſedere ſoli ſpatia, atq. ampliſſima longo
Limite prœcipites interiacet area foſſas.
Illius in ſpeciem, bifidi qua robore trunci
Crux erecta pari ſuſpendit brachia ligno.
Iamq. ſolum vincit paries, iamq. alta leuabant
Pondera diſpoſitæ muris candentibus antes:
Et procurrenti ſublata coronide ſaxa:
Summa operis, vaſtoq. ſuper tectoria dorſo
Creta lacunabat curuato coctilis arcu.
Sed quà biſgeminus conuertitur angulus, altè
Et procul obiectas circumligat aggere pilas:
Surgit in aërios lapidoſa Cyclade campos
Cœlo æquatus apex, & decreſcentia paruo
Anguſtat ſublimè tholi latiſſima cyclo.
Roma pauet molem, & vaſtus ſuperimminet orbis.
Quinq. autem magnis, totidemq. ſacraria Diuis
Hinc, atq. hinc videas: turgent formata ſigillis,
Sculptaq. inaurato lucent Altaria muro.
Non aliud Phrygio tegitur ſic marmor elimen,
Aũt Luculleas cinxere Palatia cruſtas:
Non vſquam Oebalias ſic eriget ara columnas:
Tela coloratas non veſtiet æqua figuras.
At ſuper imparibus numeris, calamcq. loquaci
Plumbea collectos expirat Machina ventos:
Et circum podia, & ſimili ſtant pulpita ſaxo.
At medios aditus, camerataq. limina templi

Obſe-

Obſidere fores geminæ: teſtudine ſumma
Marmore picta notant dominos altaria flores.
Prima vbi Virginei ſignantur nomina partus,
Et circumſecti vulnus puerile Tonantis.
Stat contrà Soli *facies obuerſa cadenti,*
Et Tiburtinas *conſumpſit candida rupes.*
Illa fores ter ſecta aperit; ter nobilis Indo
Robore ferratos occludit ianua poſtes.
Ergo vbi iam reuehis pluuialis ſydere Capri
Iane renaſcentem fugitiuis menſibus annum,
Incedens hùc Roma ſubit. Non qualis Eoos
Bellatrix populos, & Parthica regna ruebat,
Haſtaq. clypeoq. ferox, atq. horrida criſtis;
Sed qualem triplici crines vmbrante corona
Experti late Reges, qui margine mundi
Finitima extremis componunt ſydera terris,
Mandantem leges, ſcelerataq. ſacra piantem:
Protinus ante aram cultus demiſſa petentes,
Cumq. nouis ſupplex componens munera votis,
Fauſta reuertentis deſignat tempora Solis,
Ominaq. inceptis orditur proſpera faſtis.
Poſt vbi tempus adeſt, Italas *perlabitur vrbes*
Annua quo iuſtos exuta licentia frenos,
Et mentita ſonant alienis oribus ora;
Romanas miſerata vices, mundiq. ruinas,
Nec dum extincta gemens rabidi Semelëia *Bacchi*
Nomina, & impulſos hyberna ad Cymbala thyrſos,
Huc ad templa ſubit, rurſumq. precantibus inſtat

Voci-

Vocibus illacrymat ſupplex, & grandia verſat
Vota: Deus contrà nubes fugat igne tonantes.
At delubra nitor, rutilaſq. intermicat aras:
Flammiferoq. ardens lampas numeroſa theatro
Aſtra inter medium ſimulat lucentia Solem.
Surgit ad innumeros moles compactilis ignes
Curuatos patefacta ſinus; diductaq. latè
Vaſta theatrali conuertit cornua flexu.
Inferiora nitent pictis albentia ſaxis,
Sublatiſq. ſuper candet ſtructura columnis.
Illis compoſiti loculis ſinuantibus arcus
Incumbunt; licet ora virum, Diuumq. tueri.
Aurea candentes inter ſimulacra Cylindros.
In ſummo niueis operum faſtigia pendent
Nixa columellis, medioq. acroteria ſigno,
Inſcribuntq. ſacras numeroſa ellychnia formas.
Veſtitur quæ Sole dies? quæ lumine tanto
Ignea tempeſtas? gremio quæ viſa flagrantes
Tot cœlo nox ferre globos? ſtant ordine longo,
Cunctaq. diſpoſita, circumq. infraq. ſupraq.
Compleuere faces: tremulis it cerea flammis
Semita*, multiplices tum linea viſa per ignes*
Paſcere lycnuchis teretes ardentibus orbes.
In medio, parua quà ſe teſtudine molès
Obliquat, ſtructiq. gradus latera ardua cingunt,
Regia Solis alit ſua ſydera. Sydera flammis
Innumeris ardent, thalamoq. elatus ab alto
Aurea Rex velis condit Cerealibus ora.

Quæ

Quæ circum vario non lumine diſcolor Iris,
Sed triplici radiata coma, flexuq. recuruo
Texit inæqualem rutila ter luce coronam.
Talis inaſpecto Solem *circumdatus aſtro*
(Dum ferret populis Pathmæa *oracula Vates)*
Viſus erat verſare ignes, & lacteus ore
Scintillare oculis, interq. ardentia ſeptem
Candelabra manu ſtellas animare calentes.
Nunc quoq. (cœlicolũ penetralibus abdita ſummis
Quamquã habitat, totoq. vibrans incendia vultu
Pulcher inaceſſæ iaculatur fulgura lucis)
Farneſi non ille aras, non ille recentes
Delicias, Romæ non dedignatur amores:
Quin etiam ille memor tanti pro munere templi,
Ecce ſuper nubes clari ſuper aggere mundi
Ponit Alexander *ſolidum tibi ducta per aurum*
Tecta Auguſta domus, puroq. ſimillima vitro.
Hic vbi gemmato fuluam per Iaſpida *muro,*
Et ſaxa igniferis hyacintina miſta pyropis,
Et violas Amethyſte tuas, viridemq. Smaragdum
Surgit in æternos ædes adamantina Soles.
Inde tuas ſedes, muroq. induta niuali
Templa vides; puro aduertis quà lumina vultu,
Nube vacat cœlum, & Farneſia tecta ſerenat.

MAXIMILIANVS BAVARIAE Dux Ferdinando Cæſari Boemiam victor reſtituit.

VII.

Mille ſonat linguis, plauſuq. inuecta ſecūdo
Fama iubet; Stabili monimēta imponite
ſigno,
Seu placet in nubem fulgentibus ara columnis
Tollere: Pyramidum ſummo Germanica cœlo
Seu noua coniferis formare cacumina ſaxis.
Æternans titulos huc deſtinat illa recentes,
Signabitq. diem, domitis qua Marte Tyrannis,
Accepit dominos captiua Boëmia frenos.
Atq. ea Vindelicis numerabitur ordine faſtis
Prima dies, placido qua tandem illapſa volatu
Ante Ducem niueis Victoria conſtitit alis,
Cinxit & Auguſtas lauro viridante volucres.
Illa quidem cœlo ſignarat faſcibus omen
Ferdinande tuis, leuibus tum credita pennis
Cœleſti Bauaros afflauit luce penates.

Quòd ſi arcana premens, nimiumq. innectere ſeras
Viſa moras: nondum pugnati Gloria Regni
Texuerat tibi laurigeras è fronde coronas,
Nec dum formatis textum variauerat aſtris.
Debuerat lectos ſuperis ſpectare Nouembres,
Cuncta quibus fugerent Boreali excuſſa ſereno
Nubila, & Arctoo floreret puluere laurus.
Victor iò Cæſar; ſyluæ tremefacta profundæ
Robora, & Hercynias mouerunt claſſica valles:
Nec Morauos arces, pauidos non clauſa Boëmos
Mœnia, nec poſitis texerunt agmina caſtris,
Aut coniuratum ripis trepidantibus Albim.
Dux autem, qui ſceptra manu, ſoliumq. tenebat,
Et ſua deſeruit iam fractum cornua Rhenum,
Exul, inops fugiens externas quærere terras
Cogitur, incertuſq. viæ, ſperata Britanni
Auxilia, & ſoceros queritur iam ſera minantes.
Hæc adeò decora alta refers, hæc nomina Cæſar;
Et celebranda manent. Sed enim *cœleſtibus armis.*
Quis potuit certo victrices Marte phalanges
Ducere? inoffenſo quis Regna Boëmia curſu,
Aut pacare tuos docuit gemina Auſtria *fluctus?*
Ipſe canam, & pauidæ venient in bella Camœnæ.
Fama eſt, Hercyniæ cùm prima per oppida gentis
Non ſua Rhenanus caperet diademata Princeps,
Lignea Pragenſi *fabricata ſedilia Templo,*
Compoſitoſq. gradus: populari vt craſtina plauſu
Sceptra attollentes ferrent tabulata Tyrannos.

Templũ auguſtũ,ingens, lapidoſaq. pondera in au-
Pilarum, vaſtiq. leuans altiſſima tecti, (ras
Vrbani erigitur ſpatioſo vertice collis;
Vite tibi ſedes : venerato nomine Princeps
Regales poſuit quam Vinciſlaus ad arces,
Iuſtius vnde ſuam regeret, te Præſide, gentem.
Poſt alij euexere Duces: tumuloſq. vetuſtos
Marmora, gemmanteſq. nitens lapis integit aras.
Sed quà conuerſo ſtridunt è cardine poſtes,
Relligione Patrum, & votiuis obſita ceris
Gemmea conſurgunt camerata altaria Cella,
Et tumulos ſeruant tibi Vinciſlae ſuperbos.
Quem ſceleris quondam purum, ſuperiſq. ſacrantẽ
Pectora, & innocuæ cœleſtia tempora vitæ,
Heu, dapibus feſtis ſcelerata gaudia menſæ
Dum ſimulat, crudo violauit vulnere frater,
Pertæſus ſtudia, & caſti pia nomina Regis;
Ille ſubit cœlo, ſtructas rediturus ad aras.
At templo votis hominum compoſta quierunt
Membra : Duces primis & agentes ſceptra diebus
Non alia frontem ſoliti redimire corona,
Quam quæ relliquias, ſanctaq. latentia Caluæ
Oſſa, ſuperpoſito radians obduxerat auro.
His adeo in templis abiegno erecta theatro
Pegmata diſpoſitas fuerant habitura Dynaſtas.
Purpureaq. ſuper veſtes, auroq. ſuperbum
Principis è gradibus ſolium ſurgebat eburnis;
Atq. opera in noctem geminus tenet ardua Cuſtos.

Ecce

Ecce autem, tremulo circumlucentibus igne
Quà nox clara ſuas funalibus occulit vmbras,
Intremere ara vetus, rediuiuaq. tollere membra
Viſus, & abrupto veſtigia ferre ſepulchro
Vinciſlaus: agens haſtamq. eademq. coruſcans
Arma, quibus quondam populis regnator opimis
Inuectus medias iuuenis fulgebat in vrbes.
Dat fulmen criſtas galeæ: circumplicat vmbo
Fulgura: conſertis lorica intexitur aſtris.
Ipſe ingens graditur, mediamq. inuiſit in armis,
Vitus vbi ſanctis ſeruat puer oſſibus, aram.
Et vocat; ecce, olim Siculis aduectus ab oris
Lactea Lucanis dederat ceu corpora flagris,
Vitus adeſt: nitidos ornant circumflua crines
Sydera, nec puro cedit chlamys æmula Soli.
Atque Duci comitem paribus ſe greſſibus addit.
Hinc & Adalberti cineres (quo Præſule claros
Non vmquam rexit Pietas ſic priſca Boemos)
Sacratamq, petunt templi extra limina ſedem.
Horruit aſpectu cuſtos, oculoſq. repreſſit,
Atq. ſolo obtutus, & membra trementia fixit.
Incedunt illi: diſcuſſæ at poſtibus altis
Continuò patuere fores. nox æthere puro
Prona inclinauit Superis venientibus aſtra,
Vt propter tumulũ ſteterunt, comitẽq. vocarunt;
Ecce ſacros Præſul demiſſus lina per artus,
Pendentemq. ſuper gemmanti ſtamine pallam
Prodit: inaurata gemmis intexta corona

Velamenta comas vmbrant: adamante renidet
Clarà manus, teretiſq. gerens argentea virga
Pondera. Sic *paribus radijſq: opibuſq. micantes*
Conuentu inter ſe medio diuerſa volutant,
Inque vicem ſolis arcana recondita Diuis.
Cœleſtis ſubmiſſa palam pia murmura lingua,
Nec varia ſenſiſſe datur diſcrimina vocis.
Tum pariter mouere gradus: vultuq. timendo,
Quiſq. Abeamus, ait: Templo nouus imminet hoſtis;
At rapit incaſſum, profugus qui rapta relinquet.
Sic illi antiquas, atque olim Numine multo
Dilectas fugere domos, ne verſa nefandis
Sacra miniſterijs, hoſtemq. ad templa viderent.
Tuq. adeo, Rheni è patrijs improuidus vndis
Qui crinem vetitis veniſti onerare coronis,
Heu Regna, & vanis fingis tibi gaudia votis.
Quis puer inferni Caluina *per vbera monſtri*
Creuit, & informes Iuuenis non amouet angues:
Atq. audax ſancta rapiet Diademata frontis?
Igne propinquantes non deuoret ara Colubras?
Non tu ſceptra capis; capies tibi triſtia bella,
Præcipitemq. fugam, patrioq. incendia Rheno.
Tu pugnes Superis, certo qui fulmina telo,
Et procul iratis intentant funera dextris?
Nam bellatrices tum fortè per oppida turmas
In ſua Vindelicus cogebat nomina Princeps.
Arma Duces, iunctiſq. animis in fœdera Patres
Tecum Paule mouent: Fidei defenſor auitæ,

Imperio

Imperio quicumq. ſacro Germanica priſcis
Moribus arua tenent, & ſanctis legibus vrbes.
Fortia iam validis vndabant caſtra maniplis,
Et Bauaros infers Maximiliane Leones.
Iamq. vocabat iter; cùm lapſi nubibus altis
Cœlicolæ cinxere Ducem. Vitalia Vitus
Nutrimenta animæ, noceat ne vulnere ferrum:
Ardua conſilia, & dubijs præſentia rebus
Afflat Adalbertus, *fineſq. actuſq. ſecundos:*
At iuſtos inimica mouens in bella furores
Vinciſlaus agit. Sic fortis in agmine Ductor
Præcipites animo victor iam præcipit hoſtes.
Nec minus & Ducibus ſeſe turmalibus addunt,
Et luſtrant acies Superi, *vireſq. miniſtrant*
Horrificas; iuuat ire, hoſtemq. vrbemq. rebellem
Iam pugnaturi iaculis euertere cœli.

Ergo vbi Paſſauij campos, Oeniq. relinquunt
Mœnia, quà magno fluuius minor abditur Iſtro,
Aduenere: *furor dubias quà Linzius arces*
Sollicitat. domitæ poſuerunt cordibus iræ,
Et Ferdinandis inclinant legibus vrbes.
Quin & Danubio è magno quæcumq. tumeſcunt
Oppida: montoſis quæ turget Stiria terris:
Et gemina audaces interſerit Auſtria *motus,*
Accipiunt Bauaros æquo ſub Cæſare frenos.
Iunxerat vnà ardens Buchoius agmina Ductor,
Cæſareaſq. manus, ſimul & conuerſa retorquent
Prælia, nec caris refugit Victoria caſtris.

Iamq. tibi extremos pugnanda Boemia caſus
Excidiumq. times; victorem haud vlla morantur
Obuia montano ſyluoſa cacumina vallo,
Nec quos Hercyniæ fecerunt robora fines.
Ipſæ inclinato modulantis vertice frondis
Certatim Ducibus componunt murmura Pinus,
Et nemora Auſtriacum ſonuere loquentia Regem.
Agnouitq. viros tellus, gauiſa frementes
Inſultare ſolo alipedes. Panduntur, acerbo
Ne poſt Marte ruant, venientibus oppida turmis.
Si qua fouent veteres furias, heu fulmine quanto
Finitimos ſtratis texerunt mœnibus agros!
Portarumq. iacent cineres, altiſq. per arces
Exarſere globis, domibuſq. incendia feruent.
Budna fremens longè victricibus horruit armis,
Piſcha gemit ſeras in pacis fœdera voces;
Cui Bauaros monitus, reſponſaq. fida moranti
Longauilla tuæ tædiſq. armiſq. cohortes
Martem improuiſum, ſubitæq. miſerrima cladis
Funera, & extremas importauere ruinas.
Ardua reſtabas operi ventura ſupremo
Praga triceps; ſed enim medias in bella coactæ
Obſedere vias acies, atq. aggere ab alto
Ipſe Palatinis Dux fulgurat obuius armis.
Hic verò aduerſos manifeſto Numine Diuos
Senſit ab elatis deiectus collibus hoſtis,
Et miſera patrias impleuit ſtrage nouales.
Quanquam illis aderat meditatus prælia caſtris

An-

Anglus, & infido gaudentes Pannones Iſtro,
Vt tutò Auſtriadæ viderunt prælia vallo
Expectare, truces nec frangere caſtra Boëmos,
Auerſi tenuere vias, quà læua recuruo
Semita circuitu trepidam ducebat in vrbem.
Vitus iter fertur primis docuiſſe tenebris,
Cùm ſuper extremo meditantem plurima bello
Magne tuam ductor nocturno lumine mentem
Impulit; accelerat notos inſidere calles;
Et miles maturat iter, tum caſtra ſupinis
Deſerit haud penetranda iugis, valloq. reuulſo
Anteuolans hoſtis perituram tendit ad vrbem.
Præſcia ſed clades agitabant corda futuras,
Nec tuta auxilia, & belli ſine lege, ferebant.
Ante quidem iuſſus furialibus ire cauernis
(Quippe & Adalbertus non mollia ſuſcitat arma)
Horror inaſpectis aciem luſtrauerat alis,
Inſpirans ſubitos tremefacta per oſſa pauores.
Pallidus incertos tum miles inhorruit artus,
Nec ſonitus bellator equus, non audit habenas;
Membra tremunt totis, nec cauſa repoſcitur, aruis,
Collis erat, tumido ſurgentem in culmina cliuo
Quem propter demiſſa iacent, fruticoſaq. iuncis
Arua lacunoſæ limo obſedere paludes.
Tuta recedenti ſtatio, ſeu ponere caſtra,
Seu pugnas agitare iuuet; retroq. potentem
Fluctibus oſtendit ſectam fluuialibus vrbem:
Candidus at nomen nigrantia robora ſyluæ

Ponè

Ponè alit, & ramis denſas nemoralibus vmbras,
Erranteſq. feras: capreæ viuaria paſcunt,
Et clauſos habitant regali indagine lucos:
Stella per extructas auguſtior emicat ædes.
Huc vbi conuenere, fremunt: longè q. ſonanti
Aere tonat miſcens nitroſa tonitrua fulmen.
Nec mora. Vindelicis diſcreta per agmina ſignis
Succeſſere acies, & iam Germanicus ardens
Tela cauo molitur eques iaculata metallo:
Tum legio irrumpit: tum fulminat Itala pubes:
Incurrunt aliæ ſtrictis mucronibus alæ,
Aut haſtata ſeges denſo riget horrida ferro,
Aut mors igne globos ſequitur comitata volantes.
Ecce inuectus equis delabitur aggere ſummo
Hoſtis & aduerſis ſeſe intulit obuius haſtis.
Vrget bella pedes, volucriq. ardentia plumbo
Tela iacit. tenuere ſuos tunc Auſtria curſus
Agmina, & aſcenſus fregere impulſa malignos.
Sed iam turma labat, turbataq. verterat ora
Fuſus eques. dubiæ facies, voxq. impulit aures
Dux ò magne tuas; tuq. inuictiſſime bello
In medios quæ ſigna vocas? quæ conijcis arma?
Viciſti, ictus abit Superis pugnantibus hoſtis.
Nam Bauaro propior qui Vinciſlaus agebat,
Clarus inaſpectis & in auras intonat armis.
Vt furere hoſtiles peditumq. equitumq. maniplos
Vidit, inauratæ cœleſtia ſuſtulit haſtæ
Robora, & intorquens: ſatis, inquit, ad impia bella

Auſe

Auſe ruis, nunc cede Deo, Regiq. rebellem
Reſtitue, ac Superis iterum redeuntibus Vrbem.
Vlterius pugnare veto. Sic fatus, aperto
Dat cœlo ſonitus, & ineuitabile telum
Conijcit. Vt vectæ nubes equitantibus Auſtris,
Quæ prius hybernum nimboſis æthera circum
Obſedere globis, ſi fortè Aquilonibus Arctos
Infremuit, pereunt, retroue repente recedunt,
Et patrium petiere Notis reuccantibus Axem.
Haud aliter defectæ animis, teloq. ruentes
Fulmineo fugere acies; conuerſa retorquent
Hercynij, ſeu rapta ſuis vexilla relinquunt
Hoſtibus. inſtat eques ferratis Gracius haſtis,
Podoliuſq. ferox, armiſq. timendus Hetruſcis:
Miſcenturq. fugæ, refugoſq. miſerrima ſiſtunt
Vulnera, in extenſos mors tuta ſuperuenit artus.
Iamq. iugi ſummo cedentes culmine turmas
Mouit, & vmbroſo glomerabat funera cliuo
Parthenopæa cohors, pauidi fugiuntq. tremuntq.
Frangentem cuneos, obiectaq. tela retantem:
Non Germana phalanx, ferro non parcius ardet
Depromens iuſtos legio Lotharinga furores,
Quæq. ſuos fortis miſcebat Gallica Belgas.
Atq. Duces vnà volitant. præit arduus omnes
Tillius. alta tuos tardabant Carole curſus
Vulnera, vectus equo Martem tamen alite firmas.
Parte alta fertur Bauarus Leo. fortibus auſis
Quo ſe cunq. tulit, pariter congeſta tulere

Fune-

Funera, bellanteſq. regit victoria dextras.
Quin etiam imbelles fatalia ſigna cohortes
Expauere Crucis: ſceleratam perdere vitam
Vrgebant odia, atq. vltrix morientis imago
Iudicis, heu flammas, furiaſq. & Auerna minātis.
Nomina tum voluit niueus deponere Collis,
Sanguineo, riuis labentibus, obruta curſu.
Palleſcunt herbæ, flentiſq. cacumina ſaltus
Decidua irrorant lacrymatos fronde cruores.
Siue quòd ingenium rigua de ſanguinis vnda,
Triſtia mutarit veniens in robora ſuccus:
Siue quod & ſyluæ ciues gemuere cadentes
Et caſus timuere pares. conſtrata coactis
Arua cadaueribus, magniſq. implentur aceruis,
Et nunquam humanis ſaturata cruoribus, atras
Cædibus hic fauces mors tandem expleta quieuit.
Quin etiam fluuius contorta rapacibus vndis
Armaq. cornipedeſq. vorat, totiſq. vehuntur
Agmina merſa vadis. trepidi fluitantia ripis
Pannoniæ ſpectant, cognataq. corpora pubis,
Iamq. enſes iugulis, miſſumq. in viſcera ferrum,
Atq. faces ad tecta vident, & ſanguinis vndas.
Nec bene Praga iugis defenſa, aut vallibus imis,
Iam lapſura nouo claudebat turbine Ciues:
Hoſtis adeſt, ſtragemq. rotat, muroſq. reuellit.
Collibus aduerſis, ſubterq. in valle patenti
Praga ſedet; medias flauæ quà turbidus vnda
Multauus obliquo diducit flumine ripas,

Maio-

Maioremq. petit, quem fluctibus augeat, Albim;
Ille ſecat muros, Pragæq. trinominis Vrbem:
Hæc Vetus, illa Noua eſt, hæc Parua exurgit in ar-
Et campi circum virides, & vallis amœnæ (cem;
Arborei fœtus, vmbræq. & aprica Boëmos
Impleuere cados grauidis vineta racemis.
At contra imparili ſurgentes culmine Colles
Scinduntur fluuio. madet ille, & ſcrupea lymphis
Terga lauans, veterum dorſo malè ſuſtinet arces
Semirutas: æquos extendit vertice campos
Alter, & accliuis Paruæ ſupereminet Vrbi.
Hic ſedes & ſtructa manent firmiſſima Regum,
Pergama, & aurifero camerata palatia luxu,
Florenteſq. horti, maturaq. Citria ramis,
Veſtiturq. ſolum, teneris aut ſcribitur herbis.
Diues & hic Vito ſedes, & Principe Templo
Gaudet humus, ſacris & limina clauſa puellis.
Subter at Exiguæ conſidunt Ciuica Pragæ
Tecta, & arenoſis longo ſtant ordine ripis.
Tenditur ad Veterem quadrato hinc editus vrbem
Ponſq. bis octonos ſaxo porrectus in arcus
Quatuor audet iter iunctis aperire quadrigis,
Tum fronte in gemina ſublimi vertice turres
Excubijs adſunt vigiles, ne fluctuet amnis
Ne ſuperet nimbis. fugit ille exterritus altis
Molibus, alliſuſq. fremit, queriturq. morari
Spumeus: inde fugæ ſparſas citus aduocat vndas
Praga Vetus dextræ tenuit planiſſima vallis.

Et

Et nexis circum tumulis ſe tecta coronant.
Virginis hic magnæ ſedes, & Curia templo
Stabit, & impoſitas Sapientia culta per artes,
Muſarumq. domus, veteriq. inſtructa paratu
Hoſpitio facilis membris languentibus ædes.
Hic Patribus videas Prætoria celſa coactis,
Cuſtodemq. loci mintantem ad ſydera turrim,
Et (mirum) æratis currentes legibus horas.
Sol vbi ſigniferum dimenſis curſibus orbem,
Lunaq. biſſenos luſtrat reuoluta per ortus:
Quæ mora Solſtitÿs, breuibus quæ tempora brumis:
Signanturq. pari penſantes pondere Libræ
Æquales cum Sole vmbras: atq. indice virga
Cælicolæ, ſacris redeuntia feſta diebus.
Hic quoq. Cæſareos qui primus in ordine faſces
Ferdinande regis, Loiolæ ad candida gentem
Tecta vocas. coluere Patres, doctaſq. per artes,
Et mores ſine fraude pios, data fœdera cœlo
Defendunt; ſed enim furÿs crudelibus Vrbis
Heu deſerta domus profugos, & acerba ferentes
Exilia incaſſum, ſublataq. ſacra petebat.
Quæq; profanato ſqualent altaria templo
Egreſſu in noctem ſuperos videre canentes.
Scilicet haud culpæ indecores, ſceleriſq. doliq.
Ignaros, Vrbi vt patriæ poſt bella referres
Haud minor imperÿs tu Ferdinande ſecundis.
Praga Recens dein valle iacet, veterumq. Parentū
Edita ſemirutas oſtendit collibus arces,

Tem-

Templaq. & auguſtis olim data limina Diuis,
Et caſti ſecreta tenent habitacula Patres,
Nec procul incluſæ numeroſa Virgine ſedes.
Sic adeò diuiſa tribus ſeſe vna videndam
Vrbs agit, inſignemq. opibus. Tuq. inclyta magnis
Regibus, imperio componis frena ſuperbo,
Sileſias Morauaſq. prior celebrata per Vrbes,
Quaſq. alit vmbroſis procera Boëmia campis.
Te quoq. nec titulis Germania forte ſecundis
Inſignem attollat; Patribus defenſa Latinis
Sed te ſancta Fides cœleſtia pocula Cœnis
Ah toties vetitis miſcentem, auerſa tuetur,
Parte tui maiore fugax: tu ſæpe feroces
Regibus auectis confidentiſſima Ciues
In cædes martemq. vocas. verum vltima bello
Quæ tremis excidia, & vicino Marte ruinas
Pande ſinus, magniſq. tuas victoribus arces.
Accipe mutatas iuſto ſub Cæſare leges.
Ille pius, validis onerat qui ſydera votis
Fortè tibi iratos, placabilis ipſe, regendo
Pacabit ſuperos: ſociiſq. innexa Ceraſtis
Tandem colla premens Huſſitæ conteret Hydræ.
Pronus in occaſum Bauaræ Sol prælia dextræ
Vidit, & occiduos inclinans lucidus axes
Plauſerat; inde legens imi confinia Mundi
Luce noua populis ſignabat geſta profundis.
Extuleratq. idem properantem craſtinus ortum
Cum patuit tremefacta Duci, fregitq. volentes

Praga

Praga fores. Dux laurigeros huc verte iugales,
Nec qualis captiua rotas ad mœnia victor
Duceret: at claro quondam comitata triumpho
Roma velut reduci Tarpeias panderet arces.
Non aderit vinctus tercentum colla catenis
Quem fuga præcipitem nocturnas tuta per vmbras
Abſtulit, & coniux lachrymantē & multà dolentē
Auerſata, nouos in Regna Boëmia faſces
Et Rheni antiquas gemit execrata Coronas.
Sed captiua tamen grauibuſq. coercita vinclis
Non aberit pubes, ſpolijſq. inſignis, & auro
Martius incedet diſcreta per agmina miles:
Tu primis Dux vota dabis cœleſtia templis,
Et patefacta ſuos referes in limina Diuos.

RELATVS IN MVSARVM Faſtos Annus MDCX.

VIII.

ET iam ſupremus duodeno ſydere menſis
Voluitur, & numeris faciles accommodat aures.
Dic age (ſi quis adhuc tentatur Apolline Vates)
Geſta virum, rerumq. vices, quas ordine certo
Annus habet, celeriq. means fugientia motu
Tempora ſolatur ductis in ſecula faſtis.
Viuit adhuc veterum priſcis annalibus ætas,
Nomina nec conſumpta vigent, ſi maximus heros
Immanes aut igne feras, Thebanaue circùm
Mœnia nubiferas ſuccendit in æthera pinus.
Ergo age fama refer, penniſq. inuecta per Orbem
Nuncia Phœbeis annalibus incipe carmen,
Et Muſis donum (ſi qua eſt ea cura) rependes.
Principiò (dominæ ſurgunt nam funera Romæ,
Et malus infeſto luxit Saturnus in aſtro)
Romanus nutauit apex, diroq. volatu
Mors tectis ſtridens, & ineuitabile telum
Vibrat agens vulnus, cæcumq. in corda venenum.

Iamq. recumbebat tectis moriturus in altis
Ioannes ſpes magna domus, Burgheſia clari
Lux generis, maiorq. cadens ceu Phœbe, coruſcat.
Nec meliora tamen mors abſtulit : ille ſuperſtes
Viuet adhuc, memores & duratura per annos
Roma renarrabit redituris nomina ſeclis.
Vidimus innumeras ſacra exequialia circum
Illuxiſſe faces, decertantemq. vetuſtis
Molibus ad Templi faſtigia ſurgere molem.
Stabat ad Exquilias, niueæ quà Virginis aram
Delapſæ fecere niues, obſcurus amictu
Nigranti paries, pulloq. aulæa paratu,
Et picturatis marebant Templa figuris.
Hic primi ficta ora Patris, ſceleriſq. vetuſti
Cernere erat ſpeciem : dulci cùm ſubdola pomo
Morboſq. horribileſq. neces incluſerat arbor.
Nec minus extremi ventura incendia mundi,
Flagranteſq. dies : cùm rupto ardentia cœlo
Flammarum vltores effundent ſydera nimbos.
Inde vetus Solymæ ſtabat ſcelus : altaq. fixcs
Crux artus bifido tollebat in ardua ligno.
Inde reſurgentis gelido clariſſima ſaxo
Ora : timorq. virum, domitoq. è Dite trophæa.
Quin etiam facies lacrymantũ, & multà gementũ
Et voces, monituſq. Patrum, quorũ abdita quondã
Non decepturis venere oracula linguis.
In medio ſpectanda thoris, effulta metallis
Æmula Pyramidum moles; cui vertice ſummo

Stat

Stat flamma crinitus ap.x, longoq, rogales
Ordine componit rutila teſtudine tædas.
Vidit, & ingentes mirata eſt Roma per artes
Fornicis in ſpeciem denſari lumina: & altè
Pendula flammiferos facibus contexere muros.
Quàq. ſupercilium conuexo attollitur arcu,
Aſtra velut radijs interlucentibus ignes
Exanimo ardentes circum poſuiſſe coronas.
Sic properata gemens induxit funera Tybris,
Principis extinctos nec funere vidit honores.
Et vitæ decus. & pulchræ noua gloria mortis
Clarauere Ducem, totumq. orditur in æuum
Nomina, quæ meritas euoluit pagina laudes.
At queritur dũ Roma neces: Hiſpania fraudes
Amouet. illa dolis, odijſq. agitata malignis
Vrget opus, diroſq. amouit littore Mauros,
Atq. iterum Libyes ardentibus intulit aruis.
Ante Hiſpanus iter iuſſit: nunc regia peſtes
Exuit, & niueos tellus fert libera Soles.
Ergo fugæ quæ cauſa viris, quæ cauſa potentes
Impulerit populos geminæ trans æquora Gadis
Inuiſum ſtatuiſſe genus: cur mœnia Ciues,
Atq. inarata ſuos implorent arua colonos
Expediam, prima relegens ab origine carmen.
Heſperiæ Getico regnantem ſanguine Regem
Maura procul vaſtis effuſa mapalibus arma
Et ſignis acies debellauere ſecundis.
Horruit immanes furias, pauidoq. refuſus

Amne Tagus fracto prorupit in æquora cornu.
Ipſe quoq. aduerſos dum tendit Iberus ad ortus
Pene ſub occiduis fugiens ſe condidit antris.
Illi ſceptra tenent, Populi noua iura tremiſcunt
Qualia maſſylæ gentes, & corniger Ammon
Ponit, & æſtiferis duri Naſamones arenis.
Interea ſeros ſeclis voluentibus annos
Regna diu poſſeſſa labant; periere Libyſſæ
Marte ſub ancipiti diuerſa per arua colubræ.
Fortior arma moues, belloq. inſignis inermes
Ferdinande Duces ſeu campo ſternis aperto:
Seu premis imperio, externas aut viſere gentes,
Aut lacerata iubes tenui dare lintea fluctu,
Et fugere Herculeam laudato vertice Calpem;
Bætis oliuifera victori aſſultat arena.
At parte ex alia naſcentem Duria Solem
Quà videt, & virides metitur flumine campos;
Oppida ſeruabat terræ vetus incola Maurus.
Læuum habet Heſperiæ *ſinuoſa Valentia littus*
Et maria aſpectans medias interflua terras;
Stat circum fœcundus ager, pretioſaq. riuis
Terra ſuis campos natiuo perluit auro:
Æraq. & argenti venis fluxere metalla:
Vernant plana roſis, medicis tumuloſa viretis.
Infert ſe medium campis, & Duria longè
Perſpicuo de fonte ſonat, nemora alta virentes
Acclinant, texuntq. vadis fluuialibus vmbras.
Tum Pinus inter patulas, Platanoſq. comantes

Non

Non roſa, non viola, ſemperq. humentibus herbis
Non abeunt flores, nec odora ſydera ripa.
Hac Numidis tellus, & forti Aragonia regno
Conceſſere domos; Bætiq. erepta Philippus
Agmina, cognatis diſperſa habitacula Mauris
Quærere, quà faſces geminat Caſtella, iubebat.
Ruſticus Afer habet pingues vt vomere terras
Vertat, & immenſas deducat in horrea meſſes.
Pauci Vrbem tenuere; ſuos diuiſa per agros
Agmina collectos ſtringunt pagana maniplos,
Et vitam agreſtem grauidis ſolantur aceruis.
Ceu quondam Cilicaſq. feros, fluctuq. vagantes
Piratas duro iunxit Romanus aratro.
Sed veluti antiquæ poſt longa incendia ſyluæ
Ignis vbi ramos, annoſaq. brachia paſtus
Fumiferas poſuit vires, truncoq. reſedit;
Spiranti ſi fortè vigil Notus excitet aura,
Incaluere nouis crepitantia robora flammis,
Vicinum populata nemus, lauroq. ſonanti
Flammarum extremam glomerant in nubila molē.
Non aliter compreſſa vetus ſub pectora virus
Creuit, & occultas vires alit. Afer inermes
Contentus tenuiſſe manus, aut vomere terras
Verſare, aut grauibus fœcunda noualia raſtris,
Armorum grauia antra tegit, penituſq. ſilentes
Certatim implentur venturo marte cauernæ.
Quin etiam ternos Maſſyla è gente tyrannos
Delectos ad ſceptra vocant, & non ſua regna.

Hic Toletano crines velabit in auro:
Ille nouo incedet fulgens Aragonius oſtro:
Ille feret miſeras tibi victa Valentia leges.
Protinus in partem ſceleris crudelia Thracis
Cogere caſtra iuuat, rabiemq. iraſq. ſequentes.
Tunc adeò Zephyris tranquilla per æquora vectos
Helleſpontiaco tacitè ſe condere portu
Legatos, domina Thraces vidiſtis ab Vrbe.
Tum verò in medijs horrens Othomanius armis
Periuri ſcelerata legit promiſſa Senatus:
Hiſpaniq. videt laxari clauſtra profundi,
Threїcia & faciles offerri in claſſica portus.
Verſus & in Libyam furor eſt. Garamantibus actis
Hinc moliri acies: pelagiq. in bella vocatum
Algerium, & totas Nomadum deducere claſſes.
Tunc quoq. dicta dies, populis quæ prima mouerent
Arma: Sepulchrales templis cùm ponimus aras,
Ac gentes moriente Deo, ſuccenſaq. luctu
Pectora funereus turbat dolor. Affore tempus
Sperauere truces, Libycis quo turgeat vndis,
Terrarum ſceptris qui plenior vndat Iberus.
Interea trepidas it nuncia Fama per vrbes,
Occultos aperire dolos, miſcere tumultus,
Inſinuare metus eadem bona; plurima voluunt,
Dicendo creſcitq. fides. hic numina Mauri
Miſta refert, dubioſq. Deos: quòd ritè piatos
Puro in fonte viros Libyæ genitricis haberet
Iuncta ſuperſtitio, teneriſq. auditus ab annis
Mau-

Maumetus, patrio nec dum tamen excidat ore.
Ille animos Nomadum varios, & punica narrat
Pectora, periuroſq. Patres, Maſſylaq. vulgi
Conſilia. excubijs longa ſtatione peractis
Vidi ego inhorrentes cōcurrere Maura per vmbras
Agmina, & impleri nocturno limina cœtu:
Hic dextras aptant capulis, iuguloq. minantur:
Hic ſua tela nouant: iuueneſcent ſanguine tela,
Nominaq. Hiſpana referent Mauruſia clades.
Iamq. adeo muſſant proceres, Regiſq. per aures
Sollicita veniunt, diuerſaq. littora voces.
Protinus incautas vinclis eludere fraudes,
Conſilioq. dolos vinci iuuat; vndiq. lictor
Obſidet, admouitq. manus. Tibi Tarraco leges
Getulas fruſtra ſenior meditatus, & iras
Traditur accenſis, vt prabeat ignibus ignes.
Alter in aërias cautes, atq. aſpera montis
Saxa, Valentinis male cuſtoditus in armis,
Sponte ſubit; tecti latebris, & nocte ſilenti
Rupibus incaſſum cacos clauſere pauores;
Irrumpit legio, & montes rimatur opacos:
Nec ſuper vlla fugā monſtrāt loca: vinctus in antro
Dux trahitur, lethoq. infractus colla trabali
Non ſuper ingeſta iacuit reſupinus arena,
Sed ſanie, taboq. fluens, fixuſq. per altas
Membra fores liquidas infecit pallidus auras.
Aſt alios pleno reuocat iam carbaſus Euro,
Iamq. fremunt Libyam iuſſa tranſmittere claſſes,

Conueniunt, fugiuntq. domos, proh barbara genti
Pectora. quot patriæ quærentes Strymona ripæ
Agglomerantur aues: Nereus quot ſibilat vndis:
Accurrunt, ineuntq. rates: non dulcia tecta,
Non patriæ diuellit amor, furialia corda
Peſtis habet, fluctuſq. vocãt, Zephyroſq. morantes,
Ite omnes, miſeramq. diu, veſtroq. gementem
Pondere, ſollicitis Europam ſoluite curis.
Vos Libyæ ſpelæa vocant, vos dira Leonum
Luſtra, domuſq. cauæ, vos quæ videre cruenti
Stagna lacus ſecto pallentem Gorgona collo:
Et deſerta procul rorantibus antra venenis
Iam tum vipereos vobis fudere Chelydros.
At tibi quos olim titulos, quæ nomina laudum
Sera Philippe dabit meritis ĩngentibus ætas?
Nil erat aurati ſuper oſtia ponere Gangis
Auſtriacæ decora alta domus: nil ſubdere terras,
Verſus ad occiduos quà Sol immergitur orbes:
Oceani geminumq. latus, tranſq. vltima regna
Finitima imperijs luſtrare perennibus aſtra;
Si propior ſacras damnaſſet Duria leges,
Nec benè pacatos Hiſpania noſſet Iberos.
Te duce non vllas fraudes, non vlla malorum
Semina, non bello venturum ſentiet hoſtem,
Aut formidatas plorabit Iberia clades.
Et quæcunq, iacet gemino gens conſcia Soli
Imperijs frenata tuis, cum Præſide Pacem
Iuſtitia in partem Regni veniſſe regentem
Gan-

Gaudet, & auriferos tecum ſibi ſoſpitat annos.
Quòd ſi fœta premis Mauris portenta ceraſtis
Fortior Alcides, meritus quoq. ſydera quondam
Aſcendes, non fuſte minax, tergoue Leonis
Horridus; at ſceptro inſignis, lucemq. decoram
Purpureus duplici regnatas cardine gentes
Aſpicies, faciliq. potens tutaberis aſtro.
At tibi (finitimæ fors ò lacrymabilis oræ)
Henrice ante diem mors aſtitit. improba tantum
Auſa nefas? regale latus transfigere ferro
Quæ potuit, Gallis non dum ſaturata ruinis?
Impius an Mauors, funeſto in puluere belli
Qui toties, campoq. Duci congreſſus aperto,
Inuidit toties victus, ni fallor, & altum
Enſe latus, totaq. dolo ferus impulit haſta?
Et viciſſe timet; non hic ego dicere queſtus
Ingentes, Populiq. metus, luctuſq. ſequaces,
Coniugis aut lacrymas auſim; longæua vetuſtas,
Atq. olim multo naſcetur Apolline Vates,
Qui pugnas Henrice tuas, qui condere bella
Audeat, iratuſq. tibi concedet Achilles,
Nec pius Æneas, nec magnus in agmine Cæſar,
Nullus apud Thebas, nullum feret Africa nomen.
Interea longis humectans fletibus ora
Ibit inornatos demiſſa Lutetia crines,
Auguſtoq. dabit voces lacrymoſa ſepulcro.
Sic mihi magne redis? ſic te triſtiſſima bello
Inuictum pax cæde rapit? nonne ipſe ſolebas
Victor

Victor ab Alpino decurrere monte niualem
Tutus ad vſq. Thetim, Rheniq. extrema bicornis
Oſtia? me miſeram modò cur amplexus, acerbo
Funere merſus obis, Regiq. ego funus alebam?
Inſanæ heu quoties emenſa pericula mortis
Caſtrorumq. hyemes memorans, exhauſtaq. bella
Immortale feret telo impenetrabilis æuum,
Tithoniq. annos, æternaq. ſecula dixi!
Deſierat toties vincendo vincere: nullo
Cum voluit ſub Marte mori. proh quanta daturus
Funera, ni fragiles odiſſet corporis artus,
Ac meritum raperet media inter ſydera virtus.
Nos immaturæ dudum ſolatia mortis
Quærimus, & iuſtos nec dum ſacramus honores.
Viue diu, ſeu corde virum, queis corda relinquis,
Seu nunquam inuicto periturisˇnomine chartis,
Siue æterna tuis certabunt vultibus æra.
Gallia nec ſolis imitabitur ora metallis;
Ipſe procul Tybris, & Tyberi florentior Arnus
Mollius ære notat, qualem iam bella regentem
Senſit, & auerſis expauit Sequana ripis.
Vita ſuperſtes erit, ſolio dum natus auito
Nec magno Genitore minor, procul hoſtibus actis
Ducet longæuas Regni Ludouicus habenas.
Hic patrijs dum ſceptra tener iã tractat in armis
Bellica vicinis requieſcit Flandria campis.
Oceani non illa minas, Batauiq furores
Horruit, & Martem ſcopulis, fluctuq. ſepultum.

Nunc

Nunc etiam mirata nouæ ſpectacula pompæ
Vidit: adoratis veniens Ignatius aris
Cum templi in medio ſtetit aureus. omnibus ædes
Vndabat populis: ſtratiq. ad grandia ſacra
Belgarumq. duces, geminataq. Principis ora.
Inclinat Bruxella domos, ac turribus altis
Culmina, & emotis nutant faſtigia tectis.
Ante ſuo genitrix Hiſpania plauſit alumno
Aſſenſu gauiſa Tybris, Pauliq. ſupremo
Munere Loiolam primis celebrauerat aris,
Prima Madritanas memorãtur ſacra ꝑ arces,
Et cultæ Hiſpanis auguſtæ Regibus aræ.
Iam medios laxabat hyems per nubila currus;
Templa inſtrata nitent, gemmaq. auroq. ſonantes
Suſpendunt muro ſumma ad laquearia veſtes.
Quidquid inexhauſtis molita Peruuia venis
Miſit, & aurifera legitur propè littora Cubæ,
Ducitur, & ſolido lucet tela aſpera textu:
Immenſumq. aris argentum, & fulta metallis
Ora auguſta Patrum; gaudent è culmine cœli
Gemmifero fulgere ſuas qui ſydere formas.
Tum parte ex alia, quà multo accenditur oſtro,
Atq. auro ſolium, & fuluos ſtrauere tapetas,
Conſidunt Reges: graue, & immutabile frontis,
Stat decus, & totos maieſtas fuſa per artus.
Tum Proceres, magniq. Duces, equitumq cateruæ
Obſedere aditus, denſæq. haſtilibus alæ.
Iam noua odoratis adolere altaria flammis,

Alter-

Alterniſque modos fidibus miſcere canoros
Tempus erat. niuea candens in veſte Sacerdos
Loiolam reſonat: reſonantq. canentia circùm,
Innumeriſq. virum reſponſant vocibus ora.
Vnum omnes precibus cumulāt, & laudibus omnes.
Iamq. adeò votis auguſta ad Templa ſolutis
(Quippe etiam ſoliti ſubituros ponere ludos)
Signa cauis ſonuere tubis, & cornua cantu
Inducunt Equiteſq. pharetratoſq. maniplos.
Anteuolat criſta Mauors, & mitibus armis.
Iam ſublimis equo bellator, & igneus auro,
Et tyrio ardentem ſaturatus murice pallam
Fortis adeſt: idem ardor equo, ſpumanſq. fremenſq.
Exilit, & celeres curſu rapit impetus armos.
Aduerſis micuere haſtis, cæcoq tumultu
Delituere, cauas implerunt fragmina nubes.
Tum iaculis, tum fulmineo ferit obuius enſe
Quiſq. hoſtem ſpeculatus, & ictu inſignis in orbem
Siue fugam ſimulat, molliq. repentè recurſu
Aggreditur, parmaq. leuem, teloq. minantem.
Condiderat nox pura diem, cœlumq. ſerenis
Lucifero ſpargente faces, incenditur aſtris.
Maius in Vrbe iubar, congeſtaq. ſydera lucent
Irradiantq. vias, liquidaſq. emiſſa per auras
Pandunt noctæ comas, flammæq. volubilis alas.
Regalis iam tecta domus, iam mœnia longo
Ordine, iam ſummæ flagrant in nubila turres:
Aſtraq. decertant cœleſtibus eminus aſtris.

Nec

Nec deſunt tonitrus, nec ahena fulmina molis,
Feſtaq. diſcurrunt accenſo fulgura cœlo.
Ipſa virum voces, & pleno gaudia corde
Spectare intento gaudebat Delia cornu,
Nocturnoſq. fugant vigilantia ſydera ſomnos.
At parte ex alia lætos Salmantica ciues
Loiolæa ciet certatim in ſacra; neq. illis
Palladis Vrbe vacant belli ſimulacra diebus.
Primus in arma moues, ac prælia ludicra Martis
Victori poſitis iteras Corſine coronis.
Vectus equo bicolore puer, quem lucida flammis
In noctem numeroſa cohors comitatur euntem,
Poſtibus imponit leges, aptatq. videndo.
Iamq. dies aderat ſolemni fauſta tumultu:
Viſa coronati ſumma teſtudine Templi
Structa vitro moles, atq. altis lucida pinnis
Mœnia, & in celſas chryſtallina ſurgere turres.
Illa etiam virides oculis ſimulare ſmaragdos,
Cærulaq. & rutilo lucentes igne pyropos.
Tum format Diuum effigies pro turribus aurum,
Atq. inſerta tegunt gemmarum lumina veſtes.
Deſuper argento commiſſa vmbracula pendent,
Et lapſa auratos ſuſpendunt vincula lychnos.
Ecce autem fremituq. virum, plauſuq. canentũ
Ire triumphales equitum per compita currus.
Aſtabat ſolio bellatrix Roma ſuperbo
Nutricíſq. Lupæ pendebat ab vbere, matri
Alluditq. puer geminus: fouet illa receptos,

Et

Et teneris duras ap   'iſtenta papillas,
At quà cælatus Loi   . .nſignia gentis
Aurea currus habet, demiſſo vincula nodo
Europam, Libyamq. trahunt, Aſiamq. volentem:
Teq. America tuæ nectunt poſt terga catenæ.
Ponè equitum generoſa cohors inuecta quadrigis
Fertur, & ante fores, feſtiq. ſacraria Templi
Voce ſonant, citharæq. modis, fidibuſq. canoris,
Et tandem placidis martem patiuntur in armis.
Poſtera lux terris aderat, ciet agmina Pallas,
Et iuuenum doctos ineunt Solemnia ludos.
Aureus inuehitur media inter millia currus:
Quatuor & circum famulo temone quadrigæ.
Serica quis memoret? variæ quis ſtamina telæ?
Quis tunicas oſtro tenues, gemmaq. rigentes?
Cingulaq. & pictis criſpatum veſtibus aurum?
Stans agili in curru ſtridentibus igne caminis
Vulcanus ferrum manibus, fulmenq. polibat;
Poſt vbi terrificos operi tonituſq. faceſq.
Addiderat, cœliq. truces formauerat iras:
Arma Ioui (ille Aquilæ nixus pernicibus alis
Sublimis vehitur rigido cum Marte) ferebat.
Mars iacit, ingentiq. ferox furit armiger haſta.
Scilicet ignipotens quæ quondam Ignatius arma
Corda accenſurus medio fabricatur Olympo:
Illa eadem validis natorum excuſſa lacertis
Ceu iaceret Mauors victum referuntur in orbem,
Cordaq. fixa tenent, conuerſaq. pectora flectunt.

Nec

Nec minus & ſacris cunctas ſolemnibus Vrbes
Heſperiæ inuitat; ſed quæ melioribus aures
Iam tenuere modis. me claras vertit ad Oars,
Auratiſq. Olyſippo iubet conſiſtere ripis.
Quinq. ſuperba iugis ſurgit, totidemq. feraces
Conualles Olyſippo grauat; latiſſimus vndas
Explicat, & muros liquido Tagus alluit auro,
Ne paueat merſas altis de turribus vmbras.
Quàq. procul victos tuto videt aggere Mauros
Regia ſuſtollit veterum penetralia Regum.
Marmora quò Libycæ quondam deſecta Syenes,
Quò Phrygius, niueuſq. ſilex, miſtæq. rubenti,
Oebalio virides venerunt vertice rupes,
Pulcher & aurato defluxit gurgite Ganges.
Hic & marmoreis faſtigia nixa columnis
Occurrunt cœlo; procul inclinatus Atlantis
Cœliferi miratur apex, ceditq. remiſſo
Pondere: ſublimes incumbunt ſydera in arces.
Nec deſunt aliæ Nomadum de marmore moles,
Editaq. in nubes quadrato culmina ſaxo.
Seu Diuum aſſurgunt aris delubra ſuperbis:
Siue thoros ſternunt miſeris, & ditia tecta
Pauper habet: ſeu Legatis regalia pandunt
Limina: fœcundis ſeu meſſibus horrea complent:
Aut vicina madent vaſto Prætoria fluctu.
Hic etiam (magnæ tantus decor additur Vrbi)
Ciuibus auratas pandunt venientibus ædes:
Ciuiliſq. domus gemmis collucet Eois.

Mur-

Murmura compoſiti condunt in marmore fontes,
Aut redeunt, liquidaq. fluunt ad littora lymphæ,
Ac reditura tenent populis potantibus ora.
Parte alia bellator Equus pleno ore ſonantes
Fundit aquas. non ille, alto velut vngula Pindo,
Exiguos aperit latices: geminatus anhelis
Flumina dat labris, dulci ſtagnantia fluctu.
Ergo nouis Olyſippo ſacris dum gaudia miſcet,
Cuncta diu fremere, & latis excurrere campis
Armatas acies, totaſq. in nocte videres
Exardere domos, cœloq. incendia volui.
Aera ſonant, baliſta fremit, Zephyroſq. volantes
Incendunt tereti prorupta tonitrua ferro.
Conduntur Troia rediuiuo Pergama muro,
Et bello rurſum Phrygias viſura ruinas;
Tum fortes fatalis equus complexus Achiuos,
Atq. iterum fractis infertur machina portis.
Innumeræ luxere faces, crepitantq. volantq.
Turbinis in morem, liquidumq. per aëra longo
Vndiq. tempeſtas effunditur ignea ſulco.
Troia faces arſura bibit, bibit arduus ignes,
Tecta ſuper ſonipes cinefactus & ipſe, ſupremos.
Iam pelago properare rates, penituſq. repoſtis
Finibus Oceani, terris adnare carinæ.
Legatos Aſia, & flagrantibus Africa regnis,
Atq. Europa dedit, terriſq. America cruentis.
Excepti tellure, altis quà Regia muris
Panditur; inſtratos oſtroq. auroq. iugales,

Et

Et grauis aſcendit gemmantia pondera currus.
Hinc, atq. hinc ciues primæuo è flore iuuentæ
Tercentum vectantur equis, lux aurea veſtes,
Textaq. natiuis intermicat India baccis;
Pigmæas America manus, & Amazonis arma,
Aut ſemiuſta virum, nigros aut plumea crines
Agmina, nec patrijs mouet illaudata pharetris:
Immanes Libyæ veniunt ad frena Dracones,
Dulciaq. impulſis comitantur carmina neruis.
Immotæ aſtiterant ſacra ad delubra quadrigæ,
Legati ſubiere fores, ariſq. ſedentem
Loiolam, ò Pater inclamant, cui celſa tenenti
Sydera, biſgeminæ ſubmittunt munera Gentes,
Accipe; parua damus, magnis ſed debita Diuis.
Diuitias æquare tuas quis ſperet? in orbem
Virtutum qui fundis opes, & barbara regna
Relligione domas, fideiq. potentibus armis.
Talis dona dabas terris, dum vita manebat;
Talis & ingeminas aſtris. Sed munere pleno
Iam faueas; ſi terra tuos teſtatur honores,
Huc ades, & tellus ſurget, te præſide, cœlo.
Quid dicam feſtis qualis Germania Templis
Procubuit? quali venerata eſt Gallia voto
Loiolam, atq Italæ poſitis altaribus vrbes?
Plaudenteſq. ſacris duxere in gaudia Ciues?
Nos Tyberim Dominũ, & magna ſpectacula Romæ
Vidimus. Auguſto Farneſia templa ſepulcro,
Sydenbus cineres quæ celauere nitentis,

R Agmi-

Agmina complerunt ſtudijs Romana ſecundis.
At Iuuenes carmen, pictumq. inſigne ſacrabant,
Gaudentes pictis telas animare figuris,
Viuaq. regali fingentes marmora vultu,
Gregorius Latia poſuit quà Palladis arces.
Quid moror? ipſe quoq. ordinibus numerate beatis
Carole purpureos titulos, & nomina cœlo
Inſeris, hac decuit naſcentes luce Nouembres
Currere, & æternis annum componere faſtis.

IN OBITV BERNARDINI Stephonij Laudatrix Querela.

I X.

NOn ſurdi cineres (animæ quamquam in-
clita nuper
Deſerta hoſpitia, & vitalis fœdera ſenſus
Exequijs abrupta vacant) iuſtiſſima longè
Vos quoq. ſenſiſtis taciti ſuſpiria cordis,
Carminis ac mœſti ſubitos afflaſtis amores.
Et vos, credo equidem, Cyrrhæa viuida frondis
Gloria tangit adhuc, nulloſq. abitura per annos
Floret

Floret inaſpecto iam laurea nata ſepulcro.
Tuq. inter vates olim memorande latinos,
(Quamuis Roma colat veteres Auguſta Marones)
Odiſti fragiles moriens ſi corporis artus,
Parte tui meliore canis: nec diſſitus vltrà
Apenninigenis Mutinenſem Cautibus oram
Vna in valle tenes: cœlo ſed liber aperto
Spiritus aut aſtris volitas, aut redditus auris
Forſan ades, Fabarimq. tuum, Tyberimq. reuiſis.
Non ea, quæ doctas implens Heliconia mentes,
Larga per arcanas Animæ tibi vena latebras
Fluxerat, erupitq. modis numeroſa canoris,
Areſcit conſumpta rogis: melioribus vndis
Illa capax æui, triſti non funera luctu,
Ora voratura non pertulit arida Mortis.
Durat ab exequijs maior, tumuloq. reſurgens
Vincit inextincto pereuntia ſecula curſu.
Ergo iam vitæ emeritus, cum tempora, canis
Et venerata comis iam ſpargeret ora ſenectus,
Heu placidam dignus non vnquã abrumpere vitã
Bernardine iaces; ſunt & ſolatia mortis,
Quòd decuit voluiſſe mori, miſeramq. beatis
Syderibus ſortem, & duros mutare labores.
Quis tamen interea titulos, quis nomina vatis,
Dicentemq. virum non dixerit? ille per artes
Aonias (memorant) doctis prior ille Camœnis
Iam pridem totos prono ſibi vertice fontes
Hauſerat, ingeſtiq. animis ſonuere profundis

Vocales, numeris non deficientibus, amnes.
Quis canat? vt torrens liquidoq. altiſſima curſu
Magniloquo victrix ſe copia funderet ore,
Et monumenta darent vigilata grandia noctes?
Ingenij latam ſobolem, ſœtuſq. ſecundos
Non calamis æquare manus, non pagina longùm
Innumeris impreſſa notis, non ductibus atris
Conſumpti in ſubitos verſus potuere liquores.
Sæpe adeo in medias vrbes mirata Iuuentus
Attonitis ſenſit veniſſe volumina Muſis,
Et longùm voces populis tonuiſſe micantes.
Siue theatrales ſcenis reſonare cothurnos
Et Regum ſimulare neces: ſiue alta iuuaret
Scandere facunda reſonantem pulpita lingua.
Tu quoq. quid memoras ò flebilis Aula, Tragœdis
Ter plauſiſſe modis? Mimoſq. agitaſſe iocoſos?
Carmen inexhauſto fundentem flumine vatem
Simphoroſa tuis non ſeptem in funera natis,
Infauſtis non Fauſta dolis, non Criſpe triumpho
Lethifero, gemina non Flauia cæde fatigas.
Seruabat tacitum numeroſa Tragœdia pectus,
Et iam compoſitis occulta tumeſcere chartis
Sæpe videbatur, ſceniſq. inducere cantus.
At iuſſa vatis tenuere ſilentia voces,
Et numeroſa pius prohibet ſpectacula Tybris.
At tu (ſi quid habent lacrymæ, ſi verba precãtis)
Triſtia nunc ſaltem grauibus committe Tragœdis
Funera. Stephoniũ lacrymoſa ad Syrmata Phœbus

Ipſe

Ipſe vocat. Magnos inter regale Poetas
Sceptrum, Oratores inter vis regia fandi
Cui dederat; raptus Muſarum errore gementum
(Quæ miſere truces pennis pluuialibus Auſtros
Vlturæ ſibi non æquos, nimbiſq. proteruis
Demerſuræ Italos) gemitus & publica, poſcit
Carmen funereis, inter lamenta Theatris.
Lugubres motura choros, laceraq. Poeſis
Huc lauro, Charitumq. manus, Muſæq. decentes,
Atq. aderit cuſtos & carminis auctor Apollo.
Fœmina iamq. notis imitans muliebribus vrbes
Ore loquuturas perducet pulpita formas.
Pullatis omnes in veſtibus, altiùs omnes
Illacryment; quibus inſonuit, quas ſæpe volentes
Nexuit auriferis facundia nota catenis.
Roma aderit, vultuq. ferox Peruſina Virago,
Littoreaſq. regens formoſa Neapolis vndas,
Et Mutina ante alias miſeris effuſa querelis,
Ille vbi phoebeas animos formauit in artes:
Et quæcumq. nouo flueret cùm fabula verſu,
Stephoniæ videre alacres ſpectacula Muſæ,
Illi & Apollineos vltro ceſſere corymbos.
Solemni tum prima ſonent lætiſſima plauſu:
Qualem ſæpe tulit iuuenis, cùm dulcè loquentem
Audiuere Patres, opulentaq. gratia linguæ
Hactenus ignotis mulceret corda Camœnis.
Qualem ſæpe viro maturior extulit ætas
Cum venit robuſta ſacra iam laurea fronti,

 Euro-

Europæq. omnes implebat nomine terras.
Aut cum purpureas vltro regalis in aulas
Doctùrum raperet Princeps; quamquã ille refugit
Securus repetens humilis tuta otia tecti.
Hæc vbi feſtiuis ſimularit Scena figuris
Cornibus inuerſis iam diſcedentia molles
Eripient, triſtes referent Aulæa paratus,
Atque per extremos lacrymis accomoda luctus.
Protinus incedens quatiet proſcenia Pallor,
Sanguine tum defecta Lues, & ſqualida Peſtis
Et Morbus, Febriſq. fremens, & ferrea Mortis
Horribili facies pulſabit pulpita greſſu.
Incipiet modò læta Cohors ſiue aſtra querelis,
Aut lacrymis implere ſinus, lacerata capillos
Et manibus violata genas; Exanguia vatis
(Poſtquam affixa diu tenui languentia lecto
Membra per effuſos miſerùm iacuere Cruores)
Cùm famuli nigro inducent compoſta feretro,
Arida & antiquos Laurus plorabit honores.
Heu dolor, heu pietas, iam nunc audire gementes
Nec paribus videor numeris depromere voces.
Sic miſerande venis? ſic vno extincta recedunt
Turbine, Muſarumq. rapis decora alta tuarum?
At non hoc Italum de te ſperare Iuuentus
Debuit, aut geminos quæ Gymnade culta per axes
Seros ante obitus pridem numeroſa petebat
Virtutis monumenta tuæ; nec dum aurea mundo
Viſa querebatur cæcis latuiſſe tenebris.

Tu

Tu properata fugis per funera? votaq. ludens
Irrita, ſpem Phœbi, lacrymataq. plectra recondis?
Quis modò Cecropias fœlicius ire per artes
Audeat? ingenioq. ferax, & fonte perenni
Non vnquam exhauſtis inuenta educere riuis?
Et miſcere nouos per florea verba colores?
Tu partes implere omnes, : tu munera vatum:
Tu latij facunda fori: cunctaſq. loquendi
Ferre idem poteras, hedera, lauroq. coronas.
Dicèndo ſi corda tenes, ſi pectora cantu
Emollire iuuat, Tragicos ſi Comica luctus
Cura leuat, miſtoq. tibi ſtant ſeria ludo:
Tullius eloquio, numeriſq. fluebat Homerus
Callimachuſq. tuis: aderat, pariliq. tonantes
Pindarus ore modos voluit: par viſa Terenti;
Priſca Sophoclei par gloria viſa cothurni.
Cui tantum ſperare datum eſt? quis cuncta coëgit
Ingenio? nec Romuleas tibi Marce curules
Muſa dedit, quamquam domitus Catilina minantē
Impulerit ceciniſſe togam: clamoſa Marones
Ignorant quid roſtra ferant: dociliſq. modorum
Mæonios refugit plectro Venuſinus olores.
Vnus eras, qui cuncta dares, cui Palladis omnes
Promere diuitias, animoq. agitare licebat
Muſarùm Suadæq. vias, quæcumq. canoris
Condidit Aoniæ mendax Sapientia lucis.
Et moreris? fera mors vno quot diſcidit ictu?
Vos ſaltem ſociæ meritos incendite luctus,

Et queſtus lacrymaſq. pia renouate Sorores,
Morte perit, veſtro lauros contexite Vati.
Hæc adeo, ſi ſcena placet, ventura ſonabunt,
Et Thymelen iuſtis implebunt acta querelis.
Nunc facti meminiſſe iuuet, quoſq. alite fauſto
Inclita ſupremos Mutina inſtaurauit honores.
Namq. vbi ſanguineo pallentia corpora letho
Senſit iam medijs compoſita recumbere templis,
Et circum accenſis ſuprema in carmina ceris
Luſtrantes animam ſocios conſiſtere Patres;
Exuit arma ferox, nec baltheus alligat enſem,
Clara quibus Latios veteri notat vrbe Colonos:
Quin ſuper inductos humeris deponit amictus,
Regaleſq. gerit Domino quas læta volucres,
Obuia cum ſubicit magnis Eſtenſibus ora;
Tum ſubit atratis in veſtibus & noua circum
Funeris Æmiliæ renouant cantamina Nimphæ.
Ardua templa patent, niueo candentia ſaxo,
Quæ poſuit vicina ferens in nubila Cæſar,
Et ſuperat Magnis Eſtenſia nomina factis.
Huc ſubiere omnes, & iam mœſtiſſima voces
Emiſſura gemit comitum Regina ſupremas.
Cum ſubitò ignotos inducens Fœmina vultus
Læta ſuperuenit, myrtumq. hederaſq. virentes
Ipſa manu, lauroſq. gerit, ſpargitq. per auras.
Ducere longæuos iam canis crinibus annos,
Rugoſas ſulcata genas, inculta capillos
Cingere paganos habitus, rigidamq. peruſta

Sole videbatur frontem, priſciſq. Seueros
A Curibus, proauiſq. Numæ deducere cultus.
Inq. humeros demiſſa gerens à vertice ſummo
Lintea, ne viſus ori illabentia celent,
In caput in tergus reuoluta plicatile linum
Reÿcit. intextis at tempora termes ariſtis
Frugifer obnubit, viridiſq. extrema coronæ
Flumineas myrtus, lauruſq. interuiret algas.
Vix ea funereo poſuit veſtigia templo,
Cum ſubitò: Hinc mœſtos, inquit, ſeponite luctus,
Quid mihi fœmineas effunditis ore querelas?
Me ſolam, ſi flere decet, decet ire per omnes
Me quæſtus, oculiſq. omnes effundere riuos.
Non ego, quæ fortes altrix laudata Sabinos
Collibus impoſui, nemorumq. feracibus aruis,
Alterius tantùm factis laudabar alumni:
Terraq. nec claros magis extulit altera Vates,
Vt mihi Stephonium *molitur nomina nomen.*
Ille tamen virtute, meos qua tollit honores,
Extulit ante ſuos: & magnas vecta per artes
Culta per ingentes increuit Gloria laudes.
Et vos compoſito quæ creditis oſſa ſepulcro?
Viuit adhuc, ſoluiq. ſuæ fila aurea vitæ
Haud metuit, ſancti quàm caſta per atria mores,
Quam pia Relligio dederat, contentaq. paruo,
Diues, & abiecto paupertas nobilis auro.
Viuit ab arcano, tacitus qui morte reſedit
Carminis ore vigor, Famaq. loquacibus alis
Æter-

Æternas volitans æui circumſonat aures.
Ergo illi titulos, & laurea munera mater
Gratabor, quibus ipſa meis nutrire Sabinis
Dicor Apollineos numeroſa per oppida vates.
Tu mihi, quodcumq; eſt noſtræ per diſſita latè
Mœnia terrarum laudis, per inhoſpita Ponti
Littora, condis adhuc: decorum tu grande meorum
Culmen eris: procul externis tu creditus oris
Muſarum reſonare choros, & carmine ſacro
Æmiliam cunctoſq. dabis floreſcere Gallos.
Salue ingens vatum columen, lux addita Phœbo
Italiæq. decus, ſoboles mea. triſtia mortis
Dona tibi, luctuſq. veto: tibi myrtea, plena
Serta fero, lauroſq. manu; Vos iungite flores,
Dilectas illi manibus vos fundite myrtos:
Munera digna damus, ſint hæc ſua funera vati.
Sic ait; at Mutina aſſenſit, plauſere Sorores.

ITER

ITER AENEAE digreſſionibus auctum.

X.

IN caſsũ profugos memoras diſcedere Teucros,
Et, Facies, inquis, non ſe liquidiſſima cœli
Nube tegit, circumludenti leniter aura
Non alit occultos imbres, aut ſubdolus Æther
Intentat rauco ſurgentes murmure Cauros.
Ecce hilari compulſa manu, Diuumq. ſecundis
Auſpicijs, Italas multo diſcrimine ſedes
Claſſis ab Idæis quærit circumflua terris.
Hæc modo verba vacent. Noui quo litore Pinus
Dardaniæ ſteterint, exul quæ regna per orbem
Viderit Æneas, aut Troia fata ſecutus
In ſpem Romanam Latio conſederit amni.
Hæc etiam ſpectare oculis, animumq. tuendo
Exaturare iuuet, neq. enim tantum actus Vlyſſes
Errauit pelago, aut plures per longa viarum
Exilia & Syrtes, & blanda pericula ponti
Commemoret populos, ſparſaſq. per æquora terras.
Iam vocat aura rates. Ægæos accola fluctus
Obijcit, anguſtumq. aperit Thetis Helleſpontum.

Sub-

Subdola iamq. licet decurrere littora . Iamq. ò
Iliaci cineres , flammiſq. euerſa ſupremis
Troia vale, veteri ſi ſunt ea nomina terræ ,
Ex quo victa iaces duris certata Mycenis .
Non tibi terribili fremitu, buxoq. ſonanti
Culta per Idæos aderit Berecynthia montes,
Nec bifores ſecreta dabunt Cybelèia cantus .
At ſcelere ingenti ſcelus, ac deleta nefandis
Sacra ſacris cedunt, peioraq. Numina gentis
Tenaree impoſitis teſtantur honoribus ædes.
Improba Maumethum populis inuexit Erynnis,
Et furiale malum miſeras effudit in oras .
Quondam etiã ſuperis dederunt ea regna ſecundis
Thura, pioſq. focos: niueaq. in veſte Sacerdos
Feſta vaporatas adoleuit ſacra per aras .
Nunc cœli deletus honor, delubraq. tædis
Infernæ ſtygijs inceſtauere Sorores .
Et querimur, genus infælix, quòd funere multo
Horrida inardeſcat conſumptum in fulmina cœlũ?
Quòd miſeris iterum humanos hauſtura cruores
Bella tonent, pereantq. ſuis cum gentibus vrbes;
Si peiora dies ſemper tulit ? Æquora currus
Veliuoli interea feriunt, circumq. carinas
Ægæi fluctus reſonant motantibus Euris .
Et iam Threicijs longè mauortia tellus
Montibus erigitur, Scythico quæ victa Tyranno
Littora fida negat, primeſq. accedere portus .
Nec procul ingentem ſuſpendit Boſphorus vrbem ,

Et Conſtantino ſurgentia mœnia Regi:
Nec procul auratus perituram portitor Hellen,
Thebanumq. leuis tranſuexit in æquore Phryxum,
Illic Romanus poſuit poſt martia Cæſar
Prælia, captiuos currus, hoſtiliaq arma
Prædamq. exuuiaſq. virum, totamq. nepotes
Implerant ſpolijs vrbem, per & aurea Templa
Perq. domos multo pendet Victoria bello.
Sed mox venturas meditatus fœdere clades
Turca ferox contrà victricibus aſtitit armis.
Tu vero Auſonios optes non deuia Patres
Audire, & dominæ ſupplex procumbere Romæ:
Forſitan vltrices armaſſent fulmine dextras
Coniurata manus Superum, cœloq. tonanti
Miſiſſent acies, ne tu ruerere, minaces.
Littore ab Euxino fremuit Maumetus, & arma
Aduocat: exacuunt Othomanas claſſica gentes.
Et trepida effuſis complectur Græcia turmis.
Proſpiciunt pauidi, & ſtantes pro turribus altis
Aggere murorum, portiſq. teguntur Achiui,
Nec bene ſupremò rapiunt in funere tela.
Iam tuba terrificis animos clangoribus implet,
Diſſenſuq. ſubit vario Luctuſq. Pauorq.
Iraq. & errantes inſana per arma Furores.
Hoſtis adeſt muris: hi circum longa coronant
Mœnia, ferrataſq. ſudes, flammataq. paſſim
Tela, faceſq. rotant: in nubila ferreus imber
Stridet, & obſcuro Solem ſubducit amictu.

Contra

Contra inſtat furijs, vellitq. Othomanius vrbem.
Ipſe manum facibus Ductor *flagrantibus implet,*
Accendenſq. animis rabiem, diſcindere vallum,
Ire iubet, penetrare arces, ferrataq. clauſtra
Pandere, nubiferas ſcalis aut vincere turres.
Iam ſuprema dies auidos in bella vocarat
Nequicquam, & vidua Argiuos *emiſerat vrbe*
Pugnandoq. viris furor additus: aſperat iras
Incaſſum Patriæ facies; nam Barbarus arma
Denſat, & ardentes acies, & ſigna coruſcat,
Inq. fugam verſos celeri premit agmine Ciues.
Qualis ab hoſte furor? miſeræ quæ funera gentis,
Cum via facta viris, cuneiſq. ad mœnia primæ
Obnixis patuere fores? Ferrum vndiq. & ignes
Et Byzantinus ſpumat cruor: omnia vortex
Flammarum, & vaſtæ circùm inuoluere ruinæ.
Nec minus ingeminant, maioreſq. ignibus auras
Fœminei incendunt luctus: perq. ipſa domorum
Limina, templorumq. aditus, atereſq. per aras
Barbarus agglomerat cædem, laceratq. paſſim
Corpora. iamq. vias texere cadauera, iamq.
Interclusit iter, perq. altæ ſtragis aceruos
Voluitur amne cruor. Vitæ ſed dulcis amores
Nequicquam ire monent, fidaſq. excurrere in arces,
Seruitiumq. pati; fugientibus ingruit enſis
Sanguineus, fugiturq. fugæ quà nulla poteſtas.
Heu quid agant? Medijs vbi ſe denſiſſimus armis
Mars agit, & Scythico vires, animoſq. furori
Sufficit,

Sufficit, Argiuum Cæſar moriture ruebas.
Tu quoq. ſupremam, primæuo nomine Regis
Conſtantine diem, caſuraq. Regna notabas.
Sed non occubuiſſe datum eſt, neq. vulnere multo
Ante mori, extinctã facibus quàm videris vrbem,
Et Ducis ingenti pronam cecidiſſe ſepulcro;
Occidis, atq. Oriens tecum occidit: ille tenebras
Vexit, vt Auguſtum deceat nox vltima Solem.
Sed placet infames ſceptris crudelibus oras
Effugere, & longè Thraces audire Tyrannos,
Arctantemq. iras pelagi indignantis Abydon.
Aura ciet puppim, aduerſa quæ leniter Arcto
Spirat, & impulſa alludens demurmurat alno.
Quòq. magis recto findit cita tramite pontum
Hòc magis anguſtæ laxantur ab æquore terræ.
Iàm Mitylenæas licuit contingere ſedes,
Nimboſiſq. Notis, dominataq. mœnia Coris
Sed lyricis hic plectra modis, grandeſq. cothurni
Alcœi reſonant, æternaq. nomina laurus.
Pone fretis ſurgit Scyros: Chios inde, ſed altum
Læua tenet, grauidis Bacchi celebrata racemis.
Ecce mari in medio Delos natat. Inſula quõdã
Cognatas inter clariſſima Cycladas, vndis
Extulit Ortygijs cautes. Nam ſæpe reſidunt
Æquora, & ex imo pugnant vada concita fundo.
Cùm tremefacta fremit, concuſſaq. pondere tellus
Vellitur, inſtabiliq. ſolo quaſſata remugit.
Inde ferunt reſonantem vadis, fluctuq. furentem

Ocea-

Oceanum rupiſſe vias, & vortice rauco
Vrbeſq. & raptos vertiſſe in cœrula montes.
Nec minus abrupto certatim gurgite, terras
Erexiſſe fretis caput, & conflicta latenti
Arua ſolo ignotas pelagi veniſſe per oras.
Sic emiſſa vndis medio ſtetit æquore Delos:
Sic vicina Rhodos rupit mare; & alta profundis
Emerſit latebris, dubioq. incerta tumultu
Sæpe natat pelago; pontuſq. à ſedibus imis
Fundamenta quatit, terramq. in ſtagna repoſcit.
Sed magis illa gemit, Domino quod victa ſuperbo
Cogitur imperijs Othomanum audire regentem.
Bis ferus inuaſit, latuit bis claſſibus æquor:
Marte redit miles Solymæ bis victor aperto:
Et tunc Cœlicolas gladios ad bella micantes
Eduxiſſe ferunt, trifidumq. in vulnera ferrum,
Quò furibũdus Eques campo ruat. Agmina ductor
Odryſium ferro ciet Aubuſſonus in hoſtem.
Iamq. vrget, primuſq. fugat, dextraq. coruſcat
Fulmineus, Rhodiæq. inſtant in littore turmæ:
Et Crux ſanguineos internitet alba colores.
Barbarus accelerare fugam; neq. comminus auſi
Aut conferre manum, aut æquo ſe credere Marti
Vela petunt, profugiſq. metum incluſere Carinis:
Victores celebrat Rhodus, inducitq. triumpho.
Quæ tamen ardentes furias, repetitaq. bella
Non tulit: inſtabat contrà, rabiduſq. fremenſq.
Pannoniæ victor tumidum qui fregerat Iſtrum,

Bel-

Belgradiq. arces : veteres modò verſus ad iras,
Et coniuratus Rhodios excindere muros,
Mille acies regnis audax Solimanus agebat.
Quid ſperare licet ? longè auxiliaribus armis
Perſonat Italia, & toties poſcentibus arma
Obuia bellatrix depugnat Iberia Gallis.
Nec, Belgis dominata, fremit, medioſq. tumultus
Inter, & ambiguos Reges. ſuſpectaq. regna
Roma timet, paſcitq. ſuos Europa cruores.
Tuq. adeo generoſa cohors, quæ claſſe per vndas
Vecta Palæſtinæ ab regnis, & marte ſecundo
Defenſura Rhodum frenaſti ad littora curſus
Regna potens Lycio rediuiua extollere ponto,
Ne dubites tentare vias, neu cedere bello.
Longè alio diuerſa mari, quà fluctibus altis
Inſula deſpumat, libycoq. retunditur æſtu
Regna parat Melite; ſceptris in ſecla regendis.
Hic olim iuſtas ſcelerato è milite pœnas
Victrici ſumpſiſſe manu, atq. expleſſe licebit
Dignas bello iras, ſaturataq. ſanguine tela,
Dicetq. æternos Melite defenſa triumphos.
Interea vectis alieno marmore Teucris,
Centum olim quærendæ aruis Cretenſibus vrbes :
Linaq. in aduerſos Aquilo ciet aridus Auſtros.
Quinquaginta altis opponunt iugera terris
Cyclades, & rurſum terno madet inſula dorſo.
Illæ vndas circum ſcopulis clauſere, fretumq.
Circinat abſciſſum numeroſo littore tellus,

Donec laxet aquas, & Gnoſſia cærula pontus.
Ecce, viden, vaſtis vt Creta attollitur vndis?
Atq. extenta vadis ſinnoſas pandit arenas?
Non ibi concipiunt iras, artemue nocendi
Dira venenatis condunt animantia caudis.
Palmite ſed viridi tumidos pendere racemos
Arua dabunt, aruis non conceſſura Falernis,
Atq. fluunt plenis generoſa Aruiſia labris.
Hic labyrinthæos tenebris, ac rupibus altis
Mons tegit errores; ſed enim ſuffoſſa cauernas
Saxa ſuis liquere locis, lapidoſaq. tellus
Marmoreis egeſta iugis ſub monte latebras,
Et cæco tulit orbe vias; ne Dædalus arte,
Dædaleæq. domus veſtigia falleret error.
Tuq. adeò Æneam, lætos & inhoſpita Teucros
Inſula quæ crudo merſiſti funere, & annus
Lethifer inuaſit redeuntis mœnia Troiæ;
Clara per Ægæos fluctus Othomana ſuperbi
Proteris arma ducis, funeſtaq. cornua Lunæ,
Docta Italos audire Patres, & frangere bello
Threïcias, Venetis ſecura Leonibus iras.
At ſerua ingentes animos, bella, aſpera bella
Commotis ſi forte Aſiæ Mars inferat oris,
Et contra infeſtis exundet Boſphorus armis.
Inuictas ad bella manus, dominoſq. periclis
Experiere tuis: conferre minantia ſigna
Sæpe auſi, & domitas pelago deducere Claſſes.
Tuq. etiam Scythicos numeras defenſa triumphos.

Sed

Sed iam pacata tempus requieſcere terra.
Tranquillo ſinus inuitat conſiſtere portu,
Hic vbi natiuos tellus ſinuatur in arcus
Turre ſub aëria, & pauidis caput imminet vndis,
Ac tutas fida hoſpitijs dat Candia ſedes.
Iam medium emenſis ſpatiũ male fida ſupſunt
Littora. Diſiectis Iſthmos quas alligat vndis,
Et quondam Piſis celebres, bimariq. Corintho,
Taygetiq. iugis, Nemeaq. altiſq. Mycenis
Quis Peloponneſi gentes, iam perfida regna
Tutus adit? gelidam curſus vbi flexit in Arcton
Ionio in magno, quis fœdas ſanguine rupes,
Et Strophadum mõſtris habitata rapacibus arua,
Dulichioſq. petat ſcopulos, inimicaq. ſaxa?
Ni tectis Corcyra tuis inſiſter, & vndis
Exiguo terras interlabentibus æſtu,
Epirum, ac toties arſuro ad fulmina, longè
Formidata velit ſpectare Ceraunia dorſo?
Hic Nereus longo produxit cœrula tractu,
(Nam breuis Italiæ curſus) ſeu dextra petatur
Illyris, aut læuos Libyæ properetur in Auſtros.
Hic etiam Adriacis confinia fluctibus æquor,
Ionijs poſuitq. vadis. Hinc Itala tellus
Fœlices aperit campos, & pinguia culta.
O ſalue fœlix populis, ò florea mundi
Ora, tibi campis flauet Ceres: auget odores
Ver tibi floriferos, frugeſq. Autumnus opimas.
Idcirco Æneas luctantem fortis in Eurum

Puppe ruit, pelagiq. minas : vt littore tandem
Heſperio teneat quæſita erroribus arua.
Ergo ſinus, viden, ille cauas vt condidit vndas?
Et Salentinæ curuata per æquora gentis
Æacidæ ſurgit Pyrrho defenſa Tarentus ?
Aſpice vt excurrit tellus : dein flexa ſupremos
Terminat Italiæ fines, atq. vltima regna
Anguſto diuiſa freto, Scyllæq. latebris.
Trinacris Æthnæis vt ſcindit nubila ſaxis
Flammiferis cinefacta iugis, interq, fauillis
Manantes ſcopulos, & miſſa incendia cœlo,
Candenteſq. niues, natiuaq. frigora paſcit.
Illic vt perhibent (tantus quatit æthera vertex)
Nulla ſub hybernis erumpunt fulmina Coris,
Peruia nec pluuijs, infraq. furentibus Auſtris,
Imperturbato veſtigia puluere pendent.
Cernis, vt Ionij trans vltima ſaxa Pachini
Seſe aperit Getula Thetis ? Tu carbaſa fluctu
Ah fruſtra Æoliæ laceras Troiana procellæ.
Quantus ad Italiã labor eſt? quo turbine venti?
Vortice quo rapidum ſæuit mare? quãtus ab aſtris
Tempeſtate cadit, nimboq. armatus Orion ?
Scilicet & magno virtus agitanda periclo eſt,
Atq. omnis tandem premitur fortuna ferendo.
Ecce Phrygum claſſis, pelago nimis acta furenti
Heſperiæ propior, ſpiranti leniter Euro
Tyrrhenos ſuperat fluctus, notoſq. Sibyllæ
Caietæq. legit portus, inuectaq. flauum,

Auſonia, Tybrim, tandem requieſcit arena,
Et latiæ victrix conſidit in aggere ripæ.
Hactenus Æneæ relegens veſtigia Ponto
Longum emenſus iter. neq. enim fallacis Vlyſſis
Ille adijt terras, Ithacæq. immitia regna;
Deſter at aſcendit Leucatem, & Apollinis arces.
Hic ſinus ille maris, nimiumq. arctata Corintho,
Et circum occluſis Naupactia littora terris.
Quò vertit quondam Auguſtus Naualia Cæſar
Prælia, Niliaci quo ſe Regina Canopi
Coniuge cum Latio, trabibuſq. inuexit eburnis;
Ægyptumq. omnem, & populos latrantis Anubis
Tranſtulit Actiaco bellatrix Roma triumpho.
Hic quoq. ſanguineis concurrere robora roſtris
Vidimus, & domitos Thraces, Aſiæq. minantes
Procubuiſſe Duces, infractaq. cornua Lunæ.
Huc Mars è Cyprijs crudeſcens prælia regnis
Duxerat. Interea ferro vaſtata cruento
Cypre iaces, quatiturq. tuis Europa ruinis.
Sèd Venetis vbi Roma ferox, vbi fortis Iberus
Pugnaceſq. manus, populoſq. in fœdera iunxit:
Et tandem Adriacis ſonuerunt claſſica in vndis;
Italiæ, belloq. fremens Hiſpana iuuentus
Ad vada collectas Acheloia deſtinat alnos,
Ætoliq. ſinus tacito ſubit oſtia ponto.
Ire monet Ductor, fatiſq. in bella ſecundis
Auſtriacos properare Duces, Marteniq. ciere.
Idem omnes ardor ſtimulat, magnumq. Columnā,

Venierumq. ſenem, lapſaq. in nubibus altis
Ignea cœleſtes prætendunt ſpicula turmæ.
Contrà hoſtis furere, & bellum Sirochus *apertum,*
Ac furibundus Alym, & dirus Caracoſſa vocabat.
Quiq. diem fauſtum numerat Lucialius. hoſtem
O Itali vexate Duces; quid gurgite prædo
Pulſus agit victis victricia carbaſa velis?
Et ſolus Domino portat bona ſigna timenti?
Luſtrabat geminas æquo Sol lumine Chelas,
Atq. vbi iam mediæ ſuperauit pondera Libræ
Inclinaturo ſpectabat Scorpion Aſtro:
Surgebatq. dies, & bellica ſigna fremebant.
Sex adeo incedunt ſpectato robore puppes,
Ponè ſubit, placidèq. means, & pinea belli
Aſſequitur moles; credas nauulia totis
Erupiſſe adytis, vltroq. ad bellica roſtra
Demiſiſſe omnes frondentia brachia Syluas.
Hinc ſeſe hoſtis agit, lunataq. cornua torquet,
Remigioq. inſtat. validæ tormenta carinæ
Interea flammas non ante aſpecta coruſcant,
Ardenteſq. globos. tonitru ſimul impulit auras,
Diſſiluere rates: iterumq., iterumq. carinis
Fulmina miſſa volant, ſtragemq. ignemq. reportãt.
Concipiunt tabulata faces, puppeſq. per omnes
Serpit agens ardor, pars ſciſſa immergitur vndis,
Et ſparſæ lacero incedunt ſine remige tonſæ.
Miratur ſicco ſe iam decreſcere ferro
Barbarus, ac propior remis ſi verberet vndas,

Hec

c magis igniferos vomit eiaculata molares
terna baliſta ratis, nimboſq tonantes.
tamen tutas telorum turbine puppes
lorat, texitq. diem ſtridentibus armis;
iacit incaſſum, fruſtrataq. pondera ferri
mantis repetita cadunt in vulnera ponti.
ceſſant bellare Noti, fumoſq. volucres
acibus opponunt, miſtis caligine pennis.
Hinc praternectus miſſas Acheronte minaci
cit Alym Furias, ſpectataq. carbaſa bello
ſtriaco conuerſa Duci. pulſata viciſſim
ia ferratis crepuerunt robora roſtris,
adit & ſtridet non vna in vulnera ferrum,
ulaq. & torta decurrit arundinis imber.
geminus ſquamis Dux vt fulgebat abenis
nartem aduerſis infeſtior aduolat armis.
ereus, pariliq. fremens Farneſius aluo
ſtriadæ cinxere latus: vocat agmina contra
barus, agglomeratq acies: in vulnera pronus
ſq. ruit: denſis aggreſſi prælia turmis
licuere viri, pereunt, lapſiq. cruentis
ianimes voluuntur aquis, hauſtuq. ſupremo
entem epotas animam effudere per vndas:
mantiq. cruor concreſcit in æquore riuo,
quoq. ne incertis reuolet victoria pennis
medios moriturus Alym conferta per arma
uis. Immiſſum tergoq. & pectore ferrum
luctantem animam, mediaq. in morte natantẽ

Aduocat in geminum vulnus; ſtetit illa volutans
Quò flueret, donec largo ſuper arma cruóre
Spargitur in geminum tergoq. & pectore vulnus,
Aliger arcano direxit ferrea nutu
Tormenta, & ſtagnis Furias immiſit Auernis.
Extemplò conuerſæ acies, inimicaq. roſtra,
Siue immerſa vadis vaſto latuere profundo,
Seu captiua trahunt manicæ. Ducis alta cruentũ
Extulit haſta caput, liquidaſq. euecta per auras
Threÿcia de puppe Crucis vexilla coruſcant.
Quo terrore omnes Libyæq. Aſiæq. manipli
Diffugiunt, remiſq. ardent aptare lacertos,
Aut hoſti, aut vitam tumido committere ponto.
Nec ſpes vlla datur, ſorbet mare, fulgurat enſis:
Nec cauſæ irarum renouata in cæde reſidunt.
Parte alia moriens hoſtem necat: æquore clarum
Sed Barbadicus poſt triſtia funera nomen
Geſſit, & emeritos ingens per ſydera faſces.
Parte alia reuocat denſas citus Auria puppes,
Cornuaq. obſtringit; veteres Lucialius artes,
Admiſcetq. dolos, ſparſaſq. recolligit alnos,
Moliturq. fugam, & victus volat æquore victòr.
Ah fruſtra incedis belli tibi dire ſecundi
Nuncius. adducas Domino captiua furenti
Et ſpolia, & raptas in fauſto remige puppes.
Ille ira, furiĳſq. ardens innoxia gentis
Agmina, & omne neci voueat caput; audiet auſis
Regna per Ambracios fluctus Othomana ſupremis

At

At miſer, infauſto merſamq. in gurgite Lunam;
Nec rediuiua ferox meditabitur æquore bella,
Prælia dum referet domitus Naupactia Pontus.

ITER VLYSSIS NOVIS narrationibus illuſtratum.

X I.

ME *vero Regis conuiuia, diuite luxu*
Hoſpes vbi Alcinoi menſis accũbit Vlyſ-
ſes,
Ire iuuat, lætiſq. vna diſcumbere Cœnis,
Conſilioq. virum linguaue audire potentem.
O Muſis dilecte nimis, regnator apricæ
Qui ſoles Ithacæ, clauſum qui Neriton vmbris
Quæſiſti pelago fugientem, & dulcia tecta
Nequicquam monſtris Nerei pugnatus Vlyſſes.
Tu ne immortali victurus ſecula cantu
Perpetuos duces vitæ ſine legibus annos,
Tam pelagi victor, Paridi quam victus Achilles?
Tu fœlix, interq. Duces *inſignis* Achiuos
Qui cladem infandam, captæq. ardentia Troiæ
Pergama, tum caros miſeri videre penates
Experti Euboicos iratæ Palladis ignes,
Et malè nocturnis gemuere Caphar ëa ſaxis.

Non

Non tu, cùm dapibus circum depaſta cruentis
Agmina denſerunt Italis Leſtrygones aruis
Aut armentali Polyphemus inhorruit aula,
Indignos hauſiſti obitus: atq. hoſtibus actis
Veniſti patrias non expectatus ad oras.
Scilicet & magnis, donatus tu quoq. Muſis,
Æternumq. tuo nomen ſabricaris Homero.
Huic quantum de te licuit? non obruet vndis
Arbiter vndarum, cœlo non fulmen ab alto
Afflabit: cunctis terraq. mariſq. periclis
Eripiet, forti qui vincet ſecula cantu.
Ille ingens, teneras deduxit in ardua Muſas
Heroum Pater, & claris decor additus armis.
Qui tumidis vt bella modis, ſtabiliq. canenda
Arma ſonent numero: primo qui carmine ſignat,
Regibus vt quondam magnis præluderet Heros.
Tu quoq. Ciuiles per longa volumina mores
Inſtituis: leges tu idem, ſecretaq. pandis
Fœdera, Naturæq. omnes aditure latebras
Cuncta doces, artemq. viris, laudemq. miniſtras.
Te procul Ionij naſcentem ad fluminis vndam
Græcia ſeptenas ciuem numerauit in vrbes,
Et tua per cunctos ſignauit nomina faſtos.
Macte animi Senior: cui laurea ſylua, canoris.
Cui fontes patuere adytis, placidiq. futuros
Impleuere animos te concedente furores.
Tuq. adeò Princeps fortunatiſſime Vatum,
(Olim Romuleis quamquam viget æmula Muſis

Glo-

Gloria) Mæonij precor ò mihi carminis ales
Sola cane, inuictumq. vnà referamus Vlyſſem.
Nobilis Ionio *terras Corcyra profundo*
Exerit, Italiam contra: cuneata ſupremos
Quà finesSupero, Siculoq. retunditur æſtu.
Ipſa ſed Epiro *propior, fluctuq. recuruo*
Interfuſa ſinus, medijs proſpectat ab vndis
Chaonias, olim fœlicia pabula, glandes.
Huc pelagi iactatus aquis, cœliq. ruina
Leucothoës fertur vittis defenſus Vlyſſes,
Naufragus, hoſpitijs maior regalibus hoſpes.
Tectum erat, aurato nitidum quod lumine circum
Phœbus, & argento veſtibat Luna bicorni:
Vulcano ſudata domus. Stant æra vetuſtis
Parietibus, formantq. altos lauiſſima muros:
Æra pauimentis, foribuſq. adduntur ahënis,
Argentoq. nitent poſtes: ſuper alta corona
Proiec*tura grauis ſolido circumdatur auro,*
Tum geminos ſimulacra Canes vigilantia portis
Fingebant; illi excubias ſeruare ſilentes,
Iratoq. ſolent melius latrare metallo.
Interiùs ſolia aratas viſenda per aras,
Lucidaq. irradiant pendenti ſtamina peplo,
Fœminea textura manus; ibi ducitur omnis
Lux epulis, denſiſq. ſonat Phæacibus ædes.
Inſtaurant & nocte dapes, auroq. per aras
Erexere facem iuuenes, noctemq. coruſcant.
Nec deſunt horti virides, vbi gramina flores,
Arbo-

Arboreas Matres vbi mitia poma colorant :
Et Pirus, & Malus, roſeis & Apyrina granis,
Et Ficus bifera turgent, Oleaq. vireſcunt.
Non fruges glacialis hyems, non decuutit æſtas ,
Et ſpirans queritur Zephyrus , quod flamine longo
Annuus, aſſiduas reparet tamen impiger auras .
Ille & roboreas infuſus rore maritas
Euocat in fœtus : creſcunt, aut pabula ſuccis
Iam plenis matura bibunt, ſeniorq. recentem
Flos ciet, & pomo veteri noua poma ſeneſcunt .
Tum gemini fugitiua ſonat chryſtallina fontis
Lympha ; ſed ille fluens vmbroſi frigora luci
Quærit, & inuentis gelidus demurmurat vmbris:
Ille domos elatus adit, Regemq. frequentat ,
Erumpenſq. cauis incluſa canalibus vnda
Implet inexpletos numeroſa per atria Ciues .
Ergo vbi ſucceſſit tectis lacrymabilis hoſpes
Alcinouſq. viro nocturnæ gaudia menſæ
Inſtituit, nomenq. rogat, ſortem q. malignam ,
Sic ait : Adſum armis, & bello notus Vlyſſes
Conſilio melior . Vidi fumantia Troiæ
Mœnia: digreſſus Ciconas, vrbemq. ſubegi .
Damnatuſq. moræ (populos nam bellica circum
Aera vocant)ſocios gemui ſub Marte cadentes .
Hinc Polyphemi arces, Siculaq. in rupe Cyclopas,
Aeoliamq. domum, ſpatioſi & culminis inſtar
Immanem dorſo Antiphatem : tum littora Circes,
Cimmerioſq. lacus, habitataq. Manibus arua
Aſpexi,

Aſpexi, & tacitis vndis heu dulcè ſonantes
Sirenas, Scyllæq; iras, auidamq. Charybdim.
Et tandem Ogygijs latui malus Incola ſaxis.
Hæc inter cari ſemper genitoris imago
Ante oculos, patriæq. ſedent communis amores.
Nulla domus flexit, magico non carmina cantu,
Oblati non iura thori, vel munere Diuum
Venturum dotale viro ſine finibus æuum.
Vos Ithacæ teſtor rupes, vos Patria longè
Mœnia, non vnquam lacrymas, non vlla gementē
Exaturaſſe animum ſæui argumenta doloris.
Nympha coloratas denſabat pectine telas:
Solus ego Patriam deſerto in littore flebam,
Suſpiranſq. Ithacam, clamanſq. dolenſq. vocabā.
Hactenus Alcinoum dictis mulcebat Vlyſſes,
Et factis documenta dabat, quæ voluere cantu
Perſequar. Externas fertur lacrymabilis hoſpes
Scilicet ad gentes: Ithacam, ſcopuloſq. relictos
Semper amat, votoq. petit. Feſtinat in oras
Alter at ignotas: patria reuocante, Penates
Ipſe ſuos exul fugiens, qui Sole paterno
Ambiguos Soles inuiſaq. ſydera mutat.
Hunc rapit auectum dominantis regia Tybris
Immaneſq aulas, tumuloſq. orditur inanes:
Hic prædam Oceani, & gemmantes deuorat algas
Victurum è populis tumulum parat ille ſepultis.
Vnius at Terræ cultor, morientia vidit
Sydera quæ naſcens, moriens oritura reliquit:

Et

Et fœlix ſe ſemper habet. Fœlicior ille eſt
Cui patriæ melioris amor, clariſſima cœlo
Quæ condit ſine nube diem, quæ dulcibus annis
Aeternat placidas diuina in gaudia luces.
Aſpice, non ignota via eſt: tibi ſydera fulgent
Illuſtres in nocte faces; his tempora ſertis
Dic, vagus impediam, patrios cum rite per orbes
Igne leui, Zephyriq. ferar famulantibus alis.
Sol ibi dat Chlamydem: rutilos Sol finget amictus
Luna dabit currus, totum feret omnia cœlum.
Deuius interea, ſcelerumq. in nocte maligna
Si quando moliris iter: quot ſydere prono
Inuigilant oculi, ne mordeat horridus anguis?
Lubrica ne peccent veſtigia? rupta vorago
Ne ferat in præceps, ſtagniſq. immergat Auernis?
Ergo age conuerſos in cœlum dirige curſus;
Nec mora diſtineat meditantẽ, & cuncta pauentẽ;
Opportuna fugæ dum præterit hora, coactos
In doluit Ciconas vix æquore tutus Vlyſſes,
Et laniata tulit mandentem membra Cyclopem.
Quin & colliſas lapidoſo turbine puppes,
Et raptos Ithacos, laceratáq. littore membra,
Paſcenteſq. virum Leſtrygones oſſa Gigantes.
Hi tenuere Solum, ſignant vbi tecta Lacanæ
Phormiæ: odoratos vbi littore tendit amoeno
Mola recens, viridiq. ſuos tegit arbore Colles,
Dexteraq. obducit placidos Caieta receſſus.
Haud equidem credo feralibus Itala monſtris

Oppi-

Oppida ſic raptos agitaſſe in funera nautas,
Vera nec audaces ſemper dare nomina Muſas.
Hic ſinus ille maris, telluſq. incurua beato
Littore: montanus lætis quà vallibus humor
Irriguis ſe fundit aquis, ſemperq. tepentem
Vere ſerenato numerant viridaria Solem.
Semper & Heſperidum veſtit ſeſe aurea malis
Arbor, & hybernas irridet frugibus auras.
Atq. ego, ſi dulces liceat mihi ducere Muſas,
Non alias habitare domos, alioſue loquaci
Gurgite amem doctis potare liquoribus amnes.
Nec vos Telegoni colles, nec Tuſcula Tempe
Arguerim, veſtris hoſpes qui carmina lucis
Fuſa cano; quamquam nimbis tum fortè grauaret
Autumnum, & nubes violentior Auſter aquoſas.
Ergo littoreos non hæc portenta receſſus,
Non Italas habuere domos: populoſq. voraces
Hoſpitibus caſis non fœdauere cruores.
Longè alio diuerſa mari, dapibuſq. nefandis
Dira Thyeſtæas imitatur menſa Mycenas.
Non ego nunc Solymæ dicam feralia cœnæ
Fercula; cum mater, mater: quæ nominis huius
Monſtrum infame, atrox teneri lactentia nati
Toſta voraturis ingeſſit corpora malis.
Et potuit? proh dira fames, & Gorgonis ora.
Dulcia materno iungebat brachia collo
Paruulus arridens; oculis auerſa tuetur
Fœmina, iamq. fremens caros ſpe deuorat artus.

Ille

Ille ait, ò Mater. Fueram ſubit illa, nec ipſe
Natus ades; natum quæ bellua deuorat hoſtis?
Nec dum ego me (video) faciem mutata reliqui.
Sim tamen aut Tigris, vel ſanguine paſta Leæna:
Sæuior haud adſim, crudaue rapacior Vrſa.
Tu tamen, ò quicumq. venis, cur oſcula ludis?
Et tenera innexis moliris vincula palmis?
Incaſſum periture ligas. vincla omnia franget
Dura fames, quæ tela mouens te frangitur vno.
Me miſeram. puer infœlix cum pauerit artus
Iſte meos, quo deinde fames ſaturata peribit?
Nil ſupereſt. moriar? moriar, niſi victa recedat
Meme expleta fames, viuo niſi ſanguine viuam.
Ergo dapes mihi mēbra dabunt, neq. mēbra peribũt
In me iterum viuent, rurſumq. alimenta reponent
Et miſera æternum ducent ſine funere funus.
Interea mihi Nate peri. iuguloq. recondit
Tela ferox, hauſitq. ſuos aſperſa cruores.
Sit procul iſta lues, alienaq. ſydera turbet:
Braſilia & calido populorum ſanguine fauces
Fœdet inhumanas, atq. hoſtica deuoret ora.
Et gens illa quidem gaudens vitalibus auris
Ducit inoffenſos Cauri ſine murmure menſes.
Seu libeat ſyluis, & ſyluas irrigat humor:
Seu vernante ſolo, fontanaq. perſonat vnda.
Quin & arundineos, nectar cœleſte, liquores
Elicit, infuſumq. altis deſpumat ahenis,
Format & in dulces glaciali turbine metas.

Condit

Condit inauratas, eademq. argentea, venas:
Siue ſub aërijs natiuum rupibus aurum
Quà tegit, atq. oculis prædam ſeiungit auaris:
Seu quà pandit opes, nitidoq. celerrimus amnis
Aere metalliferas Argenteus implet arenas:
Fluxa Copaibis ſudant opobalſama plantis.
Cur tam læta ſolo facies? quid amœna locorum
Ingenia, immites durant in pectore ſenſus?
At non; lethiferas quæ parturit horrida taxos,
Et quæ nubiferis rigidas in montibus ornos
Terra, parit molles gemmanti ceſpite flores.
Sol, & amœnus ager pugnant ibi lenibus auris,
Vt mage natiuis dureſcant pectora ſaxis.
Pallet ad ora nigror, nudiſq. informia membris
Corpora ſquallor habet; veluti cantata ſuſurro
Theſſalicum magico rupere cadauera buſtum.
Non illis cura eſt populis ſolemnia Sacro
Thura, neq. auratis incendere balſama Lychnis:
Non tutas habitare vrbes, Muſiſq. receptis
Gymnade ſylueſtres facili dediſcere mores.
Nigra per incultos excurrunt agmina montes,
Indociles imitata feras, feſſiſq. viarum
Dant nemora hoſpitiũ, curuiſq. vmbracula ramis.
Ite alios ò monſtra virum diſcreta per orbes,
Et noſtris procul eſte plagis. quid tollere fœdos
Audetis, ſcelerumq. graues ad ſydera vultus,
Humano ſed corda negant manſueſcere cultu?
Atq. audire Deum cœlo ſacra iura ferentem?

Ipſe equidem quid longà morer? crudelia regna
Oblitus liquidas iterum do vela per vndas
Quà medios fluctus terrarum emenſus Vlyſſes?
Errabat pelago deducens Carbaſa Ductor
Iam ſcopulis ſubitura feris, vbi filia Solis
Circæos tenuit montes: vbi perfida Siren
Dulci venturos mentitur carmine riſus,
Oſſa ſuper paſcens artus ſemeſa cruentos.
Illa quidem (prudenſq. dolos ludebat Vlyſſes)
Huc age, clamabat, clariſſime ductor Achiuum
Dirige nauis iter: conuerte ſonoribus aures.
Blanda oculis Siren: fidibus facunda canoris:
Culta animis, pulchras animos ſimul edocet artes:
Et ventura canit, canit & quæcumq. per orbem
Innumera numerant gemino ſub cardine gentes.
Sic ait, at malo hærebat religatus Vlyſſes
Et ſocij nexis addebant vincula palmis
Ceratas obſtructi aures. Fraus ilicet omnis
Arte perit; vinciq. dolens tunc prima Sororum
Parthenope: Haud aliter (dixit) ſcopuloſa, Iuuentus
Saxa fuge, fraudeſq. malas, queis naufraga Virtus
Frangitur, inq. vndas immergitur hauſta voraces.
Vince fuga ſcelerum, fœdas atq. obijce caſses.
Dixit: & auertens oculos, cantuſq. cruenti
Execrata modos, pelago ſe immiſit aperto.
Littore tum reſidet, qua Mergillina virentes
Vitibus vmbroſis intexit & arbore colles.
Tum populos inter, ſedes Regina, beatos

Impo-

Impoſuit, nomenq. dedit. Quis fertilis oræ
Mœnia? quis Pontum referat criſpantibus auris?
Efficit vnda ſinum, Zephyris vbi longaq quietis
Regna manent: vbi ſe ſtatio molliſſima nautis
Pandit in Aeſtatem, tenui cùm flamine Solem
Aduocat occiduas labentem Veſper in vndas.
Cùm vaga Parthenope, curruq. inuecta volucri
Dicitur informes agitare ad littora Phocas
Nereidum media, & leuibus comitata Napeis
Ire coronatis tranquilla peri æquora cymbis.
Non ita pacatos licuit m hi currere fluctus,
Naſcentem ore Caper cùm duceret humidus annũ,
Et magis hyberno tepuiſſent frigore Baiæ.
Paruulus incertas, ſtagnis & linter Auernis
Cognatas relegebat aquas, Auſtrumq. ſonantem
Motus ad exiguæ cogebat lintea proræ.
Vnda fremit, ſpumatq. altis conuulſa procellis
Aduerſa ſe mole petens: ſeruetq. refuſum
Aequor, & immanes ad prœlia prouocat Euros,
Diues vt inuenti pelago ſit præda Phaſeli.
Hei mihi, dicebam, quales mihi cærula fluctus
Dira mouent! Salue ò ſeris mihi cognita votis
Terra, neq. ad Muſas mecum reditura ſecundas.
At non hic, cum fortè ſinus erraret in omnes,
Fluctibus errauit, claſſemq. immerſit Vlyſſes:
Iret & ò aliquis per noſtra pericula Vates.
Nam quid ego? dixem ipſe meos ſtridente labores
Ignotus Cithara, Citharam ni Pontus haberet

Secula venturi ſpiris redeuntibus æui
Vos ſaltem miſero quondam miſereſcite vati.
Forſitan, & veſtros potui mulcere nepotes,
Ni malè Campanos ſignarem funere portus.
Certè alios vitæ cecinit mihi præſcia fines
Mater, & in longos Nati ſpem diſtulit annos.
Nec potui meruiſſe mori. temeraſſe cruenta
Quis referat me ſacra manu? quis pocula ſuccis
Infecit nocitura meis? Quæue impia Diuos
Iurgia ſollicitant? Tamen ò ſi vota ſuperſunt,
Parcite, ſi merui, & primis concedite Muſis.
Eſt mihi, quòd ſperem dociles in carmina ſenſus:
Placarunt Superi fluctus, Zephyroq. vocanti
Euolat alnus aquis, portuſq. intrauit amicos.
Sic quoq. ab Aeoloÿs veniens lætiſſimus antris
Viſus erat portus Ithacus tenuiſſe paternos,
Conderet hircino clauſos cùm carcere ventos,
Solus & aëria Zephyrus regnaret in aula.
Inuidit fortuna viro, ſociÿq. malignis
Perrupere fores manibus, cùm forte ſedentem
Ducentemq. rates ſomnus cepiſſet Vlyſſem.
Heu miſeri, quæ cura Ducis, quæue impia lethi,
Celatiq. inſana fames vos corripit auri?
Dux referet, conſtricta manu qui flamina condit;
Quid verſare audet Miles? ruit ecce refractis
Agmen agens Eurus ventorum, ac nubila portis,
Et patriam rapit ex oculis, actoſq. procellis
Obruit. Heu noſtræ ſunt hæc diſcrimina ſortis,

Hoc

Hoc periiſſe malo Gentes iuuat. Ite profanas
Qui fertis per Sacra manus: quicumq. potentum
Iuſſa Patrum ſæuis aliena extinguitis armis,
Aut indefenſos circumdatis obiice ſontes.
Tu quoq. Saxonia iniuſtas deponere curas
Debueras diros opibus complexa Lutheros.
Maternas impune ferus, ferus ille Megœras
Inter & igniferos angues ſine, viuat amaros
Monſtra legens, ſeptuſq. hydris furialibus, annos.
Aut ſaltem viſat nexus Tyberina catenis
Mœnia tercentum, ſtructoſq merentibus ignes.
Non vltra tentare tuum eſt. quo turbine rerum
Saxones irato meditantur Principe bella?
Roma nec immanes potis eſt abolere colubras?
Diues ad occiduas reſidens Vormatia ripas
Obſtringit tumido venientem flumine Rhenum.
Carolus huc proceres iuſſit, Regniq. mouendis
Conſiliis properare Duces. Venere, potentes
Quos Rhenus, quos Iſter alit, quos perluit Albis.
Ille etiam bifidæ ſcrutatus ſibila linguæ
Cerbereum iubet ire caput, Patribuſq. coactis
Promere collectum per colla trifaucia virus.
Sæuus iter celerat, procerumq. ante ora vocatus:
Ille ego ſum, Cæſar, quem protinus (inquit) in omnes
Terrarum, cœliq. plagas, quem bella videbis
Iracunda Duces contra certare tonantes.
Haud obſtat, quod ſolus, egens, pullatus, inermis
Arma cano; Furiis eſt hoc penetrabile pectus

Et centumgeminæ defenditur ignibus Hydræ.
Iam pridem mihi cæſa iacet Pietaſq. Fideſq.
Et fruſtra Dominos defendit Roma Leones:
Tu quoq. ſi domitis frenos cupis addere terris,
Me ſequere.Infremuit Cæſar: tum verba ſequutus
Te ne, inquit, Dominum Tellus venerata regentē
Audiat? ò eunctis Erebi deuote Ceraſtis.
Ipſe ego te. Noſtris nec tu violabere pœnis?
Hoc etiam magnæ tibi deſuit Auſtria laudis,
Monſtra quod Herculeæ premeres naſcentia Lernæ,
Et ſuper eliſos curru veherere Dracones.
Dixerat. & ſecto rapiens iam Gorgona collo
Carolus Auſoniæ ſpolium immortale ſacraret.
Tu Federice vetas, tu claris Saxonas armis
Concilias, vallumq. tuo prætendis alumno.
Quin etiam parili certant defendere bello
Francones, arctois propiorq. Vueſtphalus vndis.
Proh ſcelus: effuſis rabies in corda venenis
Gliſcit atrox, ſubeunt peſtes, cædeſq. furorq.
Et colitur monſtrum infœlix? mediaſq. per vrbes
Fertur, & infernis aſſibilat ore Ceraſtis?
Iam Reges horrent populi: Iam ruſtica Martem
Turba fremit, vileſq. animæ fera bella minantur,
Excinduntq. aras, ſtratiſq. altaria templis,
Virgineaſq. domos fœda inuoluere ruina.
Nec tamen, inſano tantum Germauia motu
Si furit. oppoſitis aderit non Cantaber armis.
Ille animis, ille ore potens, ille ignibus actis
Arma

Arma ſuper, cingit delapſa Ignatius aſtra.
Et modo ab Hiſpanæ referens ſe Regibus aulæ
Virgineo vexilla capit Caſtiſſima Templo:
Monſtraq. ſydereis pereunt Germanica Signis.

COMETES ROMAE viſus III. Kal. Decemb. Anno MDCVIII.

X I.

STella Comam ducens, minitantis filia cœli
Luxit ad Eoas promiſſo vertice Libras,
Elatum crinita caput: cui purior Aether
Lumina, candentes cui Lucifer inuidet ignes.
Cernite gemmiferi qui picta per æquora Ponti
Littoreas Orientis opes, & diuite prædæ
Fertis Erythræo conchilia nata profundo:
Vos quoq. Cubanas diuerſi ad mœnia mundi
Lucentes quicumq. auro populatis arenas:
Aut Auſtri, Boreæq. domos aduerſa vomentes
Flamina, quiq. gelu terras habitatis inertes.
Omnibus vna patet, medium quæ Stella per orbem
Proxima ſigniferos percuſſit lumine cyclos.

Vos cauſas aperite, auido vos dicite Vati,
Vnde capillatum ſurgat? Quid cogitet Aſtrum?
Quas in nocte plagas habitet? quod crine ſuperbo
Sit fatale iubar? tantarum ſemina rerum
Ignorant, trepidaq. horrent ea ſydera Muſæ.
Tempus erat, refugo cùm tardas lumine noctes
Sol *vehit, & curua portantem vulnera cauda*
Sanguineoq. *fugit mordentem* Scorpion *aſtro,*
Iamq. ſagittifero trepidi Chirone iugales
In Noton auectos properant immergere currus,
Exiguumq. diem: geminoq adeunda recurſu
Pulſant venturi confinia prima Decembris.
Cum ſubitò ignotos accendere viſa per ignes
Stella *nouas elata iubas, ſubiectaq. longè*
Tollere per cœlum nitidos argentea vallos.
Ipſe ſuperpoſita veluti manantia cauda
Lumina, fontanoſq. globo radiante nitores
Euomit, & ſpiſſo verrit vaga ſydera villo.
Tum leuis heſperias crinem lotura ſub vndas
Nocturnum *maturat iter, Solemq. paternum*
Anteuolans, *rurſum Eoos reditura penates*
Stelliferum *vincit rapida vertigine vulgus.*
Ac velut æſtiuas noctis redeuntis in vmbras,
Ælia cùm Romæ reſcnat noua gaudia Moles,
Et parat arſuros incenſis nubibus imbres;
Machina marmoreas compactilis occupat arces,
Sulphureoſq. premit calamos, vteroq. morantes.
Mox vbi conceptos à tergo admiſerit ignes,
Emiſ-

Emiſſura faces, Matrem lacerantibus Angues
Flammiferi radijs, iaculiſq. euoluitur ardens,
Ac ſeſe in nubes aperit globus. ardua lucent
Spiculā, pallentemq. fugant crepitantia noctem.
Aut veluti latium Tyberim, ſeu Tuſcula propter
Mœnia floriferis è monte illapſa viretis,
Multiplices occulta tubos, & hiantia furtim
Spiramenta, ſui compreſſo murmure fontis
Lympha tenet: medio tum ſe Cratere latentem
Quà dirimit, multo Siphunculus ore loquaces
Eiaculatur aquas. liquidis emiſſa querelis
Exilit, & ſpiſſo laxatur in aëra nimbo,
Inde cadens, lapidi colliſa remurmurat vnda.
Talis erat lucis ſpecies: grauidoq. minantur
In cœlum iaculata ſinu, ſpatioq. ſoluta
Spicula: materno ſubter micat hiſpidus Orbis
Sydere, criſtatoq. faces vomit ore comantes.
Parua ſuper fugientis erat tum ſemita noctis:
Iamq. fores Aurora tuas, atq. alba diei
Atria turbatis moriens patefecerat aſtris.
Ipſe latet trepidus redituro Sole Cometes,
Naſcentiq. feros in lumine condidit ignes.
Poſtera Nox, toto vigiles vt prouida cœlo
Aſtrorum excubias, monſtrumq. immane timentes
Duceret, arctois Boream deduxerat oris.
Non unquam gelidas ſic ille ſerenior alas
In noctem Stellis equitans agitauit apertis.
Nec minus hybernos tectis excita paternis

Turba

Turba focos, vallemq. tuam Tyberine refugit,
Et Romæ attonito compleuerat agmine Colles.
Ianiculum celeres, celeres Tarpeia tenebant
Saxa viri, denſiſq. ſonant Capitolia turmis:
Et Vaticanos implent ſua murmura montes.
Sydera quiſq. manu, atq. oculis popularia ſignat,
Maioreſq. Duces: ſeu quos incerta vagantes
Semita, ſeu tremulo quos conniuentia crine
Ora notant, ſpatijſq. polus contorquet Eois.
Scilicet ardentes taciturno lumine linguas,
Stellarumq. ſonos, vocalis & ipſa Cometæ
Audiuere animis querulo cantamina cœlo.
Huc aduerte oculos, terras qui pronus inanes,
Labenteſq. oras, perituraq. reſpicis arua
Immemor aſtrorum; quæ nexa adamante perenni
Gaudia, manſuroſq. dies, & præmia condunt.
Aſpice, lucentes oculata volumina gemmas
Quas tibi perpetuò ſeruant: quos aurea flores
Texendis olim regio ſine fine coronis
Educat. huc aduerte animũ, quem terrea propter
Mœnia inexpletum, ſecura per otia paſcet
Immortale iubar, ſemperq. fruenda voluptas.
Nox tibi tanta aperit tacito ſpectacula mundo:
Quæ fuerint? maiora dies cùm lumina voluet,
Intimaq. abducto pandet penetralia velo?
Has adeo verſant animis, atq. ore volutant
Cordibus auditas per opaca ſilentia voces.
Ecce autem liquido extremos Oriente capillos

Pau-

Paulatim attollens, crinemq. arrecta niualem
Stella ſequebatur; radios videre vomentem,
Denſatiſq. iubis lucem tremuere minantem.
Continuò:Feralis adeſt, viden? ora Cómetes
Quãtùm aperit, placidiſq. minax ſeponitur aſtris?
(Clamabant) ſic ille nitet? ſic ille coruſcis
Obtexit frontem iaculis? tunè Heſperus Orbis,
Dire ſecuturum reuocabis ab æquore Solem?
Vnde immane iubar populis? quæ triſtia mundo
Spicula mortis alit? ſubitos cur arſit ad æſtus?
O pereas,caput infœlix quicumq. coactis
Peſtibus, aut bello, aut magnis terroribus ornas.
Nec minus audentes mirantur ſyderis ignes
Candida promiſſæ dum creſcere ſyrmata caudæ
Et tantùm cœlo extenſos videre nitores:
Quantùm Signiferi ſpatijs, curuataq. flexu,
Finibus, obliquo tenduntur ſigna, duobus.
Cauſa latet, magniq petunt exordia facti.
Ipſe canam, fictis placeant modò vera Camœnis.
Principiò tellus Phœbo tepefacta calenti
Exhalat tenues nebulas, gremioq. ſoluta
Sicca vaporiferis euoluit pabula fumis:
Et miſſa è lymphis pariter venere marinis.
Humidus irrorat cœlo vapor: aridus ignes
Colligit.ille niues, pluuiaſq. & grandinis iras:
Fulminis hic flammas, flammiſq. tonitrua paſcit.
Sæpe etiam expirat,cœloq. leuiſſimus exit
Halitus. Ille calens ſecumq.oleagina portans

Nutri-

Nutrimenta, viam celerat: quem ſumma petentē
Sol & inaſpectis adducunt ſydera vinclis.
Illi non validæ nubes, non caſtra coacti
Frigoris, aut gelido pendentia turbine tela
Obſiſtunt: ſuperat victor ſpirabilis oram
Ætheris, & liquidis firmat veſtigia campis.
Hic ſeu finitimos incendia ſumit ad ignes:
Seu raptus, raptuq. auidos agitante calores,
Inuehitur præceps, celeriq. retorridus orbe
Æſtuat, & ſubitis effundit lumina flammis.
Sic teretes cœlo Clypeos, & longà minantes
Coniferas ardere Faces: lucentibus auris
Sic celeri Bolides videas excurrere telo.
Iam tenebras vincit Lampas: iam Dolia fulgent:
Iam malè nitentes aſcendunt nubila Capræ:
Et procul horrificant accenſi terga Dracones:
Tendunturq. Trabes, aut miſſilis igne refigit
Lancea. iam nubes, cœlumq. Euriq. dehiſcunt,
Cum recluſa patent, ruptaq. voragine flammas
Viſa per ardentem diſcindere Chaſmata noctem.
Ante omnes dira metuendis luce Cometis
It facies, formas varioſq. imbuta colores.
Plumbeus his color eſt: color aureus; albidus Aſtri
Celat, ſanguineus rutilantes explicat iras:
Mitior hunc terris regalem purpura veſtit:
Cærulus hic, varioq. ardet mihi diſcolor igne:
Ille Dionæos argenti oſtendit amores.
Tum facies non vna rubet, ſeu crinibus orbem
Ambit,

Ambit, & intortos rapitur circundata cirros :
Flammea ſeu tollunt ferientem Cornua frontem:
Atq. Faſim ſuper extantes arſere Columnæ:
Lurida promiſſis ſqualet Pogonia barbis:
Electro ſimiles imitabitur altera Diſcos :
Altera Fax ceruice iubas agitabit Equinas:
Ocyor excuſſis iaculatur Acontia telis .
At Xiphiam gladij mucrone inſpicat acuto,
Pallidus & radijs cedentibus inficit horror.
Talis erat furijs rabides quæ nuper aquoſis
Impleuit terrore Notos; dum pallor aduſtæ
Iret in aduerſam tranſuerſus acinacis Hydram :
Lubrica ſed ſpiris multoq. armata veneno
Excuſſit ferale iubar : ferus horruit ardor
Stridentem, vaſtoq. ſuper Cratere minantem.
Quid dicam, longos altè collecta capillos
Quæ modò villoſæ producens hiſpida caudæ
Lumina, ſubiectum ſuſpendit ab Æthere ſydus ?
Tu potes horrificos terris auerſa nitores
Diſcretis aperire comis, quòd ſpiritus ardens
Arua ſecat longis veluti cœleſtia ramis :
Et quà rarus hebet, vires quà denſior auget ;
At ſubter concretus agens, & pabula pinguis
Lenta vapor validum circumſtipauit in orbem:
Hoc alitur ſydus : creſcit coma laxior illo ;
Et quondam pauidis nimium protenditur aſtris,
Quòd picco exundant iterum ſuffimina viſco,
Aëraq. ad ſummum magis exhalata reſurgunt

Hæc.

Hæc olim veteri clamantum effuſa Lyceo
Impleuere aures; ſed enim maioribus auſis
Sydera per noctem quicumq. meantia, certo
Suſpiciunt radio, numeriſq. Oriona ſignant
Deſcriptis diuerſa notant effata figuris,
Et noua materno gratantur lumina cœlo.
Siue quòd aſtrorum, verſata volumine, leges,
Æternas, ſeruatq. vices, atq. æmula curſu
Fixum Stella iubar radijs properantibus æquat;
Siue quòd è patrio ſurgens Oriente Cometes
Spectatur, tenditq. moras, repetitq. diurno
Æquora circuitu: magnis ceu paſſibus implent
Aſtra quater ſenas ſpatijs cœleſtibus horas;
Non alia æternos Conſtantia poſſidet orbes.
Siue quòd aſpectus diuerſa reducit in aſtra
Depreſſum quodcumq. iacet, proiectaq. vultu
Linea, quæ medias interſecat aëre flammas,
Stellarum fixos petit vltrà ductilis ignes
Nunc alios, alios: geminumq. à fronte notabit.
Gallica Pollucem, calidos dabit Itala Cancros.
At modo cingentem lumen crinale Cometem
Vidimus, atq. vnà magnum videre per orbem
Altè immutatis aſtrorum incedere ſignis.
Ergo ardens, cœlumq. nouis habitabile flammis,
Denſatum, vt perhibent, in formas ſæpe globoſas
Cogitur, aſtrorumq. faces. Tuq. ipſe cruento
Horribilem celas vultum qui ſydere Mauors
Erigones ceruice ſedens: tuq. aurea Solis

Limina,

Limina, ui circum fugitiuo callidus aſtro
Fallere ſydereas adeuas Cyllenie Lances,
Materiei commiſſam operi, fœcundaq. lucis
Semina mutiſtis, cum penè aduerſa frementis
Ore vorax aperet Saturnus lumina Tauri.
Tum ſtetit erectam in faciem flammandus adulto
Ori globus: traxitq. iubar, nam luce ſequenti
Sol aderat: crinemq. ac tela comantia fudit,
Vibrat Theſſalicas nam Sol in terga ſagittas
Inferior, retroq. ferit. Sic ille refractos
Concepit radios, rurſumq. per aſtra refudit.
Tum fugiens celerat ſeptemq. immane Trionum
Sponte quatit gelido moriturus frigore limen.
Longum iter, at teneris etiam ſuperabile Muſis.
Eſt locus, antiquas medio ſub limite Libras
Quà Chelis, caudaq. minax tamen impulit ore
Scorpius. aſtra notant librato examine Lances.
Hic procedenti veniens dat nomina ſigno:
Tum rectos obliqua ſecans, immotaq. nexu
Magna Æquatores Ecliptica percutit arcus.
Stat ſuper Arcadius claro pulcherrimus aſtro;
Et cuſtos agit excubias, ne fortè ſub vndis
Lota Lycaoniæ fax purior ardeat Vrſæ,
Feſſaq. iam curſu reſupinat plauſtra Bootes.
Læua tenet, longis auerſaq. paſſibus Arctos
Fulgentem currum longo temone reducit.
Proximus huic ſpiris glacialem lubricus orbem
Anguis habet, diraq. accendit ſydera caudæ,
Frigi-

Frigida quà tardo conuertitur orbita cœl.
Ergo vbi nat ales infecit lumine Libras,
Ac miſeram curuo tremefecit crine Com[et]es
Erigonem, manibuſq. comam pedibuſq. [m]inacem
Aduoluit; longis ſubitò conuerſa capilli[s]
Terruit. Arcturum, radijſq. infixit acu[t]is
Stella ferox, rectaq. means altiſſima c[a]uda,
Donec in extremo poſuit veſtigia dorſo
Elabenſq. humeris pereuntem in luce reliquit.
Viderat arctoo venientem è cardine longè,
Fugiſſetq. Helice, prohibent ſed tarda rigenti
Plauſtra gelu, ſemperq. atros nix fuſa per annos.
Iamq. prope ardentem, iam ſenſerat axis euntem,
Eſſedaq. ignotos paulùm traxere calores,
Stella fugit, claroq. ſuper temone reluxit,
Stringitur extremo quà zona nouiſſima mundo.
Ecce flagellantem reuolutæ verbere caudæ,
Cuſtodemq. loci maculoſaq. ſydere terga
Contrà attollentem peritura exhorruit Anguem,
Diriguitq. metu: lapſis inhonora capillis
Concidit, & ſuperas euanida deſerit auras.
Nota ſit illa dies, naſcentis origine Iani,
Candida inaſſueto quæ lumine ſoluit Olympum,
Atq. annum ſecura tulit. tu fauſta ſerenis
Tempora, tu brumam tranquillas læta diebus,
Annua nec metuit Capricorni nubila Phœbus.
Quamquam ò, nè claris abeat iam ſolibus humor,
Et nimis auectos tellus gemat arida ſuccos.

Sæpe

Sæpe malus ſteriles mortalibus inchoat annos,
Ventorumque minas, irataque flabra Cometes.
Vos tamen incaſſum qui coelo audiſtis ab alto
Saturni cum Sole faces, Martiſq. loquentes,
(Tanta ſedet fallax veſanæ audacia menti)
Semina quæ paſſim morbis, quæ triſtia terris
Funera iactaſtis? ludumq. agitatis inanem?
Tertius arctoæ pedibus ſubiecerit Vrſæ
Exiguo crines inglorius igne Cometes:
Sanguineas in nocte Cruces, in nocte volantes
Senſerit ire faces, ſanctiſq. ardere figuris
Iam bello teſtata ſuas Germania flammas;
Nil vltrà tentaſſe datur, fœlicius ibunt,
Proſperaq. infeſtos requieſcent tempora motus:
Pax iterum vultu populos afflabit amico.
Quòd ſi orbem manet arcanas expendere pœnas,
At manet infandos ſcelerum, qui dira profanis
Sacra nouant templis, ſtygioſq. altaribus ignes.
Illis iuſta ferunt Eoæ incendia Libræ,
Quos ſcelerata ſacris longe diſterminat Eos;
Et iam præterito viderunt ſæcula curſu.
Dum Libras Crinita grauat, dum luce Bootem,
Anguem inter medium geminas dii percutit Vrſas:
Tum bello exundans Othomanæ cornua Lunæ
Impulit Armenius, Lunaq. repulſus Araxes,
Mutuaq. aduerſæ gemuerunt ſtrata ruina.

CONVENTVS PLANETARVM in ſigno Leonis. Anno 1623.

SI *quid ab æſtiuo meditantur Sydera coelo,*
Ardenti cum Sole nouos ineuntia curſus,
Verte precor noſtris componens gaudia votis
Alma parens rerum, ſtabili Sapientia nodo
Æthera quæ flammis committis, & æquora terris,
Pendentemq. ſuo libras in pondere mundum.
Non ſatis eſt calidis, quòd cincta vaporibus æſtas
Flagrantem incendit Nemeæo Sydere Romam,
Puluereuſq. Tybris ſitientibus æſtuat vndis?
Cur noua conueniunt vetitis feruoribus aſtra,
Dilectas oblita domos? cœtuq. maligno
Intempeſtiuos agitant diſcordia motus?
Ecce per emenſi venientes Oſtia Cancri
Stellarum errantes Phœbo cum Principe Reges
Flammifera infeſti clauſtra irrupere Leonis,
Saturnuſq. minax, & multo lucidus auro
Iuppiter, & varios agitans Cyllenius axes,
Atq. ſuos iterum Phœbe reuoluta per ortus.
Quin & Acidalios quæ cornibus armat Olores
Venit ad Erigonem, & noctis Venus excitat ignes.
Ipſe autem Auguſtos medius qui temperat axes
Sol, aliam cœlo non ire potentior arcem
Fertur, & obliquum ſignis trepidantibus Orbem,

Quam

Quam cùm terrificos egit ſub frena Leones,
Inceditq. Feris calidum flagrantibus annum.
Quamquam Roma tuas non deuia frigora valles
Æſtiuam in noctem repetunt, vbi clara diurno
Sirius anteuolans Solis prait Eſſeda curſu,
Et lucem inſanis rabidus feruoribus auget.
Sed tamen inſuetos agitent ſi fortè calores
Aſtriferi proceres, ſi fortè nitentia cœlo
Concilia efflabunt facibus feruentibus ignes:
Tu meliora tuis iam Roma effulgere votis
Signa vides, populis, & ciuibus æqua ſecundis.
Quis neſcit? validas audent ſi iungere vires
Saturnuſq. ſenex & flauo Regius ore
Iuppiter, arcano rerum dare ſemina motu?
Tardior ille gradu liuentes plumbeus artus
Prægrauat, & raro veſtigia limine ſignat:
Atq. immanè rotans curuatam à vertice falcem
Firmat ſtellifera vix membra ſenilia virga.
Idem impacatę ſi turbidus excutit aſtro
Cæſariem, & puros Phœbi malus inficit ignes,
Horridus ardentes ſeu decidit imber in æſtus,
Aut tonitru montes, aut grandine verberat vuas,
Aut pigra Phæbeis commiſcet frigora flammis.
Iuppiter at roſeo ſe pulchrior explicat oſtro,
Auriferamq trahens Regali ſyrmate pallam
Inuehitur ſceptro inſignis, tripliciſq. corona
Stellifluum diadema gerit. venerantur euntem
Sydera, & auguſtum celebrant popularia Regem,

Et conniuenti declinant lumina vultu.
Ipſe ſatellitio, & ſolio viſendus ab alto
Certatim in terras fortunatiſſima lucis
Munera, fœcundas ſegetes, Lunasq. ſerenas,
Plenas veris opes, æſtiuas ſufficit auras.
Ergo vbi conueniunt canis ille obſitus annis,
Hic auro, ſceptroq. potens, tum vertere ſecum
Arcanis elementa modis, & plurima terris
Accipiunt, redduntq. bonis alimenta futuris.
Quippe quod infeſto ſenior gelidiſſimus ore
Spirabat rigidæq. hyemis, tumidiq. furoris,
Purpurei Iouis ora fugant, placidumq. ſerenant,
At Mauors aliјs inglorius exulat aruis;
Solus ad algentis deuexa cubilia Capri
Temperat Auſtrinos ignaua per otia nimbos;
Interea Maiæ genitus ſequiturq. colitq.
Amplexuſq. Iouem, Saturnum in bella fatigat.
Ille minor ſocijs, vario ſed diſcolor aſtro,
Factus ad externas leges, alienaq. furtim
Lumina, nunc mentitus auũ, nunc caſſide Mauors
Nunc ſe vicino format Ioue. Scilicet annum
Tu quoq. ſoſpitibus radijs, vultuq. ſecundo
Cum genitore iuuas. Aderit ſed maximus vnà,
Ipſe ſuper Nemeo veniens cum ſydere Phœbus,
Miſcebitq. faces, ingenti ac feruidus æſtu
Syderis aduerſi vires torrebit iniquas,
Exuat vt triſtes per adacta incendia ſenſus.
Iam procul arctois Aquilo requietus in antris

Fla-

Flamina veliferis diſſoluet Eteſia pennis ,
Mitiaq. in tardos immittet frigora menſes ;
Non ita bis ſenos retro numeramus in annos ,
Regia cum ſimiles tenuerunt Sydera curſus.
Tunc quoq. torrentis cepere altiſſima Cancri
Tecta Iouem, terris & agentem incendia Martem ,
Vicinoq. magis cum Sole recanduit æſtas .
Nox adeo nimium calidis flagrauerat vmbris,
Mutaq. ad ardentem caluere ſilentia Lunam .
Arida fumoſi ſtabant fænilia tecti ,
Prima vbi Flaminio Romæ trans moenia Circo
Longa ſuburbanos celebrauerat area ludos ,
Et circum poſitos tenuere ſedilia Ciues .
Hic primum obſcuras noctis flagrantis in horas
Sponte ſua calamis hæſere ardentibus æſtus .
Et natis ſtipulæ dederunt & pinguia culmi
Nutrimenta focis . Subito populatur agreſtes
Ignis opes, Coeloq. vndans, longeq. ſonanti
Altior incendit flagrantes vortice nubes ,
Caudice quin ſecto, ſyluiſq. aduecta Sabellis
Robora, quæ tectis opifex claudebat acernis,
Ignis edax paſcit . Iam lapſo incendia muro
Ire ſuperductis vicina palatia flammis ,
Tectorumq. hominumq. altas geminare ruinas.
Scilicet vt miſeræ poſt fœda incendia noctis
Tu ſuper extructis elato culmine Templis
Carole compoſitas Latio colerere per aras ,
Et tibi perpetuos Tyberis ſacraret honores.

TEMPLVM SANCTI PETRI in Vaticano.

EXtremū mihi carmē eris, tenueſq. camœnas
Petre moues. tua Tēpla cano, quæ proxima Ty
Stant Vaticanis æterno marmore cāpis. (bri
Huc ades ò voces audire ac vota precantum,
Clauiger aſtrorum, placidoq. per omnia vultu
Spectare impoſitas Romano vertice moles.
Crediderim ſimili quondam faſtigia templo
Erexiſſe tibi cœlum trans aurea Phoebi
Limina, cùm laceros perfuſus ſanguine vultus,
Suffixuſq. ſacros trabibus pendentibus artus
Crudam funereo ſacraſti è culmine Romam,
Victoriq, nouos Superi ſtatuere Triumphos.
Tanta patet Templi facies, tam proxima lambit
Sydera: inaurati tantum laquearia tecti,
Tranſq. Notos medijs ingens tholus emicat aſtris.
Hic honor, hic magni ſedes venerata ſepulchri,
Vnde regas dominos propiori Numine Patres,
Et tueare Italos: gemmanti conditus vrna
Collectis late populis vnde alta refundas
Munera. conueniunt vtroq. ab littore gentes
Et pauidæ ante tuos gaudent procumbere poſtes:
Tuque afflas coeleſtem animam, tu gaudia cordi.
Interea ſcelerum maculas, probriq. vetuſtum

Purgat

Purgat Roma nefas; ſæui cauea ampla Neronis
Namq. ibi certantes ludo ſpectauerat axes,
Et Regem Eleas imitantem puluere palmas.
Quæ tum Roma fuit? volitanti Cæſare currum,
Et Dominum mappis inhiantem, & lora tenentem
Vidit atrox. ille in noctes agitare iugales
Quadrijugos: ille aut magno certamina Circo,
Aut Vaticanis curſu repetebat in hortis.
Heu virtus, heu priſca fides. auriga regendum
Quid gerit imperijs orbem? quid regnat Oreſtes?
Alectoq feros vultu ſimulata Nerones?
Tybri tuis fuerant ſpargenda piamina ripis,
Et furiale malum, totoque infecta veneno
Peſtis ſydereos olim remouenda per ignes.
Tempus inauratos fuerat decurrere menſes,
Et diras ſcelerum regnato auertere mundo.
Iam Conſtantinus veteres luſtralibus vndis
Exuerat labes, ſcabieq. horrentia membra,
Auguſtumq caput cœleſti è fonte receptis
Emundarat aquis; ſtabili tum limine templa
Imponit, ſtatuitq. aras, animumq. ſacrauit.
Et iam Romana redimitus tempora mithra,
Veſtibus & niueis Sylueſter cinctus, & auro
Ibat, & egeſtis ſcrobibus pia ſaxa locabat.
Cæſar adeſt, gaudetq. oneri ſupponere dextram.
Incumbunt operi interea numeroſa Quiritum
Agmina, & erectis firmant faſtigia muris.
Vidiſſes rigidos vectari in marmore montes,

Et pelago aduectas terris adnare columnas,
Immanemq. actis trabibus decurrere Syluam .
Quinq. adeo ſpatijs totidem diſcreuerat alas
Machina ; diſparibus ſteterunt innixa columnis
Hinc, atq. hinc magni non æqua Pteromata Tēpli.
In ſummo tranſuerſa patet , diductaq. moles
Brachia protendit, ſeſeque in fronte coronat ,
Extremoſq. caua claudit teſtudine fines .
Longior in geminas quà ſcinditur area partes,
Ara nitens gemmis, ſolidoq. inſternitur auro .
Huc *veniens Pater auguſto cum Cæſare Præſul,*
Procubuit, votumq. dedit: Coelo inquit ab alto
Aſpicis huc Præſes terris, datus Arbiter aſtris
Petre ? tuos vbi componit Romanus honores
Cæſar, & extinguit ſtygios altaribus ignes.
Veniſti quondam ad ſæuos inuicte Nerones ,
Duraq. lethiferas ſuſpendit Roma Cupreſſos:
Viciſti tamen, & merito deuota parenti
Roma parat ſedes, floreſq. & thura reponit.
Captiua heu domitrix terrarum, auctorq. regendi,
Iuſtitiæq. parens ſtygio deuincta Draconi
Moeruit infoelix ; at tu qua ſydera dextra
Frenabas , qua nigra dabas ſub Tartara leges ,
Seruitio miſeram ſoluiſti; ereptaq. vinclis
Rite regit terras, regitur quæ libera coelo,
Vindicis ac magni dono teſtatur amores.
Ipſe ſuam Cæſar ſubmittit Flauius vrbem
Iam melior, memoranſq. acies, deiectaq. caſtra
Anxi-

Auxilio diuum, & fractos ſine marte Tyrannos.
Templa locat, poſitiſq. ardens cor deuouet aris.
Tu modo templa tuis inuiſe perennia ſacris,
Æternumq. habita, neu deleat hoſticus ignis,
Neu tempus, neu flamma voret: rediuiua reſurgāt
Limina, ſi quando ferrum, ſeu longa vetuſtas
Diruet: hinc domitum fundas tua iura per Orbem.
Huc & ab extremo veniens ignota profundo,
Aut gens ſi qua iacet gelidi ſub cardine mundi
Procidat ante ſacros defigens oſcula poſtes,
Pacatiſq. ferens coeleſtia munera Diuis
Acceleret, donumq. tuas componat ad aras.

Sic ait, ingeminas humiles plaudente Senatu
Conſtantine preces, & vota nouiſſima ſoluis.
Euenere, fuit Superis ſpectabile Templum,
Sydereumq. caput coelo intulit: altius Vrbem
Nec videt, aut tanto celebrauit nomine Tybris;
Ille licet veterum memoret delubra Deorum,
Et Capitolino defixa altaria ſaxo.

Ergo non illud Reges, non Barbarus hoſtis,
Non auſi temerare, truci qui bella ferebant,
Excidium, ſtragemq. manu. cecidere furores
Et Vaticani tremuere ſacraria montis.
Tu prior arctoo labentem fulmine Romam
Qui ferus irrumpis Geticis Alarice cateruis,
Non hac Romuleo temeraſti ſanguine tecta.
Iamq. metus, flammaq. volant, perq. atria ciuis,
Perq. fora, & terni quondam ſpatia ampla Theatri

Cadi-

Cæditur. infrendet mors cincta horroribus atris,
Terroreſq. minax, luctuſq. effundit, & ignes.
At Petri quicumq. fuga ſub limen inermis
Venerat, & ſanctis complexus adhæſerat aris;
Illum non Regis rabies, non barbarus enſis
Perdidit: immani non diſſita colla ſecuri,
Aut captiua dedit ferratis corpora vinclis,
Et mox Sarmaticos miſerùm viſura Triumphos.
Quod delubra Iouis, caſuri ac Templa Quirini,
Quod non ignifera ſecreta cubilia Veſtæ,
Non Mauors, non Phœbe dabas, non Ægide Pallas.
Proh cuſtos Diuum pietas, proh dextera vindex.
Queis Latium ſcelerata focis libauerat exta,
Cæſa palatino cecidit quibus hoſtia ferro,
Ciuiles aris exundauere cruores.
At Petrus arcano ſua cluſit numine Templa,
Regis & inſani manſueſcere corda docebat:
Limine ſanguineas componit Barbarus iras.
Hic vbi victoreſq. Duces, atq. hoſtibus actis
Procubuere acies: durarunt fixa decoris
Et ſpolia, & laurus, aggeſtaq. poſtibus arma.
Hic quoq. Cæſareas commutauere coronas
Regnaq. Romanos duxerunt Celtica faſces.
Quippe Hunni populos, dominataq. Vandalus arua
Atq. vrbes Italas getico ſub Rege premebat:
Italia vltores vocat in certamina Gallos.
Magnus adeſt, pauidumq. premit iã Carolus hoſtẽ.
Illum Arari è patrio ſtiparunt mille ſequuti

Signa

Signa Duces, floreſq. nitent Alpina niuales
Per iuga. Pugnatur toto iam turbine belli
Comminus, & campos Scythica impleuere ruina
Ille coronatis ramo viridante maniplis
Non, vt Romanus quondam Capitolia Conſul,
Aſcendit; conuertit equos, trabeataq. victor
Agmina. ſuccedunt domiti longo ordine Reges,
Et Vaticanos implent ſpectacula montes.
Tum Pater Auſonius ſacris de more litatis
Ingenti qua Regna manu, qua regia verſat
Culmina, ſubnixum genibus, pedibuſq ferentem
Oſcula Romanis inſignem tollit habenis:
Roma reuertentes ſpectas Oriente coronas.
Quin etiam exactis poſt addita ſecula ſeclis,
Et magno annorum reuoluta exordia lapſu,
Roma opifex iterum labentis culmina molis
Compoſuit. non illa, ſuo velut igne renaſcens
Phœnicem ſimilis Phœnix, cineriq. ſuperſtes
Plaudit agens pennas & eaſdem concolor alas,
Inſtitit antiquos fines, formamq. priorem
Dedignata nouo tenuit veſtigia ſaxo;
Primaq. Ruuereos celebrauit machina Patres.
Stabat adhuc caſtris, fortiſq. ardentia Roma
Et pius, & fortis tractabat Iulius arma.
Ille tamen Diuum, & caræ non immemor Vrbis,
Templa iterum rediuiua locat, molemq. futuram
Senenſis mouet arte faber; qua nulla per orbem
Siue ætas ſpectaſſe prior, ſeu poſtera ſeris

Maio-

Te quoq. adhuc magno meditantem dona ſepulchro
Æternat Pietas, meritoſq. miniſtrat honores.
Proxima tum ſummo locat H miſphoeria coelo
Sixtus, & effulgent aris Clementibus aſtra.
Hi quantum ſuffoſa Paros, Tiburq. ſupinis
Rupibus: aut Aſiæ, Libyæq. è littore Tybris
Quot niuea, & pictis lucentia marmora venis
Vexerat, impoſuere adytis. Regalia credas
Æthereis fabricata plagis habitacula Diuum
Non alios ſeruare modos, ſuperoſq. per orbes
Sic Templa æterno veſtiri adamantina ſaxo:
Et cœlum in noctem ſimili ſpirare metallo,
Fornicis elatum ceu lumina verberat aurum.

Deerat adhuc par forma loco, deſectaq plorat
Machina. nulla dies ſeros viſura Nepotes
Summa operis ſpectaſſe olim faſtigia, nec ſe
Iactabit tectorum apices vidiſſe ſupremos:
Sic teneris mater nato referebat ab annis
Paule tuo, longum quod non ſperaſſet in æuum,
Roma reſeruabat ſignandum nomine Templum.
Ipſe iubes iuſtis componi partibus ædem,
Et vacua integris decurrere corpora muris:
Marmoreæ aſſurgunt duplicato margine pilæ,
Senaq. conuexos ſinuatur cella per arcus:
Quæq. ſuo contenta tholo; niſu victa fatiſcat,
Tiburtina graues attollunt ſaxa columnas:
Hinc opulenta patent medio ſacraria Templo,
Hinc miſcere modos, plenoq. choreumata cantu

Atq.

Atq. implere licet ſecretam vocibus aulam.
Panditur ante fores, magniq. ante oſtia Templi
Porticus, inſerto quæ circum plurima ſaxo
Candicat, & vaſta obfirmant latera ardua Turres
Tum ſuper effulget camerati marmoris aurum,
Cognatoq. ſimul viuunt in fornice vultus.
Quinq. aditus, totidem Templo ſtant ordine portæ:
Limina bidenæ circum obſedere columnæ.
Nec cunctis eadem facies. his vnda tumeſcit
Cærulea: his tenui diſtinguitur area gyro,
His maculoſa lapis gaudet diſtinguere terga.
Inde vbi ſe toto frons candida marmore veſtit,
Tiburis octonas maiori mole columnas
Format ebur, vaſtiq. ſuper faſtigia templi.
Stant medio, immenſis & cancellata feneſtris
Pulpita Romanas ornantem fronte coronas
Luſtrantemq. manu populos, ſuperoſq. cientem
Vrbanum attollunt: ingens vbi vindice dextra
Funereas gerit ille faces, atque agmina ſanctis
Heu ſtygios ſubitura lacus diſterminat aris.
Audiuere procul ſonitum, Diraq. tremiſcunt,
Expediuntq. ignes, & auaro vincula nexu
Iungunt crinales perituris ſontibus hydros.
At Pater vltrices demiſit in aëra flammas:
Stipantur late populi, ceraſq. nigrantes,
Et manibus puras iactant tetigiſſe fauillas.
Nec minus & latis quà proiectura coronis
Alba nitet; niueam cingens altiſſima frontem,

Signa inſculpta vide operi, ſanctumq. ſenatum,
Cuſtodeſq. loci Diuorum in marmore formas.
Iamq. ſatis magnos abſumi à culmine montes
Et iuga naſcentes lapidoſa reponere cautes
Vidimus, ac bibulæ rubros telluris aceruos
Igne liquefactis miſtos ſubſidere ſaxis.
Sat rupes labor artificum, ferroq. reciſos
Exuere ſcopulos, aut informare figuris
Aut aptare loco decertauere politos
Et nexos rigido lapides ſuſpendere muro.
Perfectis aderis Præſes modo maxime Templis,
Atq. etiam magnis Patrum dignabere donis.
Tu quoq. tunc aderas populis cum ſacra coactis
Impulit argento muralem dextera portam,
Rupit & obſtructos Vrbanus limine poſtes.
Lux aderat, qua clauſa potens vt panderet aſtra
Et mortale genus patrios reuocaret in orbes,
Ipſe Deus ruptis cæli deſcenderat aruis.
Tu foelix Vrbane fores, coeleſtibus oris
Quas ſibi mens iterum, & ſcelus illatabile cordis
Clauſerat, vt reſeres, aperis labentia Portæ
Clauſtra Pater, motuſq. vnà laxatur Olympus;
Obſeruant Superi, & mortalibus aſtra recludunt.
Gratia Sydereas iam tum delapſa per arces
Venerat, vt ſanctos ſignaret candida ſoles,
Ipſaq. luſtralem terris educeret Annum;
Virtutumq. chorus ſocias admouerat alas,
Pura Fides, Spes alma boni, maiorq. videri

Rex

Rex amor, & Pietas, dilectaq. templa vaporans
Relligio ; inceditq. Dolor, non pulchrior vnquam
Interfuſa gerens lachrymis gemmantibus ora,
Lætitiæq. vnà, atq. animæ gaudentis Honores.
Ille prior tenuit limen venerabile cœtus,
Inuectumq. Patrem ſolio in delubra recepit.
Hinc Famam ſine fine tubas reſonare loquaces
Iuſſit, & immenſum tranſmittere curſibus orbem,
Et diuina omnes reuocare ad munera ciues.
Audijt & ſi quem vaſtos America per agros,
Si quem flammifero tellus alit Indica Sole,
Si quem concretus nimbis, cœloq. profundo
Axis habet. Sed vos quocumq. è littore gentes
Huc animos potius faciles, huc vertite curas,
Quam quæ veſtra agitant ſtudiũ per inutile corda.
Nam quis iter flectit, peregrinus vt æquore merces,
Et valido metuens Aquilone pericula ducat?
Prælia quæ tardent miſeros habitura cruores?
Ancipiti quis Marte labor? ſecura paraſti
Gaudia, Petre tuis & inundant munera templis.

Finis Secundi Libri.

Dice-

CARMINVM
Liber Tertius.

TVSCVLANVM ALDOBRANDINVM.

AD PETRVM Card. Aldobrand.

Dicebam, ò Princeps: Vocalibus incita pennis
Fama quod in populos nunciat, auget opus.
Et magis ambigua mentitur garrula lingua,
Quo magis ignotas tentat inire vias.
Me tamen (Hetruſco vitium ne conijce Vati)
Luſit inaſpecti Fama ſecunda Soli.
Eſſe tibi nemorum Colles, & Tuſcula Tempe,
Et grande audieram cingere tecta decus.
Quæ vidi? quæ Rura oculis auguſta relegi?
Quæue animos puro flumine Lympha rapit?

Digna cani ſylua eſt: ſyluæ moderator Apollo
At fuerat numeris illa canenda tuis.
Tu liquidi formoſa tenes Conclauia cantus,
Ducis *& vndoſos ad tua verba* Notos.
Carmen & hoc auidis poteras indicere Muſis,
Quæ ſimul auriferas perſonuere domos.
Quod ſi te ſuperat, ſuperat ſi Villa *Camœnas*
Tuſcula: *quis pariles concinat ore modos?*
Ipſe *tuus poſuit qui tot miracula* Princeps,
Sentiet *Aoniæ carmen abeſſe* Lyræ;
Et doleat mutas tenuiſſe ſilentia Muſas,
Atque parem donis non habuiſſe fidem.
Tu tamen Auſonij Petre ò lux magna Senatus
Auxilijs melior, quod negat ille feres.
Ipſe equidem tenues agitans in carmina neruos
Collibus haud poſſim dicere digna tuis.
Si tamen ipſe reges, nec dedignabere Carmen,
Non impar magnis viribus ibit opus.
Mœnia tranſieram montoſæ Tuſcula terræ,
Molliter accliuis quà tumet ora viæ.
Ecce loquax inter lucos ſonat vnda ſilentes:
Surgit frondifero regia colle Domus.
Siſte *comes, dixi; Domini iam Villa potentis*
Aldobrandino cernitur alta iugo.
Ingrediar, relegamque oculis, fœlicibus hortis
Mons *quæ fœcundo gignit adulta ſolo.*

Prima

Prima Villæ facies.

Maieſtas proh quanta loci! proh mitibus auris
Quanta colit virides Gratia iuncta ſinus!
Stat longe ſyluoſus apex, conuexaq. montis
Crinibus arboreis alta corona viret.
Villaq. deſcendit nemorali conſita cliuo:
Hinc, atq. hinc frondens obſidet vmbra latus.
In medio ſurgunt regalis culmina tecti,
Et Boreæ ſpectant, ſed magis alba, niues.
Aſt infra gemino ſuſpenditur aggere tellus,
Parietibuſq. duplex area nixa patet.
Sparſa vbi per muros miniata arbuſcula teſta,
Et proles tenero termite picta rubet.
Hinc inde aſſultans fontana remurmurat vnda:
Concha quieturas plena recondit aquas.
Inferiora iacent vario pomaria ſulco,
Et fœtu Autumnus verſicolore rubet.
Hæſere attoniti tot per miracula viſus:
Ruris & Auguſtus lumina paſcit honor.
Singula num ſpectare licet? dabiturq. canenti
Poſt, cuncta imparibus viſa referre modis?
Candida ſtelliferæ teneamus limina portæ,
Non renuit noſtros hoſpita Villa gradus.

Ternæ deambulationes in ingreſſu.

Hic vbi partito dat ſigna triangulus aruo,
Scinditur in ternas terra ſubacta vias.
Calcandis dextrà, læuàq. aperitur arenis,
Semitaq. obuerſo limite ſecta iacet.
Laurus vtrinq. viret patulis Auguſta coronis,
Nec timet hybernas frigore tacta niues.
Altior at virgulta ſuper ſeſe exerit arbor,
Tollit & erecto caudice miſta caput,
Quippe capillatis Pinus viret ardua ramis,
Pineaque eduro cortice texta gerit.
Latior in medio teritur via: Cliuus in altas
Lenior aſſurgens hàc dabit ire domos.

Topiarium ſeù muri Cupreſſini.

At latera obfirmat muros ſimulare Cupreſſus,
Ponere & attonſo vertice docta comas.
Nec ſimplex audit legeſq. manumq. ferentis:
Hinc atque hinc gemino limite ſignat humum.
Linea decurrit duplicem ramoſa per oram,
Et folijs paries ſtructilis arua ſecat.
Gaudet & irriguos potare canalibus amnes,
Dum Canis arentes feruor hiulcat agros.

Sed

Sed quis lethiferas hac digerit arte Cupreſſos?
Atque ſerit vitæ ſigna timenda ſuæ?
Aſtitit hæc mœſtis defixa penatibus arbor,
Quos fera Mors duro preſſerat ante gradu.
Funereas tenuitq. fores, nam vertice ſecto
Venturæ ſobolis ſpes quoq. ſecta perit.
Et quæ conifera meditatur cuſpide vulnus,
Nunquam vulneribus pullulat orta ſuis:
Vita velut linquens artus fugitiua calentes,
Corpus in extinctum non reditura fugit.
Ipſaq. ad exequias ſtetit ingenioſa rogales;
Mox vt odoratos fingeret igne rogos.
Triſtibus alta ſuper iacuere cadauera flammis:
Tabida fumoſus membra leuabat odor.
Et manes Cypariſſe tenes; Proſerpina ramos
Quippe etiam cuſtos fertur amaſſe tuos:
Erga infauſta viret regnis iam culta profundis,
Et populis Arbor funera certa mouet.
Sed vix fœlices hauſit per Tuſcula cultus
Iugera: cum mores hauſit adulta nouos.
Fauſto terrificos vt ſoſpitet omine ramos,
Raſtra ſuper ſeno ſydere cincta videt.
Irradiant ſatis aſtra ſolo; cognatus Olympo
Vnde renidebat per ſacra regna Pater.
Et vos Agricolæ iam parcite mitibus aruis,
Nullius hæc ferri vulnera poſcit humus.
Sydera inauratis melius Clementia raſtris
Sponte reuerſuris frugibus arua replent.

 Hinc

Hinc nouus adueniens ſerpit radicibus humor:
Pabula natiuus ſoluit amica tepor.
Vos quoq. fœlices campo viridante Cupreſſi
Ne fugite agricolæ ruſtica iuſſa manus.
Hæc ſylueſcentem cohibet ſi falce iuuentam,
Haud vobis tonſo vertice creſcat apex.
Si ſua quemq. vocat teneros ad munera ramos,
Diſcite, quà ducit ſedulus arte, ſequi.
Quà iubet à pueris dociles inflectere frondes,
Flectite: qua ſiſtit, ſiſtite frondis iter.
Veſtra iterum folijs Zephyrus ſi brachia veſtit,
Vmbriferum tegmen non ſine lege fluat.
Mœnia tùm viridi ſolidate ſmaragdina textu,
Hæc tantùm paries gemmeus arua decet.
Sitq. eadem ſemper facies, ſit frondis imago,
Pomiferumq. tegant læuia ſepta ſolum.
Quondam etiam ſociæ quæ per decliuia Laurus
Altè incumbentes explicuere comas:
Frondea curuatis texent vmbracula ramis,
Et camera obſeptum penſilis abdet iter.
Tunc æſtu in medio gelidas ſpatiantibus auras
Sylua coronato laurea calle feret.
Supra murales claudens ſinuoſa Cupreſſos,
Infra phœbeas neſciet ire faces.
Dum Leo, dum calido latrabit Sirius aſtro,
Frigida non vnquam deſeret vmbra diem;
Vſq. adeo varium Collis ſibi temperat annum:
Non aſtu Sol, non frigore adurit hyems.

Gemi-

Geminum Pomarium.

Poſt ſecluſa tenent grauidos Pomaria campos,
Ac ſeſe geminus fœtibus implet ager.
Quaq. ſuis certans pomis exuberat arbor,
Vt Domino gaudens dona recepta ferat.
Quà virides pendent viridi de corpore fœtus:
Quàq. coloratos brachia matris habent.
Purpurei pingunt candentia Mala rubores,
Cum primos aperit Bruma niuoſa dies.
Et Melimela rubent mellito dulcia ſucco:
Appia natiuus luthea veſtit odor.
Ipſa grauant patrios aurata Cotonea ramos,
Atq. ingrata ſuæ damna parentis amant.
Ocyus Agricola nunquam legere ſuperba,
Aut Pira quæ multo lacte Falerna fluunt.
Hic etiam tumidis gaudebit palma Volemis,
Nec male tentabit muſteus ora ſapor.
Hic & adoptantes videas florere Maritas,
Fucatamq. noua creſcere fronde comam.
Mala peregrinas geſſerunt inſita merces,
Diues & alterius vendidit Arbor opes.
O quicumq. olim falces, & raſtra gerebas,
Laurigera Conſul qua prius arma manu.
Et tua ponebas placituris nomina Pomis
Quæ propior flauo vidit ab amne Tybris.

Hic locus eſt, lætis mandes vbi ſemina terris;
Non vllus tanto Sole refundit Ager.
Claudia ſic melius, ſic Appia mala referres,
Et quæcumq. alio robore Poma legis.
Quid feris arboreo morientem Caudice Famam,
Vt tua pomiferum nomina robur alat?
Ceu folia Autumnus *montanis decutit Ornis:*
Sic nemorum pomis gloria nata cadet.
Gloria non vnquam caderet, ſi priſca fuiſſent
Aldobrandino credita poma ſolo.
Hic ſecura nouos exponit Amygdala flores,
Et nondum Boreæ mortua flabra timet.
Perſica non vllis creſcunt lapidoſa venenis,
Præcoqua ſiuè rubent, Luthea ſiuè tument:
Et Ceraſum teretes ſaturabit ſanguine fœtus,
Ceu patrijs quondam Pontus *alebat agris,*
Pomaq. in Armenijs gaudent miteſcere Malis,
Fucat & illudens Aurea *terga rubor.*
Pruna Damaſcenæ *quondam, nunc* Itala, *terra,*
Carpere cum Praſinis *Cerea miſta iuuat.*
Hic & purpureis certantia Zizipha Cornis:
Bacca rubet mollis, durior ante viret.
Iam libyci oſtrino Tuberes ſe cortice condunt:
Ærugo pingit Meſpila, Sorba crocus.
Parte alia proles viridis palleſcit Oliuæ:
Autumni ſuccis pinguibus atra madet.
Coccina, vinoſis mox ora nigrantia Moris:
Lauere infectas corpore acerba manus.

Puni-

Punicaq. in ſcabris denſantur Apyrina ramis,
Rubra coronato tegmine grana latent.
Vltima frugifero ſurgent contermina campo
Ardua dumoſis robora Caſtaneis.
Horret echinato rigidum pro cortice vallum,
Lentus & obtendit ſpicula denſa calix.
Puluinata intus, molliſq. putamina glandis,
Terna manet nucleis vndique clauſa tribus.
Cœtera quid memorem? flaua redolentia Citro,
Aut longè à Medis munera vecta plagis?
Quid biferas Ficus? & quam Vindemia nutrix,
Aut æſtu comitem quam ſibi Meſſis alit?
Candida, rimoſo ſeù corpore Pulla fatiſcit:
Hæc viret: hanc tunica Purpura fuſca tegit.
Longa illi facies: illi Mammoſa tumeſcit:
Aſſurgit Gracilis: vertice Preſſa iacet.
Mellea iam guttis implet rorantibus ora,
Et ſua iam lacera vulnera veſte gemit;
Et iam Rura madent nocturnis roſcida guttis,
Et fœcunda nouo nectare ſylua fluit.
Ite, manum plenis celeres onerate Caniſtris,
Ambroſias offert Pomus onuſta dapes.
Quæ caput inflexo demiſit pendula collo,
Ex alto raptus annuit illa ſuos.
Nec vos detineat lacrymis dum rorat obortis:
Flet, quia rapturas ſenſit abeſſe manus.
Et nimis ah dulces ſcidit inclementior artus;
Nunc æquo pendat iudice cruda nefas.

Impro-

Improba nocturno fecit ſibi vulnera ferro,
Vulnera diſtricto dente diurna ferat,
Aſpice demiſſo metuens impalluit ore;
Nempe tenax ſceleris damna futura timet.
Tolle precor: ſic morte metus depellet amaros:
Grataq. erit, labris dulcis & illa tuis.
At tibi (ſi tanto, Princeps, Natura paratu,
Omnigena & fœlix prole laborat ager)
Munera iam totis labuntur grandia ramis,
Sponte aperit fœtos terra miniſtra ſinus.
Copia certatim, & ſylua pomoſa Supellex
Spargitur, & campo diuite larga fluit.
Nempe tibi Autumnus donis blanditur, & Æſtas,
Vt Domini arboreas Purpura pingat opes.
Vere nouis dabitur calathos ſtipare Roſetis,
Dum floret Zephyro non abeunte nemus;
Ille etiam inuitat riguos inuiſere colles,
Et quæ fontano flumina ab ore cadunt.

Fons in fronte parietis quo ſuſtinentur aggeres ante Palatium.

Ergo illum, qui fronte manet prope ſuſpice fontem,
Atq. humili immotos margine fige gradus.
Hinc atq. hinc cineres imitantia ſaxa, columnis
Se tollunt geminis, pondere anhelat humus,

Hiſquè

Hiſquè ſuperductas immani mole coronas
Dædalea fingit Rauidus arte lapis.
Nomina & inſcripto fulgentia Principis auro,
Læuis vbi excurrit Zophorus, alta leges.
At ſpatia, extremis quæ finibus Anta coërcet,
Romulea inſculpto marmore ſigna tenent.
Stant loculis incluſa ſuis: tum germina magna
Nata ſuper paries parturit alba Roſa.
Candida vbi florent ſolidis Conchilia cruſtis
Hic Roſa gemmanti Matre ſuperba nitet.
Mutaſti fœlix ſcopulos, pelagiq. tumultus:
Terreſtres habitas Concha refixa domos.
Humoremq. ſimul fontana acceperis vnda,
Gutta colorato gemmea rore cadet;
Lumina non deſunt, coniunctis lumina ab aſtris;
Sol nec opes melior nutriet ipſe tuas.
Infra autem ſtructis ſtagnat liquidiſſima labris,
Illabenſq. alto turbine Lympha ſonat.
Quippe cauus mediam ſe murus in apſida curuat,
Et flexus vitreas circinat arcus aquas.
Multicauus pendet ſumma teſtudine pumex,
Aut ferruginei tophina ſaxa iugi.
Vt rigida rupto naſcuntur in æquore rupes,
Et ſpernunt pelagi ſcrupea terga minas:
Cæruleos ſuperare lacus ſic triplice dorſo
Muſcoſos videas ſaxa per vda thoros.
At medijs ſurgit tumulis, teretiſq. metalli
Stridet ab arcanis miſſilis vnda tubis.

Quòq.

Quòq. magis vacuas attollitur alta per auras,
Hoc magis elatos pandit aperta ſinus.
Non aliter fulget metuendo crine Cometes;
Et longo niueas explicat igne comas.
Sic quæ denſa prius mox ſumma aſpergine rorat,
Et queritur lapſus diſſita lympha ſuos.
Nec ſatis vna gemit, plumboq. effuſa latenti
Terna ſalit, ſcopulis ter iaculata cadit.
Et geminus pura Delphin caput exerit vnda,
Spiculaq. è pleno gutture miſſa iacit.
Latior inuerſa ceu ſurgit fraxinus haſta:
Delphinum patulo ſic fugit ore latex.
Hinc in lè ſcatebris ſinuoſus murmura pumex;
Murmura labenti flumine tophus agit.
Hic iuuat extremo paulum requieſcere fonte
Qua fontis virides veſtijt herba thoros.
Audin'? de vitreo mihi vox deſcendere fundo,
Et fidibus miſtos viſa referre modos:
Nereis an mihi dulcè canit? viuitq; ſub vndis?
Iam loquitur, Doris vel Thetis illa ſonat.

Quomodo & vnde Aqua Villæ Aldobrandinæ deducta fuerit.

Nota ego per latios ſum Nympha Molaria Colles;
Naiadum liquidis prima vocata choris.

Mer-

Merſaq. ſeruabam mordentes gramina riuos,
Humida quæ pingui valle ferebat humus.
Obſitus hinc ſtabat nemoroſis Algidus vmbris,
Quà vicina ferit rupibus aſtra Caus:
Hinc iuga nudati ſurgebant Tuſcula montis
Dextera quà tollunt ſed ſine fronde caput.
Roſcida ſeruabam rorantibus antra lapillis,
Riuos materno fundere nata ſinu.
Auſter aquis ſuprà bibulas implebat arenas
Stillabant noſtræ ſemper ab imbre domus.
Hinc emiſſa nouo fingebam flumina fonte,
Et moui querulos valle voluta ſonos.
Viſebam rubros per paſcua rura iuuencos,
Quærebant ſaturi murmura noſtra boues.
Petrus at errantes per culta noualia riuos
Vertit, & ignotum currere iuſſit iter.
Continuo obſtabant montana cacumina dorſo,
Perrupit foſſis culmina longa iugis.
Aërio factura moras ſub monte latebat,
Ductibus atque imis obſtitit alta ſilex.
Ille repercuſſo ſaxoſa cacumina ferro
Scindit, & incenſus diſſilit igne lapis,
Ruperat infuſo quondam Rex æquore montes,
Cum fera captiuæ flagra tuliſtis Aquæ:
Et miſera extremos aeplorans Græcia caſus
Perſica fatales vertit in arma rates.
Vinxit at obſtantes manicis Babylonius vndas,
Fugit & Aſſyria compede nexa Thetis.

Neptu-

Neptunus valido percuſſit ſaxa flagello,
Solueret vt trepidis vincula facta fretis.
Sic via defoſſis Regi patefacta cauernis,
Quem deriuati perdidit vnda maris.
Nec tu Luculli *ſpecus ò memorabere: fractis*
Cùm populis tumidas terra recepit aquas.
Frena dabat lymphis, dederat cui frena voluptas,
Eſſet vt Auſoniæ Rex quoq. Perſa togæ.
Tum quoque romanas timuerunt æquora lauros,
Pontica, & Armenÿ Caſtra ſubacta Ducis.
Quàq. iubes Luculle aditus fecere patentes:
Legibus, vt miles, paruit vnda tuis.
Quid moror? ipſe vorat quondã ſua littora Pontus,
Et ſponte elatis fluctibus haurit humum,
Sæpius Oceanus ſtridenti murmure fines
Rupit, & vndoſis clauſtra recuſſa vadis.
Littoraq. intereunt, totas bibit æquor arenas,
Atq. vetus pelago terra ſepulta iacet.
Sic fera Theutonicos deſpumans vnda tumultus
Vltima Germanis abſtulit arua plagis.
Heù magis Italiam ſuper intonuere procellæ:
Barbara ſed merſit Cimbricus arma cruor.
At Petrus liquido perrupit culmina riuo,
Et Dominus lymphis ductile fecit iter.
Non mare, non vllis terram Mars impulit armis;
Terraq. paciferas ſenſit aperta manus.
Cedite Romanæ, iam cedite Perſidis artes;
Nunc potis exiguus frangere ſaxa liquor.

Forſan

Forſan & auratos circum labentia raſtros
Traxerunt latices montibus Aſtra meos.
Quippe etiam ſuccos referunt potare marinos
Et paſci humenti ſydera ſicca freto.
Siue ea, quæ magnum frenabat dextera mundũ:
Infera qua Clemens rexit, & aſtra Pater;
Hac quoq. iuſſit aquas natiuis cedere ripis,
Et ſciſſo ignotas quærere monte vias.
Quid nuper dextram non audijt orbe potentem?
Iuraq. Romuleo, donaq. miſſa Patri?
Ille nouis ſtatuit nomen ſuper æthera Diuis,
Ante nec Auſonijs feſta recepta ſacris.
Illius imperio geminos Concordia Reges
Iunxit, & impatiens condidit arma Furor.
Heſperus hinc iuſſu placidos afflauit Iberos:
Hinc bellaturos Gallia ſoluit equos.
Audijt ille tuos ingens Henrice vocatus,
Diſſoluitq. ſacra triſtia vincla manu.
Connubijs ſtatuitq fidem; Ludouicus in orbem
Par daret vt patrio clara per arma iubar.
Cornua iam Lunæ, iam cornua contudit Iſtri,
Cùm veheret tumidis Thracia ſigna vadis,
Illius expauit ſubito Ferraria ferro,
Ante pedes trepido concidit amne Padus.
Ille ſubalpino Pacis dedit otia bello,
Et gemini Martem ſepoſuere Duces.
Flumineos idem potuit conuertere curſus,
Pandere & impulſis deuia montis aquis.

Dice-

Dicebam, ite meæ ſecreta per abdita lymphæ,
Quò vocat, & iuſſas arbiter orbis agit.
Aldobrandini quà ſe fontana Theatri
Scena ſub vmbroſo curuat opaca iugo.
Marmoreos implete lacus, fonteſq. vocantes,
Cognatumq. colat murmura veſtra nemus.
Villaq. tum plaudet gemino cliuoſa ſuſurro:
Lympha canora dabit, motaq. ſylua ſonos.
Sylua nouis Zephyri toties aſſibilet auris,
Allapſu quoties mobilis vnda canes.
Tu dabis aurato reſonare in limine Muſas,
Diſcet & iniuſſos fiſtula ferre modos.
Sic affata meas moui lætiſſima lymphas,
Et fugi antiquos non reditura lares.
Nunc habito fontes, ſum grata Molaria ſyluis,
His æterna iugis eſt mihi parta quies.
Sic ait: & caro ſeſe humida condidit antro,
Merſaq. muſcoſas viſit in amne domos.
Nos vltrà ſpectare iuuat. Compage perenni
Laua tenet paries, aggere pendet humus.
At parte ex alia, cœlo quà Collis aperto
Dextera Romani tendit in arua ſoli,
Marginat accliues ſcatebris ſalientibus oras,
Et deſcendentes vaſe coercet aquas.
Atque infuſa tubis paries alimenta miniſtrat;
Colle coronatus murmura fundit apex.
Sed quà iam planos interiacet area fines,
Paruaq. demiſſus deſerit arua tumor.

Horo-

Horologium Myrtis Conſitum.

Non vſquam radius motas inſcripſit arenas,
Sed partita diem myrtea ſigna virent.
Tonſaq. colludit redeunti linea Soli,
Atque incerta ſua tempora fronde notat:
Sol mouet errantes cuneati Gnomonis vmbras,
Et cancellato pingitur hora ſolo.
Longior vmbra notas breuiorem ſignat in Auſtrū:
Hæc breuis: & longum Solis adauget iter;
Siue vbi nimbiferi friget domus humida Capri:
Siue vndè æſtiferos Cancer adurit agros.
Quod ſi terra ſagax currentibus indicat horis,
Quidq. vehat cœlo Phœbus & aſtra, docet;
Haud mentita feret maturas vbere fruges;
Scit quæcumq. nouis frugibus hora venit.
Quæ tempeſtiuos educunt ſydera fœtus:
Arbuta quæ gignit, lætaque Fraga dies.
Callida quin etiam noſcet, quo tempore ſurgat,
Et ferat immites nubilus Eurus aquas.
Imperet aut imbres certans Aquilonibus Auſter:
Aut gelido Boreas egerat ore niues.
Prouida tunc gremio condit ſua munera Tellus,
Et tutas nudo gramine ſeruat opes:
Nouit, quo Zephyrus veniens rorantibus auris
Ornat odoratis rura ſoluta roſis.

Tunc omnes iterum reuocans in gramine ſuccos
Floribus, & toto gemmea vere nitet.
Quid, cùm per tepidos voluit Sol tempora menſes,
Vrbe quibus Dominum præſcia rura vocant?
Et præſaga iubar ſenſere arbuſta futurum?
Senaq. iam lætis vallibus aſtra micant?
Tum verò placidas ad murmura colligit auras,
Æmulaq. ingeminat murmura fronde nemus.
Tum flores affiat Zephyrus, tum ſpirat odores,
Largior haud vnquam fontibus vnda ſalit.
Vix longè apparet Camerati purpura currus,
Et rector celeres montibus vrget Equos,
Cum ſonuere Tubæ, & nemori dat buccina ſignum,
Et famulos, ſyluas increpuitq. canor.
Siue procul tubicen ſummo dat culmine cantus,
Et renouant dulces cornua flexa modos:
Seu qui vocali recinit teſtudine Phœbus,
Iam Domino aſſurgens ſigna canora dedit:
Seu potius caris reuolans quæ viſitur aruis,
Feſſaq. iam curſu colle quieta ſedet,
Fama tibi cuſtos florentibus excubat hortis,
Inſonuitq. ſuas, te veniente, Tubas.
Illa quidem longè ignotas audita per Vrbes
Atterit in laudes oraq. & ora tuas,
Regaleſq. animos, & rebus nata gerendis,
Puraquè deterſo crimine corda canit.
Narrat & illa memor doctis data tempora curis,
Et par conſilio pectus, & imperio.

Quon-

Quondam etiam grati referens miracula Collis
Vocibus innumeris altiùs arua replet.
Nunc mihi, ait, virides Hortos oppone Vetuſtas:
Iactent Romanos limina priſca Duces.
Seù quæ Telegoni poſuit per culmina Conſul,
Aut circum Albanos tecta ſuperba lacus.
Vidi ego, diuitijs Aſiæ quæ monte coactis,
Sit Lucullæa condita Villa manu.
Limina compoſitis ſilicum liuentia quadris
Ardua par cœlo conſeruere caput.
Flamina porticibus vacuis inuexerat Arctos,
Ingemit vnde ſuas Phœbus abeſſe faces.
Hic nemora, & tacitis frondoſa ſilentia lucis,
Semper & arboreo poma legenda ſinu.
Tum quoq. mirabar, veteri cùm proximus Albæ
Paruus ab ingenti Cæſare fundus erat.
Et qui Pompeios habuit poſt bella penates;
Venit & ad fortes laurea terna fores.
Et iuga quæ paſſim domibus baccata ſuperbis,
Viderunt Patres maxima Roma tuos.
Romula vix magnos repetebant compita ludos,
Ducebatq. omnes aurea pompa Deos.
Seu placuit biiugos laxare in puluere currus:
Seu dare ſanguineos Amphitheatra iocos:
Seù Scena ardentem furijs agitabat Oreſtem,
Aut Agamemnonia cæde tepebat humus;
Curarum feſſos mittebat Curia Patres,
Cretatos niueæ ſtamina longa Togæ.

Intulerat patrijs ſi quem facundia roſtris ,
Traxerat & dubios lingua diſerta Cures:
Siue tenens numeroſa grauis ſubſellia iudex
Clamoſo dederat triſtia verba foro ;
Tuſcula quærebat placidos per tecta receſſus :
Colle dabant dulces otia feſta dies .
Tu quoq. Romani Princeps facunde Senatus
Culmina Telegoni frondea Marce colis .
Quà ſoluis miſeros numeroſo crimine ſontes :
Et lapſura tuo conſtitit ore ſalus .
Quà coniuratos incendis fulmine ciues :
Vox facibus, tonitru dextera cincta fremit.
Poſt tamen ad lætos veniſti inuicte penates ,
Et plauſit Domino Tuſcula Villa ſuo .
Hic etiam docta nutrix opulentia linguæ
Facundi iuuenes erudit arte fori .
Hic cultas Romana iubes ad pulpita voces
Fundere, & argutis tendere vincla ſonis.
Heù cita mors ferro canos tibi meſſuit annos;
Marce ſiles : tecum Roma loquuta ſilet .
Sed quamquam hic vaſtæ moles : his laurea ſyluis
Sæpe triumphales nexuit alta viros ,
Se tamen acclinat laudum,decorumq. priorum
Gloria & antiquo monte ſepultus honor .
Nonne vides ? veluti Princeps meliora ſacrauit
Pectora, quæ Pietas, quæ regit alma Fides:
Sic & priſca perit : melioris gratià ſyluæ ,
Diſpar, ſed Domino par habitanda, venit.

Cer-

Cerne ; velut ſacro facies nitet ardua templo :
Sic etiam auguſtis ædibus alba micat .
Quippe Pudor caſtis poſuit veſtigia tectis ,
Relligio & niueo limine culta ſedet .
Virtutumq. Chorus lucis ſpatiatur amœnis ,
Senſit inaſpectos limen & vmbra pedes .
Ille ſibi lætis diſponit gramina terris ,
Huic ſatus vmbroſam palmes opacat humum .
Ipſa equidem caros æquè non Fama per hortos
Ibo, non linguis tecta loquenda meis.
Siue per Europen oculatæ remige pennæ,
Aut Aſiæ, aut Libyæ barbara regna ferar .
Quæ me cumq. videt ſimul audiet ora loquentem
Aldobrandinum cætera vincit opus .
Sic fatur, rurſumq. alto clangore tubarum
Cunctaq. perpetuis laudibus æra ſonant .
Iam ſupereſt alio depaſcere lumina viſu ;
Perge, iubet Famæ iungere Muſa modos .

Gemina ante Palatium Area.

Aſpice, planities obliqui vt margine valli
Cingitur, ac flexo tenditur æqua ſinu .
Altera quadratos ſuper extulit area fines ,
Pandit marmoreas quà domus alta fores.
Et decor eſt ſummo ſuſpendere Citria muro ,
Rubraq. cum Medis vaſa virere comis .

Quis locus hic? circum ſpatijs ingentibus actos
Ad curſum celeres meta vocaret equos.
Non aliter curuo poſuit certamina Circo;
Romaq. pugnantes impulit axe rotas.
Obſeruant lapidoſi aditum, vigilantq. Leones,
Callida rugitus ſed tamen ora premunt.
Sic ego dicebam; Cuſtos at nobilis oræ
Adfuit, & votis verba ſecunda dedit.
Hic locus eſt, inquit, pugna qui notus Equeſtri
Mitia pacato prœlia marte tulit.
Ipſe manu terris veheret cùm ſydera Clemens,
Deſertaq. ſuum viſeret Vrbe iugum;
Pacifera Miles Latius pugnabat in haſta,
Et curſu celeri ludicra bella dabat.
Annulus in medio tranſuerſi ad vincula funis
Figendas poſuit pendulus orbe notas.
Hinc autem denſis meditatus prœmia turmis,
Arduus alipedis frena regebat Eques.
Non ille æratis ſe ſquameus induit armis:
Non tegit obductas caſſis ahëna comas:
Nec ſua lunatæ defendunt brachia parmæ:
Nec grauis appenſo baltheus enſe micat.
Linea ſutilibus variè contexta metallis
Multiplici lapſu ſerica picta rigat,
Atq ſuper cingunt plumas capita alta comantes,
Et numeroſa nigro tegmine gemma nitet,
Buccina iamq. dedit feſtum certamine ſignum,
Ingeminatq. cauum reddita ſigna nemus.

Illi

Illi abeunt, ineuntq: nouos è carcere curſus;
Annulus inſerta cuſpide raptus abit.
Talia tunc Domino condebat gaudia Collis:
Nunc ſilet, ac magni gaudia ruris habet.

Fontes in extremo pariete quo ſuſtinentur aggeres.

Dixerat; à tergo reſonans at ſpicula torquet,
Canus & intorto fluctuat amne liquor.
Acceſſi, & muri claudentem brachia fontem
Aſpicio, it fugiens fontis ab ore latex.
In medio lapidum compage attollitur arcus:
Picta lacunato murice cruſta tegit.
Inde abit introrſum paries, loculoſq. per omnes
Ductilis occulto diffluit vnda tubo.
Quippe figuratis habitant vbi marmora ſignis,
Implet flumineum lympha ſonora cauum.
Illaq. ſeu format liquidis noua lintea velis:
Seù iaculi in morem ſurgit, & alta ferit.
Nec tamen eſt ſimplex Fontanæ gratia lymphæ,
Fraterniq. ſuper murmura fontis habet.
Ille, vbi murali ſuſpenſa crepidine tellus
Arua per accliues explicat æqua vias,
Stagnat: & vda ferens ſubiecto munera fonti
Sternitur in tacito latior vnda lacu.
Cymba natat medio: leuis acto marmore Cymba
Nunquam ſubiectis mergitur hauſta fretis.

Quippe inuicta ſuo ſe pondere librat; amico,
Nè lymphæ noceant. fœdere iuncta natat.
Vnda facit Malum, quæ pulſa canalibus imis
Exit, & in mediam tollitur alta ratem.
Puppe regit Triton promiſſum fluminis imbrem,
Vt fluat incertis marmore onuſta vadis.
Tum geminus puro ſublatus ab æquore Nereus
Ore ſupinato cornua curua leuat.
Turget & inflanti ſimilis, ſimilíſq. canenti:
Parcit & argutis tibia torta ſonis.
Saxea non raucos effundit buccina cantus,
Saxea ſed liquidas buccina fundit aquas.
Has quoq. Cymba natans dũ plena recolligit vn-
Murmurat, et grates murmure feſta refert. (das,
Talis ineſt fonti ſpecies, vmbramq. miniſtrat
Ilex, quæ veteri robore denſa ſubit.
Hic locus eſt, medio quà ſtructa Palatia colle:
Imminet ac nemori nubibus æqua domus.

Horti ad latus Aedium.

Diſſecat hinc læuos auris habitantibus hortos
Iuniperi obiectis cuſpis acuta comis.
Et circum aërijs arbor frondoſa coronis
Extremo cuſtos limite opaca ſedet.
Semper ibi ramis frondentibus excubat Ilex,
Et Lauros Daphnis non habitura pares.

Hæc

Hæc quoq. ceù facto claudit viridaria muro,
Vt geminus tutas contegat hortus opes,

Diſpoſitio Areolarum.

Intus at æquatis diſcinditur area quadris,
Atque aperit rectas arbore ſecta vias.
Diſſita decurrunt vario topiaria ſulco;
Hæc myrti virides, illa cupreſſus alit.
Angulus ac flexis quà vertitur ordine ramis,
Obliquat teretes planta recurua pilas.
Orbis & hirſuta ſe fronde cupreſſinus ornat:
Ludit agens paruos virga paterna globos.
Hic & ab Heſperidum deducta noualibus arbor
Citrus, & aſſyrio Medica tincta Croco.
Illa per æſtiuos terra commiſſa calores,
Protinus externas it peregrina domos.
Vix gelido vectit niueas Aquilone pruinas,
Et primo terras frigore lædit hyems;
Cum peritura gelu, cæliq. rigentibus vndis
Secretam repetit mobilis arbor humum.
Subiectis obſcura cauis hypogea leguntur,
Et quà deſcendit lapſus in antra tepor.
Infodere ſolo raptas cum ſtipite frondes,
Et lucem ereptam paruula poma gemunt.
Non aliter duras hyemes permutat hirundo,
Veris & aduectas hoſpita ſoluit opes.

Ergo

Ergo vbi iam Zephyros inuitat flore morantes
Frondibus & ſyluæ brachia veſtit ager:
Tuta latebroſis egreſſa penatibus arbor
Quærit natales rurſus in arua domos.
Multiplices portant ſolido cum robore fibras,
Diuitijſq. times termes onuſte tuis.
Mirantur reducem iam poma rubentia Solem,
Quæ ſuus in tenebris ſparſit odora color.
Ipſa parens perfuſa nouo lætiſſima rore
Floribus effoetos ornat amicta ſinus.
Clara nec obducto memoret ſpecularia vitro,
Ne lædat teneras Roma vetuſta roſas.
Lucida cum brumas tegerent Chryſtalla rigentes,
Conderet ac tepidum pergula clauſa diem.
Riſere immitem violaria turbine Caurum
Irrita cùm victo flamine bella tulit.
Sed meliora gerit, melior quoq. fingitur ætas
Poſtera, & ingenium tempora lapſa iuuant.
Nunc non alta tegunt paruas cœnacula frondes
Sed grandi vernans robore gaudet humus:
Velaq. non fragili tenduntur vitrea teſtæ;
Quærit adoptiuum planta reuulſa ſolum.
Inde redit, cœliq. iterum ſub aperta reſurgit,
Non æſtu, aut vllo læditur icta gelu.
Sic virides, ſemperq. ferax ſeruabit honores,
Durat & annoſis longa ſenecta comis.
Nunc quater areolas extremo in margine ſignat,
Et ſubter molles inſtruit herba thoros.

Rerum

Rerum, & animantium variæ ſpecies è tonſilibus fruticibus.

Quadrato in medio liquidas Obeliſcus in auras,
Et decreſcenti cuſpide creſcit apex.
Aſt illi intexit viridantia terga Cupreſſus,
Et ſummo impoſitas culmine paſcit aues:
Aut etiam impaſta viuunt animantia fronde;
Veſcuntur tenues ætheris ora dapes.
Infra Puluillos non educat herba decentes,
Sed viret in curuas Laurus adacta domos.
Erumpitq. ſuis proles fruticoſa cauernis,
Myrtus vbi vario parturit ore Feras.
Hinc tentat latrare Canis, quòd ſtirpibus hæret,
Mordet & affixos terra nouerca pedes.
Iracunda alibi meditantem prœlia Buxum
Neſcia rugitus ora Leonis habent.
Euolat hinc Volucris, ramiſq. immota reſiſtit,
Et fruticem cantus eripuiſſe dolet.
Tuque ſuperba furis fruſtra galeata Cupreſſus;
Acrior hæc falcis diſſecat arma furor.
Stat propè, ſãguineoſq; videt tremefacta, nec vnquã
Fugit inhumanos mota Capella Lupos.
Sed tamen, vt miro digeſſeris ordine cuſtos,
Et præcepta ferat flexile iuſta nemus;
Rectius auguſtis animat virgulta figuris,
Et facies hominum callida ſylua gerit.

Ipſe ego te mon:am (voces neù temne docentis)
Vates laurigeri lauder in arte Soli.
Hæ non errantum latebræ, non luſtra ferarum;
Quid teneros frutices horrida monſtra grauant?
Quàm melius Domini poterant frondeſcere factis?
Atque humus herbiferis fingere vera notis?
Hæc quamuis referant muro candente colores,
Pòſt nigror, & ſqualens inficit ora ſitus.
Nec rigido Princeps componi mollia ſaxo:
Ducere nec vultus optet in æra ſuos.
Hæc ſimulare cupit Tellus, virgaſq. feraces,
Vimina & ad formas ingenioſa parit.
Fœlices omni ſtirpes tibi ſelige luco:
Inſere tonſilibus germina digna comis.
Seù te parua iuuat faciliſq. ad iuſſa Cupreſſus:
Seù nigra, vel Myrtus lætior alba placet:
Seù crinem, fragili tondens ſeù brachia Buxo,
Procera, aut denſo ceſpite Criſpa reges.
Seù tibi Iuniperus nigras dabit hiſpida baccas;
Nam minus apta viret, ſed mage Nardus olet.
Non abſint frondem virgulta ſimillima Lauro;
Quæ minor eſt, operi promptior illa venit.
Hanc quicumq. ſatus tibi ſurculus exit in artem,
Syluoſos folijs veſtiet arte viros.
His ſua conſpiciat ſignari nomina Princeps,
Magnaq. in aprico viuere facta iugo.
Phœbe loci cuſtos tu cuncta tuebere: coges
Tu procul infeſtos flamina ferre Notos.

Ipſa

Ipſa reuerſuris implebit robora ſuccis,
Humoremq. bibens ſponte refundet humus:
Atque ego (ſi quid habent Elegæ cantamina Muſæ)
Conciliem numeris aſtra ſerena meis.
Prima quirinales imitabitur ore figuras,
Purpuream Myrtus blanda referre togam.
Aſtabit ſolio Clemens, meritumq. Nepotis,
Tegmina velabunt murice picta caput;
Picta quidem, ſed planta ſuo videſcat in aruo;
Celatur viridi purpura clauſa libro.
Nec procul hinc Romæ pugnaces æmula vultus
Frondea bellatrix Buxus in arma ferat.
Gaudebitq. noui certatim ad Principis ora;
Libent Clementes oſcula prona pedes.
Et ſimulare potes Tyberinam vt protinus vrbem
Rector, & in partem ponderis, ille tulit.
Vt ſemper grauibus fœcundans pectora curis,
Ingenijs geſſit regna minora ſuis.
At mox innumeris armabis ſtirpibus hortos,
Sæuaq. in arboreas conijce bella manus.
Iuniperi ſtabit rigidis Exercitus armis;
Cuſpidis in morem ſpina proterua ferit.
Inſere, ſi libeat, diuerſo è caudice dumos,
Seque acies totis cingat acuta rubis.
Iuxta populeas lacrymis manare Sorores
Sollicitus mœſto cogat ab amne Padus.
Ille ſuam referet populis cedentibus vrbem:
Spectet adoratum pronior Vrna Tybrim.

Ipſe

Ipſe autem Latio victor Legatus in oſtro
Mœnia ſublimes ducet in alta rotas.
Quippe nouos dabitur curru ſubeunte triumphos
Texere, perque altas ſigna refixa fores.
Tu quoq- non longè pariles imitabere pompas:
Finget Tyrrhenos Florea planta Duces.
Vrbs ſua præcinget Florenti mœnia vallo,
Et medias labens inferet Arnus aquas.
Gaudentem ſubuectus equis Pater ibit in Vrbem,
Sparget & oſtrinus myrtea membra decor.
Hinc vireat Virgo thalamis deſponſa futuris,
Quam famulus prono Sequana fonte ſonet.
Detque Pater ſacras luſtrali aſpergine voces:
Tecta auro feſtum nunciet Ara diem:
Mox quoq. frondifero ſimulabis robore Gallos;
Sit Rhodani ripis flumine miſtus Arar.
Hinc & montanas irata Sabaudia gentes,
Dux quæ agat audaces fortis in arma viros.
Mars velut horrifica fulgens Henricus in haſta
Vicinum ingenti terreat ore nemus.
At Pater in medio turgentes comprimat iras:
Iungant regales fœdera longa manus.
Hic etiam tenera propagine tortilis adſit,
Virga, nec intonſa libera fronde fluat.
Et mihi palmitibus placeat lacrymoſa reſectis,
Cuius & à pingui cortice gutta fluit.
Flebilibus veluti rorant opobalſama ſyluis:
Stillat odorato Myrrheus imbre dolor.

Hanc

Hanc lege, ſi cohibet ramos flexura volentes,
Et dociles aptat planta reciſa comas.
Protinus informans iuuenilibus indue membris:
Et tibi regales germinet alta notas.
Hac vultus Syluester ages: heu funere vultus
Illacrymans ſimulet pallida virga tuos.
At non ſylueſtris venias ſub imagine frondis,
Tecum delicias qui puer vrbis habes.
Mox quoq. promeritũ iuuenem quæ purpura texit
Quale tuo reperit, iunxit & ore iubar!
Quod ſi cruda nimis iuueniles diſſipat annos,
Mors, video, titulos ſparſit acerba tuos:
Alter agit Solymos Crucis atra in veſte nitores,
Frater, & inuictis puppibus arma mouet.
Ille recedentis pelago fera cornua Lunæ
Terruit, & Libycæ ſigna cruenta ratis.
Alter at oſtriferos meritus ſibi iunxit honores,
Hauſeruntq. noui muricis aſtra faces.
Scilicet Hippolyto fauſtum dedit omina nomen,
Purpureumq. viro prætulit ante decus.
Sed maiora feret virtus: eris ordine Clemens:
Hoc tibi nunc mores, poſt noua regna dabunt.
Interea Hiſpanis Frater dum fulminat armis,
Et mergit Batauo barbara caſtra mari;
Ducet ſtelliferam Princeps in ſecula gentem:
Et magni ſobolis ludet in ore Patris.
Tu Muſis dilecte, geris tu præmia laudum,
Inuictoq. graues pectore vincis auos.

Has

Has tibi tonſa ferent Opifex Arbuſta figuras:
Hæc ſimulacra tuo ſcirpea monte coles.

AT *mihi quos video regales ſuffice Fontes,*
Labraque iam riuis prolue Phœbe *tuis.*
Magna cano, haud Elegis modulamina digna Camœnis
Poſcit opus; Vatis ſit nouus ore latex.
Non tibi ſic montis dilecta biuerticis vnda
Fluxit, & impleuit Phocidos *arua liquor:*
Grata theatrali ceù fundit flumina circo
Aldobrandini lympha ſonora iugi.
Tu poſtquam Scythiæ rigidis effuſus ab Antris
Turca per Argiuos *ſæuus inundat agros:*
Et ceciderе omnes patrijs cum mœnibus artes,
Gloriaq. è priſca Gymnade pulſa iacet,
Barbaricos exul fugiſti ò Phœbe Furores,
Dum vorat Aonios hoſtica flamma lacus.
Protinus Italiam, *Romanaq. tecta petebas,*
Laurus vbi intonſas cingeret alta comas.
Illa, triumphali dominos quæ fronde Quirites
Cinxit, & auguſtos texit amica Duces.
Et tibi per ſeptem legiſti limina colles,
Vatibus vt ferres laurea iura tuis.
Abduxere tamen ciuilis tædia vitæ,
Et vanus populi depulit vrbe tumor.
Culmina tum Latijs habitas contermina campis;
Quà dedit vmbroſas Tuſcula ſylua domos.

Hæc

Hæc placuit medijs ſtatio gratiſſima lucis;
Clauſus inaſpecto ſed tamen ore ſiles.

Conclaue Apollinis, Muſarum, & Ventorum.

Tandem vbi ſydereo gauiſa eſt lumine tellus,
Purpureumque tulit Villa ſuperba iubar;
Aurea cum ſocijs ingreſſus tecta Camœnis
Sollicitus plectris aurea fila moues.
Ipſe canis ſummo viridantis vertice montis:
Agmine Caſtalides inferiore ſedent.
Et circumpictis fulget Conclaue figuris,
Vt viuat muris fabula viſa tuis.
Sed tibi quis ſceptro dominatos tradidit Euros?
Condidit ærato quis tibi vecte Notos?
Vix equidē ingredior, rapidi cùm murmura Venti,
Et formidatos euomuere ſonos.
Vt ſolet ex altis prodire exercitus vmbris,
Et ſubitò fallax ſaltus in arma tonat;
Cum latuere doli, defenſus & ilice nigra
Callibus occultis denſus oberrat Eques:
Sic ſubitò è tacitis Zephyri venere latebris,
Concuſſaq. volans ſibilat aure cohors.
At Cauri Aeolias commutauere cauernas?
Atq. alium quærunt flabra coacta ducem?

Phœbe nouos tibi iam Latio gratabor honores,
Quòd nimboſa tuas frena habuere manus.
Nec ſolùm placidas poſthàc moderabere Muſas;
Sunt & in audaces addita iura Notos.
Ergo tibi metuens iam ſupplicet vnda procellas:
Iura ſuis Nereus non dabit vlla fretis.
Atque aliæ circum ſubmittent munera Terræ,
Nè tenera horreſcat flamina miſſa ſeges.

Organum Hydraulicum.

At nimis irati ſoluant ne vincula venti,
Aut compreſſa truci carcere turba fremat;
Luctantes compelle animas ad munera cantus,
Æris & arguti fiſtula curua ſonet.
Stat retro, & tereti veſtitur Machina plumbo,
Subter phœbeo condita monte latet.
Certatim hic alis pubes operata laboret,
Pennatas agitans officioſa manus.
Flumineo lymphas pars deuoret ore miniſtras:
Præcipites lapſo pars agat amne rotas.
Hic validas Calamis auras inſpiret ahenis
Carmen inoffenſis temperet ille modis.
Ipſe ego ventorum ſignabo partibus æquis
Munera, & officijs nomina certa feram.
Humidus arcano deducat flumina curſu,
Et deſcendentes inferat Auſter aquas.

Africe

Africe tu crebras meditatus, & Eure procellas,
Ferrato celeres vertite dente rotas.
At ſiccus Boreas violento plumbea flatu
Brachia, & erectas impleat ore fides:
Tum Zephyrus properet digitis errare magiſtris,
Mobile Pinnarum qui leuis vrget ebur.
Sic dulci vacuas modulamine pulſet Hydraulas
Impellatq. nouus regia tecta canor.
Sic tu Phœbe reges pacatos fœdere ventos,
Nec ventoſa fremens ibit in arma cohors.
Nunc doceas vatem, non vllo concita pulſu
Organa qui dulces explicuere ſonos.

Hydraulæ Machinamentum.

Principio immittunt ferratis orbibus orbes,
Subter & in tenebris æra voluta latent.
Aſt æterna quies foret imo exercita ferro,
Ni rupe ex alta flumina miſſa fluant.
Ecce cadit ſpumans effoſſis montibus amnis,
Clauſaque fornicibus raucus in antra ſubit:
Impleturq. alta fluuio reſonante cauerna,
Et ſpecus incluſas ebibit altus aquas.
Ipſa ſed in præceps dum lapſa euoluitur vnda,
Orta ſimul preſſo flamina calle rotat.
Aut ſequitur, fluctumue præit ſpirabile vulgus,
Et ſe præcipiti condit in ima gradu.

Sic

Sic adeo infuſæ ſpecubus pendentibus auræ
Occultæ properant frangere ſepta viæ;
Obſtruxitquè aditus ſolidis compagibus omnes,
Et moles circum ſaxea clauſit iter:
Subter aquis ſtagnat fluuius, cameramq. ſuperne
Suſpendit ſilicis glutine iuncta ſilex.
Quid faciant? magno ſtrepitu luctantur in vmbris,
Immaniq. domus turbine quaſſa tremit.
Stant geminæ, & cæco clauduntur carcere portæ.
Atque catenatis clauſtra reducta ſeris.
Hinc iter ad liquidi vocalia limina cantus:
Oſtia proiectis hinc patuere Notis.
Rumpe moram Cuſtos, validiq. repagula poſtis:
Libera captiuas effrat aura minas.
Diluuio ingenti ſe ferreus orbis in orbem
Vertat, & obſcuri laxet inane ſinus.
Et iam porta datur Zephyris patefacta canoris,
Immiſſoſq. Euros ſpirat ahena ſeges.
Et calami inflato magis intumuere metallo,
Rimoſoq. latens proſilit ore fremor.
Garrula nunc reddit, nunc fiſtula colligit auras
Subter conuerſis clauſa, recluſa rotis.
Nam quia continuo torquet ſeſe orbita motu,
Quam variant certis aſpera terga notis:
Huic ſuper incumbens numeroſo virgula ligno
Tollitur, vt dorſo prætereunte cadat.
Sic modò fert aditus, quà ſe leuis inferat Eurus:
Et modò clauduntur, quæ patuere fores,

Sic

Sic modulaturo vocum diſcrimina plumbo
Fiſſilis imparibus miſcet arundo modis.
Tuque etiam viridi Muſas modò rupe ſilentes
Iam gaudes iuſſa Phœbe ſonare Lyra.
Tibiaq. & bifori clangunt ſpiramina buxo,
Mugit & incurua tortilis aura tuba.
Pegaſei interea demurmurat vnda liquoris,
Et cœlo tolli penniger audet equus.
Quis canit? ora mouet, mouitq. in carmina neruos,
Atq. ad plectra loquax Phœbus eburna canit.
Hæc quicumq. ſubis picto conclauia muro
Ducere Phœbeum qui cupis aure melos;
Aſpice num melior profugas fortuna Camœnas
Tuſcula ad Auſonij vexerit arua ſoli.
Nunc ego digna meis habito penetralia Muſis,
Et melior Pindi vertice ſurgit apex.
Ver vbi florifero mihi nutrit culmine Lauros,
Et depicta auro regia tecta nitent.

Picturæ Conclauis.

Factorum hic opifex poſuit ſimulacra meorum,
Ne Phœbus Latio fabula priſca forem.
Non ne vides centum fixum Pythona ſagittis?
Inuidia vt victor Petrus ab angue redit.
Hinc dolet æternas Daphne mihi ponere frondes:
Ceu ſemper viuax gloria collis erit.

Hinc opifex ſtruxi peritura mœnia Troiæ*:*
Quæ ſtruis ò Princeps*, tempora nulla timent.*
Et cuſtos ouium tenui modulabar Auena:
Facta ſed ingenti Principis ore canam.
Hinc mihi ferales fingis Cypariſſe cupreſſos:
Tuſcula ſed frondes ſoſpitat ora tuas.
Marſya victe fluis liquidum conuerſus in amnem:
Hinc manat phrygio purior amne liquor.
Et ſibi nonne Midas brutas adiudicat aures?
Hinc fuge, clauſa tuis eſt domus iſta dolis.
Experta vltrices iacuiſti Nympha *ſagittas:*
Arcus ubi, hic Phœbi *ſpicula nulla nocent.*
Vos quoq. ſenſiſtis domiti mea tela Gigantes:
Sic ferro indoluit cornua rapta Padus.
Anguis & incaſſum ſuo petit Orphea morſu:
Tu nunquam hic noceas, qui nociture venis.
Sic adeo ſimili memet ſub imagine viuens
Aſpicio, hæc factis gloria prima meis.
At quæ peruolitat Teſtudine picta, reuoluit
Semper inauditum garrula murmur Auis:
Aut illa arboreis reſidet pulcherrima ramis,
Siue datur cœlo liberiore quies.
Ite procul geminum celeres diuerſa per axem
Mœnia, quot curuat barbara terra ſinus:
Vltima gemmiferum quà parturit India *Gangem,*
Et rediens mecum naſcitur orta dies:
Occiduiq. rubent quà vaſta cubilia Solis,
Aut pluuijs madidus ſibilat Auſter aquis.

Non-

Non volucres ſpectare ſolent tot diſſita mundi
Littora, non patrijs tot volitare fretis:
Conuenere meis aenſo velut agmine tectis,
Nec cœli profugæ liberæ regna petunt.
Aſpice, auis pendens camerata vertice frondis,
Infra compoſitas prona tuetur opes:
Aut ea Pegaſeis ſe contemplatur in vndis,
Redditus effulget penniger vnde nitor.
Diuitias mirata ſuas, mirata colores,
Lætitias animo turba volucris agit.
Ipſa quoque in liquidum voluit deſcendere fontem,
Vt lauet, & puris pectora tergat aquis.
Humida contorquens inuiſo at ſpicula plumbo,
Venit ab inſidijs ſubdola lympha ſuis,
Aëraq. incaſſum fixere liquentia tela;
Subiecto metuens Ales ab amne fugit.
Tuque etiam noſtris quicumq. penatibus hoſpes
Succedis, lymphæ tela retorta fuge,
Quà materna cauat reſonantes vngula fontes,
Et ſaxa in laticem Pegaſus icta ciet.
Hic ſtruit ima dolos, iaculoq. elapſa madentes
Non expectato percutit vnda genas.
Tutus eris.quà pangit adhuc Sapho aurea verſus,
Atq. auro veſtes alba Corinna tegit.
Tuq. per audaces malè pugnas Pindare cantus,
Hæc potis eſt numeros vincere ſola tuos.
Quiq. ades, haud tenui referas hos carmine colles,
Ante ferant pota ni tibi carmen aqua,

Sic ait. interea calamis modulatus ahenis
Vrget in impariles ſpiritus æra ſonos.
Ipſe equidem doctas aſperſi labra per vndas,
Noſtraq. Muſarum venit in ora liquor.
Egrediar, nè forte dolis mihi lympha paratis
Innocuum pluuio diluat imbre caput.
Cerne pauimentum maculoſæ vt teſſera cruſtæ
Pingit, & aſtra ſolo vermiculata nitent?
Et paries lapides, variataq. marmora cingit
Et teſſellatis ſaxa reſecta roſis.
Sæpe canaliculos ſeruat leuis vnda latentes;
Hic vigil occultis conditur illa tubis.
Salue muſarum domus aurea. Sæpe videbis
Europæ huc magnos ire redire Duces:
Digna Domus Domino es: titulos tu colligis omnes
Aurea, par Phœbo ſola reperta Domus.
Egreſſis medio placuit conſiſtere, quà ſe
Vndiq. mira oculis ſcena videnda tulit.
Hinc atq. hinc ramis Platanus frõdẽtibus vmbras
Explicat, irriguum quæ bibit vda merum.
Læua domus ſurgit, clauſis vbi condita tectis
Audeat hybernas ludere planta niues.
Et pila reticulo ſuſpenſum radere funem,
Et queat æſtiuum fallere pulſa diem.
A tergo niueis elata Palatia muris:
Ante Theatrali Collis inundat Aqua.

Palatium, & eius ornatus.

Pandite regales candentia limina portæ;
Regia iam vatem viſere tecta iuuat.
Tu tamen hoſpitijs Domini non æqua decoris,
Miſſa quid ad primos percutis vnda gradus?
Non hæc digna ſalus. Foribus vigilate ſuperbis,
Vulnera cuſtodes non benefertis Aquæ.
Candida marmoreis ſuccedit nixa columnis,
Terque lacunato porticus alta ſinu.
Quæ ſubit, & ſpatijs albentibus aula renidet,
Facta velit Domini picta referre ſui.
Quinq. autem camerata latus conclauia ſeruant,
Et pandunt rectas ordine iuncta fores.
Induit appenſis paries cum pellibus aurum:
Hinc lucet, variat cærulus inde color.
His notat artifices Hiſpania mater Iberos,
Et patria pulcher venit ab arte decor.
Cernis inaurati viuentia fornicis ora?
Vt picturato ſpiritus ore latet?
Si verba aſſimulat, tacitis ſunt verba labellis:
Si manus arma tenet, iam mouet arma manus.
Iſacidum ſignas hæc per ſimulacra parentes,
Pingis Idumeos clare Ioſephe Duces.
Ora Philiſtæi quatiens turrita Gigantis,
Funditor abſcindit ferrea colla puer.

Ille etiam duri meditatus damna coloni
Placat fœminea corda ſubacta prece.
Et pauet, & gladio Iuditta coruſcat Amazon,
Et ſpolia Aſſyriæ portat opima necis.
Tu quoq. quid Siſara ò dormis? en cuſpide figit
Tempora ſanguinea cruda Iaella manu.
Ipſe parens hominum gaudens ſœlicibus hortis
Errat, & heù ſcelerum ſemina prima iacit.
Primus edax hauſit pomoſo crimine pœnas,
Rura ſed amiſſo Rege beata gemunt.
Iam cochlidis conſcende gradus: ſpatia ampla ſuper (nè
Quot ſubiecta patent, tot patuere domus.
Altior auleis præcingitur aula ſuperbis:
Penſilis, atque auro pellis amicta tegit.
Et ſimili fulgent veſtita cubilia velo,
Ornat regales purpura fuſa Thoros.
Hic moror, immotoq. hærent veſtigia vultu;
Nec cupit externas quærere viſus opes.

Proſpectus è Palatio in ſubiectam Planiciem.

Et tamen è vitreis facies patet ampla feneſtris,
Qualem metiri lumina feſſa negant.
Aſpice ſubiectis tenduntur vt æquora campis,
Et iacet ipſa ſuis edita Roma iugis.

Dextra at oliuifero ſublatum culmine Tibur,
Præcipitiq. Anio flumine tecta ſecat.
Tum montanus agit duris Æquicola terris,
Monſtrat & arboreis iugera nuda comis.
Hinc ager excurrit Latijs ampliſſimus oris,
Norunt paganos lata nec arua viros.
Ruraq. non vllis ſqualent habitata colonis,
Ignotam pubes ruſtica verſat humum.
Et querimur triſtes mentiri ſemina fruges?
Vanaq. ſpem fictis ludere Farra dolis?
Olim ſudabat patrio Romanus aratro
Sollicitus culti vertere terga ſoli.
Raſtra tulit Conſul, Lauros qui geſſit ouantes,
Duxit laurigeros ad iuga lenta boues.
Tum ſulcis gaudebat humus, rurſumq. reducto
Vomere, victrices quem tenuere manus.
Nec domitus longo gemuit ſub pondere Taurus,
Vincere quem docuit bellicus arua labor.
Ergo domum grauidos referebant nocte maniplos,
Venit & ante ferax ſydera nota ſeges.
Sæpe quirinali dederunt cum faſce ſecures,
Et capitolinos Quintia rura Duces.
Nunc renuit tellus pereuntes ſoluere meſſes,
Quod malus, & campis aduena cultor adeſt.
Non dolet hic, vites ſi grandine verberat imber,
Vuaq. materno palmite vulſa cadit:
Si tempeſtiuum ſegeti Sol eripit æſtum,
Arida nec culmis flauet ariſta ſuis;

Si

Si calidus pennis ardentibus incidit Auſter,
Hordeaq. æſtiuus decoquit vſta vapor.
Tum potius dextras operi ſubducit auaras,
Proiectaq. audet fallere falce diem.
Roma tamen lætos gaudes tibi creſcere culmos;
Sponte tibi fruges, pomaq. terra gerit.
Tam fœcundus ager: tanto parat vbere meſſes
Qua Latij habitat finibus arua Ceres.
Hinc aperit colles regio tumuloſa virentes,
Educat & fortes terra Sabella viros.
Regnat adhuc veteris ſtudium per bellica laudis
Præmia, nec Martem dura iuuenta fugit.
Genti rarus amor Romanæ innaſcitur aulæ:
Quos tenuit naſcens morte relinquit agros.
Oppida per colles, per & imas oppida valles
Seruant, ceu veteres incoluere Cures.
Et Soracte tuum Princeps procul aſpicis, alta
Quà per ſumma ingens nubila fronte perit.
Hinc tacitus ripas ſtringit Tyberinus Hetruſcas,
Et flauo populos diuidit amne duos:
Tum mare Tyrrhenis ſua littora percutit vndis,
Ingentiq. vndas percutit amne Tybris.
Proxima ſepteni ſtat Roma cacumine collis,
Sed Vaticana maior in arce ſedet.
Hæc tibi proſpectu Princeps mons editus vno
Obijcit: hæc oculis Scena parata tuis.
His frueris longè, & cœlum leuis aura ſerenat,
Et nebulæ puros ambitioſa dies.

At

At domus obuerſos quà ſe conuertit in Auſtros,
Obiectum collis ſtat nemorale caput.
Hic vbi fontanis ſurgit ſtructura Theatris,
Lapſaq. præcipites perſonat vnda vias.
Stat luſus ſpectare omnes, altoq. cadentes
Culmine flumineas cernere montis aquas.

Theatrum pro Fontibus extructum

Sublimis flexu ingenti, muriſq. recuruis
Saxea manſurum machina firmat opus.
Scindit & in partes non diſſociabilis aquas,
Vt circùm inſerto plurima fonte fluat.
Quinq. autem tollens parua teſtudinis arcus,
Deſignat totidem margine curua ſinus.
Ipſa ſed impoſitis teſtudo innixa columnis
Non defecturam pondere preſſit humum.
Stant Tiburtinis ibi grandia corpora ſaxis,
Et duro immenſum vertice pendet onus.
Talis ineſt ſpecies, qualis conuerſa Tragœdis
Oſtendit Satyros ſcena vetuſta iocis.
Terminus vt latijs confinia condidit aruis,
Aut vigilem noto limine porta videt.
Hoc Fons quiſq. loci gemino cuſtode tenetur:
Tutaq. per Conchas murmurat vnda ſuas.
Hic & ſigna manent loculis commiſſa decoris,
Marmor & Auguſtos indicat ore Duces.

In medio innumeras inſculpta toreumata formas,
Cumq. viris acuunt in fera bella feras.
Et quater exiguis albaria ficta ſigillis
Signant Clementes facta per ampla manus.
Inde laboratæ faſtigia ſumma coronæ,
Extantiq. ſuper marmore fronte leuant.
Extremo ſimulacra ſuper ſtant credita muro,
Hiſq. coronatus altà leuatur apex.
Atq. illis veterum viuunt extincta Deorum
Ora, palatinis ora videnda notis.
Saxeus in patrijs populus iacuiſſet arenis,
Cui tumulus pridem Roma ſepulta foret.
Eruit at longo poſt tempore gnara vetuſtas;
Quæq. abolet, vitæ mortua ſaxa refert.
At quæ priſca nouum viderunt marmora Solem,
Læta quirinales deſeruere domos.
Paciferis pars cincta togis, pars cingitur armis,
Lambit fœmineos læna reducta pedes.
Diſſimiles fingit, parioq. in marmore nudat,
Monſtrat & impuros forma vetuſta Deos.
Ergo omnes pariter muris ſpeculantur ab altis:
Vnaq. ſollicito pectore cura ſedet:
Num noua depugnet priſcis ſtructura Theatris,
Et cedat, Princeps, luſibus illa tuis,
His equidem nullos crudelis ſcena cruores,
Non bibet immites triſtis arena neces:
Formidata feros rapient non retia Thraces:
Non aget infamis ludicra bella furor.

Vn-

Vmbroſo delapſa iugo ſed purior vnda
Implebit pluuio prodiga rore lacus.

Leo cum Tigre pugnans, & Fons Atlantis & Herculis.

Illaq. pugnantes viuaci marmore Tigres,
Vt bello accendat, fluminis arma dabit.
Et liquida aduerſos communiet haſta Leones,
Marmoreo ſtridens haſta ſed ore ſalit,
Credo equidē fugis ò Nemeæ luſtra horrida ſyluæ;
Tigribus arma moues qui rediuiua Leo.
Sed tamen Alcides tenet has, quin ſuſpicis? oras,
Grandibus atq. humeris aſtra paterna petit.
Scilicet hæc illi merces, hæc meta laborum eſt;
At gerit, & magno pondere gaudet Atlas.
Ille ferens radijs animata perennibus Aſtra,
Arbore in Heſperia pendula poma videt,
Pomaq. ludentes decerpunt aurea Natæ:
Nec tu Maia tuo, fontis at imbre mades.
Sed quæ cæruleos implent humoribus orbes,
Cœli non Aſtris Aſtra minora nitent.
Illa iubar fundunt obſcuræ noctis in vmbram;
Et tenues, Phœbus quas dedit ore faces.
Tunc quoq. conſurgat pelago ſi nubilus Auſter,
Sydera cum refugis delituere comis,

Nec

Nec niſi luce redit ſtellis Aurora fugatis;
Sydera vt intereant naſcitur orbe dies.
Tu tamen Alcides imponere ſydera dorſo
Quæ cupis, haud vllas diminuere faces.
Non nebulis, lucent non vlli obnoxia nimbo,
Immotum ſeruant non moritura iubar.
Atlantem radijs pluuialibus illa coronant:
Plurimus ac tenues circinat arcus aquas,
Tum capiti offuſis Conopea tendere lymphis
Certant, & madido pectore vela liquent.
At tu ſigniferum Alcide non aſpicis Orbem?
Aldobrandinæ ſunt vbi raſtra Domus.
Non ſua ſic fulget cœli per cingula Phœbus,
Et noua fœcunda munera luce parit:
Signiferis Princeps quot fundit lumina raſtris,
Donaq. largifluo lumine miſta iacit.
Dixeris, hic Sol eſt: maior quoq. Sole refulget,
Qui gerit, & vultu non tamen aſtra tegit.
Atq. ibi bellorum cernis ſi monſtra tuorum,
Æterna laudis ſculpta trophæa vides.

Irriguæ Aquis Columnæ.

Tuque ſuperpoſitis miratus ſaxa columnis,
Lapſa vbi Mæandris luditur vnda ſuis;
Noſcis ad extremas olim tibi condita Calpes
Et duo virtutis ſigna refixa tuæ?

Non

Non illos forti iam quærit ab Hercule fines
Quæ maior gemino terra ſub axe patet.
Atq. alijs longè confinia terminat oris,
Quas Luſitanæ conſtituere rates.
Quas Ligur occidui vectus trans æquora Solis
Ignotis aperis magne Columbe fretis.
S*tant procul immanes vllo ſine nomine gentes*
Et Pelagi immenſis diſſita regna vadis;
Quò noſtri venere Duces. non vltima mundo
E*uropa, aut medias Africa cincta faces.*
H*as vltra veniſſe iubet Virtuſq. Laborq.*
Auſaq. fœlices, Ingeniumq. viros.
Tantũ eſt ſceptra ſequi, magnoſq. per ardua Reges,
Seù Caſtella tuos, ſiuè Olyſippo tuos.
Sed quos Herculeo Petrus dat limite fines,
Non alios meritis vltima terra daret.
Hoc, vbi compoſitas erexit monte columnas,
Gloria manſuros condidit antè Lares.
Par fuit Herculeos requieſcere colle labores;
Clarus vbi æternùm nomina fixit Honor.

Turbo Pluuius.

Hic quoq. cernere erit rigida ſub rupe latentem
Enceladum rupta caute leuare caput.
Ille tamen (quamquam Sicula *ceù mole Sepultus*
Vaſta ſuperducto pondera monte gerit)

Eiaculatur aquas, ac denſi Turbinis imbres,
Et ferus vndoſis verberat aſtra globis.
Sic tonat excuſſis, ſic fulminat Ælia flammis,
Et tenebras Moles turbinis igne rapit.
Sic latices, nubemq. Gigas pleno ore ſonantem
Viſcera & intorto gurgite vulſa vomit.
Et reſonant crebris prorupta tonitrua nimbis,
Et iam venturo fulmine terra pauet.

Aqua per ſcalas demiſſa.

Forſitan excuteres rabido mala pondera dorſo,
Herculis at magni proximus ora tremis.
Et metuens ne molem agites, rurſumq. reſurgas,
Mergit in obſtantes fluminis vnda lacus.
Illa; cadens fremitum ſcalis qua voluit ab altis:
Spumea præcipites percutit amne gradus.
Et modò frangit iter frangentibus obuia ſaxis:
Et modo depoſuit quas tulit alba niues.
Excubiæ circum vigiles, ne diffluat humor,
Ne ceſſet lapſu mobilis ire liquor.
Et Cochlea, & ſemper potans ſua flumina Cancer
Et Canis, & placidis pota Leæna iubis,
Sic ſecura trucem fluctu premit vnda Gigantem
Irarum ille ſuas auget ab imbre faces.

Alij Theatri Fontes.

At dextrà læuaq. Tybrim ſeu lympha ſalutat,
Cæruleo fontes aut Aniene *ſonant.*
Hi medijs ſedere Cauis, Nymphæq. canentes
Hinc atq. hinc pelago nata coralla legunt:
Sedulus & Triton fert ſaxea pondera menſæ:
Menſa perennantis munera portat aquæ.
Tum calamos vicinæ moues Polypheme *paluſtres,*
Et tecum querulus carmina miſta latex.
Quà Galatea ſedens ima teſtudinis vnda
Seruat muſcoſi littora nota vadi.
Sed *contra ſublata vocans in cornua Chiron*
Cogit luctantes murmura ferre Notos.
Cornua dant ſonitum, ſonitu ceu verberat auras
Venator, celeres cùm ciet ære Canes.
Accurrunt pelago ſua per conchilia Nimphæ:
Delphin dat facili colla ſubacta iugo.
At caue qui ſpectas ſimulacra natantia ponto,
Quas iaculet Delphin perfidus, hauſit aquas.
Inde Theatrali *lunat curuamina flexu,*
Tum longo moles limite recta ſubit.

Ad Scalarum ingreſſum Aqua effunditur.

Marmoreis aſtat portis hinc durior ipſo
Marmore, quo fingit mauricus ora Leo;
Non vngues, non ille acuens in vulnera dentes,
Protinus effuſo ſed ferus imbre ferit:
Hinc peior vigilas, vndantem Belis & Vrnam
Fundis in aduerſas inſidioſa fores.
Et tu nupta ferox veteres ſolare querelas,
Tandem plena tuas prægrauat vrna manus.
Diſce quoq. immites quo mutat munere pœnas,
Optatas Dominus ſi tibi ceſſit aquas.
Mitior ipſa tamen ſocios imitare Leones,
Neu grauis effuſo depluat amne calix.
Aut tibi perrupto reddantur dolia fundo,
Barbara quæ lymphis hoſpitis ora feris.
Ecce gradus tandem, caſuſq. euaſimus omnes,
Atq. erit extremus frondea Sylua labor.
Tres adeò apparent fontes, liquiduſq. refundit
Quiſq. ſibi recta flumina miſſa via.
Ille autem arboreis altiſſimus accubat vmbris,
Atque vetus pulſant murmura longa nemus.
Illic effoſſi montis diffuſa latebris
Ad primos aditus lympha quieta fluit.

Atq. eadem properans fremitu ſpumoſa canoro
Tophina mox primi limina fontis adit.
Cuncta ibi tincta vides nigra ferrugine ſaxa,
Et prope natiuo flumen adeſſe ſolo.
Diſſita iam plenis mittuntur flumina conchis,
Diuiſuſq. fugit ſcrupea ſaxa liquor.
Quot circum vigilant frondenti vertice laurus!
Et ſua cognatas circinat arbor aquas!
Aſt illa tacito celantes murmura riuo
Fontis in alterius tecta ſecunda fluunt.
Structor ibi paruis imitatur vera lapillis:
Teſſera depictum diſcolor vrget opus.
At lacus interior labentibus æſtuat vndis,
Æquora & illiſo gurgite lapſa fremunt.
Tertius at ſcabro qui fons ſe pumice veſtit,
Herculeos fines proximus amne ſecat.
Hic & odoratas denſiſſima ſylua cupreſſos,
Infœcunda ferax robora nutrit humus.
Quid dicam, Querceta Notis vbi tuta laborant?
Et Boreas quaſſo flamine victus abit?
Multifidas Pineta comas vbi cincta coactis
Ordinibus rectas diſſecuere vias?
Aut vbi per denſas tenduntur retia lauros?
Ales & inuiſa vincula caſſe gemit?
Seu latet aucupium plantis nemorale doloſis;
Lapſa nec inſidias aduena ſenſit auis?
Heu male viſcatis credis tua corpora virgis,
Pabula ſtridenti triſtia morte leges,

Quid dicam currus erecto in colle volantes?
Quà teritur raptis ſemita curua rotis:
Semper & accliui montis patet area dorſo,
Et ſylua intonſæ frondis inumbrat iter.
Non ego tot valeam tenui comprehendere verſu,
Et Phœbus numeris abnuit iſta meis.
Tuq. adeo hæc fingis rerum miracula Princeps;
Magna, ſed ingenio non tamen æqua tuo.

ITER

ITER NEAPOLITANVM.

ELEGIA I.

Velitræ.

ME quoq. Parthenope regalibus alta coro-
Cepit, & æquoreo nobilis ora ſinu. (nis
Vtq. canit vates Satyris Venuſinus ama-
Sic relegam tenui carmine feſſus iter. (ris,
Dicere quis prohibet? Muſaſq. aliena canentes
Facta, ſemel factis inuigilare ſuis?
Vatis & exiguas non aſpernabere curas
Tu quoq. iam noſtras Phœbe remenſe vias.
Ergo abitum celerans veteres affabar amicos:
Flebilis inq. vicem miſſa, recepta ſalus.
Arduaq. egreſſus Romanæ limina portæ,
(Vergis in aduerſos quà Laterane Notos)
Roma vale, dixi, & nimium mihi candide Tybri,
Et dilecta oculis arua Latina meis.
Protinus aërios colles, & Tuſcula rura,
Et viſo arboreis florea ſepta iugis.
Tum via montanos aperit magis edita calles,
Stagnaq. & Albanas laua relinquit aquas.
Apparent tepidæ ſubiecta in valle Velitræ,
Aruaq. & Hetruſci cærula vaſta maris.
O malè nimboſas non æqua in nocte Velitras,
Sæpius ac triſida mœnia tacta face.

Iſſe per aduerſi mallem iuga frondea montis ;
Flumina præcipitant, fulmina valle vibrant.
Succeſſi hoſpitijs, anguſtaq. tecta ſubiui;
Et nigra ſuſpecta nubila nocte volant ;
Aſtraq. condiderant . ſtratis ego feſſa locaram
Membra ; ruit, nimbos raucaq. voluit hyems.
Iamq. ſuper rupto labuntur flumina cælo:
Iamq. Veliternis ſtagna nouantur aquis .
Me miſerum: Quid enim ſupereſt, niſi paupere tecto
Innocuum vitæ frangere fila meæ ?
Ecce tonat mundi ſtridenti cardine poſtis ,
Nutanteſq. ferit flamma triſulca domos .
Pectore iam primus ſomnum decuſſerat imber ,
Venturoq. timens fugit ab igne ſopor.
Quis mihi tunc animus , cælo dum fulmen aperto
Nubila flammiferis findit hiulca comis ?
Proh quanto armatur volitans Mors improba telo?
Vt feriat, mundi machina vulſa ruit .
Tantum erat imbelles ſtrauiſſe . Sed *impia contra*
Gens furit, atq. iterat mox peritura nefas.
Iamq. adeò pauidos circum tremor inficit artus,
Inuigilantq. animis fulmen, & vnda meis .
Interea trabibus laquearia nexa fatiſcunt ,
Spargit & immiſſas denſior Auſter *aquas.*
Et male ſurgebam lapſis modò lotus ab vndis ;
Dant lucem obſcuro fulgura miſſa thoro .
Credite longæuos qui poſt viuetis in annos ,
Vix legi è ſumma corpora merſa domo .

Omnia

Omnia ſunt hominum cupidæ mala ſemina morti;
Ipſa etiam ſolido corpore mergit humus.
Nox abeat, fugiantq. atra cum nocte Velitræ,
Tuq. Aurora tuas candida pande fores.
Vos quoq. Setinæ paulum miſereſcite cautes,
Stagnaq. Pontina valle reconde palus.
Neù tantũ Hybernis exundet ab imbribus humor,
Vdaq. peſtifero compleat arua ſitu.
Arua procul lento ſuperabo humentia limo,
Aſcendam, & duris ſaxea tecta iugis.
Siquis pacati tranquilla recumbere ponti
Æquora, & immotæ cærula vidit aquæ:
Haud aliter credat pingues ſubſidere valles,
Proximaq. Hetruſco culta iacere freto.
Quæ vetus inſtratis interſecat Appia ſaxis,
Nutrit & annoſus robora vaſta ſilex.
Hæc olim regio duri latiſſima Volſci
Fortia Romanas mouit in arma tubas.
Sæpe Quirinales expauit in agmine faſces,
Sæpe Palatinas Marte ſubegit aues.
Alta quaterſeno concluſerat Oppida muro,
Quæ modò per campos canna paluſtris habet.
Quantùm æuo premimur! quãtis heù morſibus orbẽ
Sole ſub infeſto ſecla vetuſta terunt!
Hic vbi Romanis adiuncta Suburbia tectis
Non intermiſſas compoſuere domos:
Totq. olim vixere vrbes, tot munere belli
Clara triumphales Appia vidit auos;

Vaſtæ

Vaſta palus, algaq; natant, atq. arboris vmbra,
Terraq. ſylueſtres fert inarata rubos.
Quàq. iacet vacuus cognata vligine campus,
Erumpit grauido pinguis ariſta ſolo.
Mœſia non illis certet, non Africa culmis,
Itala non alio ſydere culta Ceres.
Infert ſe medium campis pulcherrimus Vfens,
Et liquidas placidè flexilis vrget aquas.
Ille iugo lapſus, montanis clauſa latebris
Dulcia ſubiecto flumina fonte parit. (*Vfens*
Nec tamen amne minor, nec aquarum inglorius
Æquorea vndoſis cornibus arua quatit.
Neſcit inoffenſus lapidi ſe frangere vortex,
Quem vaga remigio cymbula parua ferit.
A tergo tollunt ſcopuloſi culmina montes,
Et circum rigidus prata coronat apex.
Lauus præcipites decurrit ad Anxuris arces,
Saxaq. tyrrhenus perluit vda liquor:
Dexter ad occiduas curuata fronte Velitras:
Tum fœcunda iterum meſſibus arua iacent.
Stant dorſo tutis pendentes turribus arces,
Quà Tyberi ſeruas tecta latine Coras:
Et Caietanas quà Sermoneta volucres
Non auellendis mœnibus alta colis:
Priuernumq. vetus, quà forti Amaſene Camilla
Clarus adhuc noto flumina fonte vehis.
Tu quoq. candentes caput inter Setia cautes,
Mœnibus & claro nomine priſca leuas.
Diues

Diues oliuiferi ſalue mihi Setia montis,
Et pauido hybernos ſoſpita amica dies.
Infœlix ſuccedo hoſpes, dum nubilus Auſter
Mecum flabra mouens carpit, & Eurus iter.
Hei mihi qualis eram! poſſes quoq. turbidus Vfens
Imbribus in valles altior ire meis.
Ingredior tandem portas, atq. ardua tecta,
Et quæſita nouo in limine parta quies.

ELEGIA II.
Setia in Volſcis.

MOns eſt æquoreos alte porrectus in Auſtros:
Plurima vbiq. ſilex, albaq. ſaxa rigẽt.
Syluaq. frõdẽtes oleæ tenet ardua ramos,
Regnat & alternis bacca refecta cadis.
Hinc, atq. hinc gemini maiore in nubila dorſo
Aſſurgunt montes, aſtraq. ſumma tenent.
Cliuoſa in medio tellus, ceù valle reducta
Submiſit faciles, nec tamen æqua, ſinus.
Hic vetus obſedit rupes, ſcopuloq. virenti
Suſpendit denſas Setia tuta domos.
Auſter in aduerſam magno ſe turbine frontem
Immittens madido plurimus ore ſonat.
Illum & ſpirantem nebulæ, repetuntq. cadentem,
Immotæq. vdas implicuere dies.
Quà promis Cynoſura tuos, neq. mergeris, axes
Percutit alta triceps ſydera montis apex.

Mu-

Muſa tenet Porrona iugum, frondoſaq. tecta
Montiuagis habitat vix habitanda feris.
It veneta ex humero veſtis, tum luthea peplum
Velat crinales per nigra colla niues.
Proq. pharetrato comitatur Apolline Tollus,
Et cautes valido pulſat & antra pede.
Tolle Pater, tu vocali teſtudine fila,
Tu veterem refugis ſollicitare Chelyn.
Nulla per intonſos frondet tibi laurea crines;
Nulla premunt ſeptum Gnoſſia tela latus.
Diceris & canis animum lenire capillis.
Fœdaq. rugoſis ducere ſigna genis:
Lurida frons: tenuat macies & ſquallida vultum:
Dentibus excuſſis nec bene lingua ſonat.
Et tu quos habitus Setinis ruſticus agris.
Induit: atra ſitu quæ gerit ora, geris.
Pileolus frontem, cui fimbria nulla, coercet,
Et caua depreſſus tempora velat apex.
Atq habilis pectus villoſa gauſape thorax,
Concolor & ſimili ſtamine lana tegit.
Laneus includit ſuras ferrugine pero,
Socculus vt faciles deuoret ille vias.
Et circum exiguos funis reuolutus in orbes
Lina ſimul nexi ſubligat vda pedis.
Sic ego crediderim laxatis nocte iuuencis
Veniſſe antiquos vrbica tecta Cures.
Sic quoq pellitos medijs cogebat ab aruis
Sole ſub ardenti Curia priſca Patres.

Mos,

Mos, habituſq. viget montanis creditus oris:
Seruas Setino maxime Tolle iugo.
Tuq. canis mecum. video, quid mollibus abſit,
Et numeris Carmen quàm ſit agreſte meis.
Ardua ſepoſitum mihi Setia præbuit annum,
Et placidos dederat per ſua tecta dies.
Menſq. auris inſtructa nouis, cœloq. paterno
Tum deſcendentes læta vehebat opes.
Ipſa quoq. ignotos dederat cognoſcere mores;
Quos Pater à priſcis forte trahebat Auis.
Cœtera quid memore? miſeri date carmina fletus,
Miſſaq. funereis triſtia verba modis.
Sydere iam prona reuolutus Aquarius vrna
Miſcebat tenues nubilus imbre dies.
Ecce mihi tacitæ reſonant clamoribus vmbræ,
Noxq. repercuſſos reddere viſa ſonos.
Et iuga fœmineos nemoroſa effunde e ueſtus,
Et nigra vicinæ tecta vlu are domus.
Sollicitus dubias voluebam pectore curas,
Has quoq lux primo ſole ſerena fugat.
Mors cara abſtulerat iuuenem, ſua gaudia, matri,
Flebat & aggeſto frigida membra thoro.
Turba ſubit cognata demum, renouatq. dolores
Pectoraq. aſſiduo verbere tunſa ſonant.
At mater laniata genas, reſoluta capillos
Inuitat ſocias ad ſua verba Nurus.
Soluite, ait, mecum muliebribus ora querelis;
Crinis & impexus colla per ima fluat.

Non

Non ego ſollicitem vanis vos Præfica dictis;
Quæ repetit luctus, hæc modo Mater erat.(huius
At nunc quos gemitus, quantas mihi nominis
Amiſſus lacrymas promere cogit honor!
Plaude manu, demitte comas, quæcumq. dolori
Triſtia moliris ſemina ferre meo.
Tu nè iaces duros inter molliſſime Volſcos?
Nec puer hæc annis mors erat apta tuis.
Quam bene conuerſo terram dimouit aratro:
Quàm benè frugifera meſſuit arua manu.
Soluite Setinæ muliebribus ora querelis:
Immatura necis ſoluite iuſta Nurus.
Quàm bene diſtentæ poſuit mulctralia vaccæ:
Quàm bene maternas Paſtor alebat oues.
Quis melior vincire feras? quis nectere viſco?
Seraq. nocturnis ſcindere ligna focis?
Quid, cum virgatæ cingebat ſtamina telæ?
Et caligis iunxit Serica picta nouis?
Tempora plumifero quid cum velata galero
Texit, & intonſis fortia colla comis?
Candida ſeù praſinas ornaret linea braccas,
Et fluerent lota lactea lina manu?
Ante alios ibat tunc formoſiſſimus omnes,
Nec certaturos vicerat ille Duces.
Pulcher at informi languet mihi pallidus ore,
Ille nec heù poſſim dicere, natus erat.
Nunc mecum lacerate comas, nunc tundite pectus;
Hæc aderunt lacrymis gaudia ſola meis,

Sic mœſta ingeminat, geminat quoq. mœſta querelas
Circum fœmineis turba coacta choris.
Hactenus ad gemitum mirantes vertimus aures;
Plauſibus apta venit, lætitiaq. dies.

ELEGIA III.

Piſcoſus Vfens.

IAm Sol Lædeos reuocabat in æthera fratres,
Pictaq floriferas terra gerebat opes.
Flumine cùm placido manãs chryſtallinus Vfẽs
Senſit piſcoſos per vada lenta ſinus.
Ire iuuat, rupes multo quà pinguis oliuo
Vergit ad occiduæ ſubdita prata viæ.
Et circum aſtabant tenues in littore lintres;
Iamq. repercuſſis nare phaſelus aquis.
Iliceus gemino volitat cum remige lembus,
Subuehit & faciles lympha ſecunda rates.
Forte etiam patrijs Vfens pellucidus antris
Lambebat ripas mitior amne ſuas.
Hinc, atq. hinc mordens fluuiales educat alnos:
Et natat, & notis mergitur vmbra vadis.
Ecce niger liquidis infert ſe Bubalus vndis,
Et ſaltu innocuas deſuper vrget aquas.
Vidi ego de ſyluis totum bubile repoſtis
Terribili noſtrum cingere fronte latus.

Turbida continuò moto ciet æquora limo,
Inficit & nigro ſtagna refuſa ſolo.
Iamq. atris Vfens exæſtuat imus arenis,
Et nantes reuocat per vada ſumma feras.
Sed non Mulle natas, non vibras membra Silure,
Flumen alit grandes per vada cæca Lupos.
Stellatóq. Salar librat ſe corpore lymphis,
Et repetit dulces aduena Mugil aquas.
Longaq. Murænas imitans Anguilla Sicanas
Poſt ſapiet verſo mollè deuſta veru.
Vmbraquè limoſas & non oblita paludes
Tinca tamen liquidos quærit operta ſinus.
Ducite captiuos nigranti flumine piſces,
Ante ſubit furuo bos violenta pede.
E cymba tereti ſubmittite retia circlo,
Ecce ſupinato corpore Mugil adeſt.
Ponè Lupus: repleat fluuialis præda phaſelos,
Impleat & curuas nobilis eſca rates.
Eſt locus obiectis quà perſecat inſula terris,
Et fluuium geminis cornibus icta ferit.
Gramine ibi flores, ibi frondibus emicat alnus,
Vndaq. & æſtiuos decipit vmbra dies.
Huc, vbi conuerſæ requierunt roſtra carinæ,
Venimus: hoſpitijs herbida fouit humus.
Ciuis adeſt, lætijq. iubet diſcumbere menſis,
Lætaq. muſcoſos præbuit herba thoros.
Non ibi diductis embammata cocta vitellis,
Non vnctis aderant fruſta coquenda focis.

Nul-

Nullaq. ſunt dulci medicata iecuſcula muſto,
Sed fertur modica didita lance penus .
Lactucas; teneris cœnamus & intyba fibris .
Et muria, atq. acri fæcula miſta garo .
Torridus interea Mugil ſartagine feruet ,
Et patina elixos non capit ora Lupos.
Inter & erucas, apiumq. inulaſq. natantes
Tinca incocta grauat, mazonomumq. Salar .
Sic hilares dapibus menſas oneramus inemptis ,
Piſcoſoq. iterum defluit amne ratis .
At longùm montoſa vale mihi Setia : tandem
Priuerni læuam fas celerare viam .
Tuta modo: infeſtis olim via conſita telis,
Cùm premeret Latium perfida Roma Ducem .
Et Populi veteres inclamans Libera faſces ,
Romanum obiecta clauderet arce Patrem.
Pròh ſcelus . Antiſtes vultus ſimulatus aniles
Tempora nocturna vix legit apta fugæ .
Eugenium placido ducebat flumine Tybris ,
Compoſuit leni gurgite Doris aquas.
Illi & pacatos patefecit Hetruria portus ,
Et profugum Tybri iuſtior Arne vides .
Signa Vitelleſcus Latiam ſed ducit in Vrbem ;
Iamq. reuerſuri Præſulis arma mouet.
Ille ferox animo, duris dabat Ægida Muſis,
Et tulerat docta fortia bella manu .
Agmina nec clauſo ſpectare hoſtilia vallo ,
Nec docilis tuto ponere caſtra iugo.

Prælia poſcebat: caneret cum buccina Martem,
Perſonat hoſtilis ſigna propinqua necis.
Mox quoq. cùm fortes ornauit purpura criſtas,
Et Tyberina nouus venit in arma decor;
Bella eadem ductor, ferrumq. hoſtemq. vocabat,
Atq. iterum notis laurea nexa comis.
Ergo vbi captiua poſſedit mœnia Romæ,
Fregit & auerſos vnus ab arce viros.
It Latio, ſtragemq. gerit; fugere Dynaſtæ,
Et condunt pauidos oppida clauſa metus.
Ille domat Gabios, Albamq. arcemq. Sabellam,
Turbaq. Romanas quærere iuſſa domos.
Iam Præneſte ruis, domitis & Aricia *muris,*
Feraliq. ſonant Hernica ſaxa tuba.
Clauſerat occluſas Fruſino tutiſſimus arces,
Nec bene defenſas ſenſerat ille domos.
Priuerno Piſane dabas male iura ſubacto;
Tu quoq. bella vocas, nec tua damna vides.
Hoſtis adeſt, tu vincla ſubis: miſerandus oliuo,
Pendula tu gemino corpora fune leuas.
Has referet palmas hic bello clarus honeſto:
Hunc ſparto duplici frangite, victor ait;
Altus oliuifera quæratur ab arbore ramus
Pendeat hinc ſocijs altior ille ſuis.
Dixit: & inuectum merito Capitolia curru,
Venturumq. genus patria Roma colit.
At cum Sole *dies hic me pereunte reliquit:*
Poſt cœptum numeris expediemus iter.

ELE-

ELEGIA IV.

Priuernum, Foſſa Noua.

NAſcitur alma dies, longaq. ambage viarũ
Parthenopes iterum carpere cogit iter.
Quos mihi comis Equos Equiti nimis aſper Agaſo?
Claudicat alterno Mula proterua pede.
Non bene tarda premit pedibus veſtigia valgis:
Labitur, & lapſum non bene cœca videt.
O vbi ſola iugum lento trahit eſſeda loro,
Et domitor latis frena relaxat agris.
Talis Hyperboreis fertur vagus incola regnis,
Et celeres curru Sarmata iungit equos.
Imbribus illa iacet regio durata niuoſis,
Et nimis hyberno friget aduſta gelu.
Arua pruinoſis tenduntur & obſita dumis
Vulnus aratura non habitura bouis.
Aut ibi ſuſpenſis innectens nubila ramis,
Erigit antiquas Pinea ſylua comas.
Solaq. vimineo teritur via peruia curru:
Calcantur ſolidæ nocte dieq. niues.
At nos per valles, quà peſtifer effluit humor,
Saxaq. montanis venimus alta iugis.
Sæpius incertiſq. viæ, noctisq. per vmbram
Vix tuta hoſpitijs, paruaq. tecta patent.

Priuerni ſaluete domus, Colleſq. minores,
Qui melius (poſſim dicere) vallis erant.
Tuq. Amaſene tuis tacitus qui laberis vndis
Sterne viam facili prætereunde vado.
Neue addant animes Romani carmina vatis,
Volſca neq. ad ripas ficta Camilla tuas.
Ecce antiqua viret frondenti Subere ſylua,
Proxima & aërijs frondibus aſtra petit.
Læua tenent rigidi, vergunt & ad æquora montes:
Dextram ſylua aperit vallibus ima latus.
In medio Patribus ſedes habitata vetuſtis,
Semirutaq, manet machina priſca domus.
Ingredior, veteriq. Nouas de nomine Foſſas,
Et veneror tereti templa videnda tholo.
Deuotas fœcunda virum, fœcunda ſacrorum
Gallia ab arctoo tranſtulit orbe manus.
Ipſe ſuam ducens Bernardus ad extera gentem,
Quærere ſylueſtris iuſſit opaca ſinus.
Ille & inaſpectas ponebat Ciuibus ædes,
Lucus vbi, & rigui ſylua profunda ſoli:
Et nebulæ, & gelidi grauis inclementia cœli,
Triſtior, & vitæ non bene fidus ager.
Quippe animi valido ſubſidunt corpore vires:
Quo magis hoc premitur, tollitur ille magis.
Ergo ſacris deuota cohors, dilectaq. cœlo
Limina frondenti candida valle tenet.
Sed nihil heu magni reſtat niſi corporis vmbra;
In cineres abeunt tecta ſepulta ſuos.

Tantum aui mutat ſenium, Martiſq. tumultus
Geſtaq. per ſauos Itala bella duces .
Tu renouas tamen ò titulos illuſtris Aquinas ,
Tecum iuncta loco Fama ſecunda viget .
Hinc fugis ignifero veniens ſuper æthera curru,
Et celſus quondam ſydera victor adis .
Mœnia linquebas Cauris infida marinis ,
Et Patriæ heu factis inuida tecta tuis .
Forte etiam triſti dederat tibi dulcia melle,
Liba venenatis & glaciata roſis .
Inſcius hauſiſti tacita mala ſemina mortis ,
Languidaq- irrupit lentus in oſſa calor .
Tu tamen interea ſanctis pia ſydera votis,
Sydera tu meritis debita morte ſubis.
At quantus perijt! miſerum proh quanta per orbem
Tempeſtas lethi triſtia ſigna dedit !
Et ferus hæc cœlo monſtrauit facta Cometes ,
Cinxit & immites crine rubente faces ;
Libra capillatum tremefactis Lancibus aſtrum
Nuper vt ad geminas compulit ire Feras.
Aſt ego nunc vacuo componam vota ſepulchro ,
Signat vbi pictum ſtructilis Ara Patrem .
Hic caſtæ quondam exuuiæ, cinereſq. iacebant,
Candida cum tegeret candidus oſſa lapis.
Fortunata ſacros nunc Gallia poſſidet artus ,
Et fruitur caris non adeunda bonis .
Sed tu dona tamen non parciùs æthere fundis ,
Et miſſa referunt munera certa preces .

Ocyùs ergo pater miſeris ades. ecce iuuentus
Depaſcit ſtudijs tempora læta ſuis.
Atq. recedentes veſtigat ſedula Muſas,
Romanum eloquij docta parare decus.
Te quoq. dum primis ætas adoleſceret annis,
Detinuit blanda gymnadis arte labor;
Complexus quæcunq. adytis Natura repoſtis,
Diuiniſq. tegunt verba loquenda notis.
Impiaq. horrebat vibrantem fulmina linguam,
Turba tuas ſenſit fortiter icta manus.
Da pater ò puro ſimiles in corpore ſenſus,
Et bonus auxilijs pectora finge tuis.
Tum labor, & miſeræ fugient ſtudia aſpera vitæ
Et Pietas durum culta iuuabit opus.
Sit votis cœloq. datum. Sol actus in altum
Æthera, iam culmen pulſat Olympe tuum.

ELEGIA V.

Tarracina, Circeium, Laus Italiæ.

PErge viā, niueas penetrabimus Anxuris ar-
Vrbis & extremo pendula tecta iugo.(ces,
Dextera Circeios circumſtāt æquora montes,
Et quondam magicis antra timenda Feris.
Priſca ſed Ææa ſileat iam fabula virgæ,
Nec canat humanos exululaſſe Lupos.

Priſca

Priſca vetat Tyberis, Sagana mala vulnera paſ-
Audiri, & veteri verbera mota manu. (ſus
Non ille ingemuit cantatam murmure Lunam,
Aſtraq. ſanguineis erubuiſſe comis.
Sed queritur nigram diſcincta venefica pallam,
Portat auernales quòd violenta focos.
Quòd Cratera nitens inuerſo vitrea fundo
Aurea ſuſpenſis furtá notabat aquis,
Et Furias furialis agit, paſſiſq. capillis
Circumſtans faculis circinat agmen anus.
Flauia nutarunt ſtygio cantamine ſaxa,
Et ſeptena atris vocibus aula tonat:
Cùm puer infandis aſtaret victima ſacris,
Vt magicos teneant fulua metalla choros,
Viſus erat mollire ſolum, colliſq vetuſta
Balnea, & auerſa ſiſtere noctis iter.
At Pater, ah crudum ſtringebat Barbarus enſem,
Et ſua iam nati vulnere membra ferit.
Ite, ferum prohibete nefas, templiſq. ſub altis
Accipiant auſis prœmia digna ſuis.
Ardua ſuccenſis ſubeant tabularia ceris,
Iudicis & ſacri publica iuſſa tremant.
Tuq. adeo incaſſum clamas Incendia vulgus,
Atq. crematuras Romula turba faces:
Si culpa infœlix tepidis extinguitur vndis,
Quas oculis, mœſtus nutrit & ore dolor.
Infernas lacrymata timent non crimina flammas,
Quiſq. ſuo id ſceleri dulce piamen habet.

Sed nimis ad ſæuas numeros conuertimus artes
Tarracina meis læua petatur equis.
Hic tamen æquoreas pater Apenninus ad vndas
Cur rigidum gaudet tollere ad aſtra caput?
Natus ab alpinis qui dorſum cautibus ingens
Italiæ medius culta per arua leuat.
Et ſubiecta bibunt geminatos littora fluctus,
Thuſcia ſiue tuos, Adria ſiue tuos.
Sed quamuis Italas medius ſecet ille nouales,
Sæpe tamen pelagi proximus alta petit.
Nec ſolum extremis Calabrum diſcretus in oris
Saxa per Ionium porrigit vda fretum;
At Ponti tumidas alibi curuatus in vndas
Arduus Hetruſcæ murmura quærit aquæ.
Scilicet vt tutas defendat montibus oras,
Atq. includat opes Itala terra ſuas:
Et paſſim vario niteat pulcherrima cultu,
Cunctaq. fœcundo proferat orta ſinu.
Æquora frumentis, ſunt apta cacumina ſyluis:
Mitis in apricis collibus vua rubet.
Non depreſſa hyemes horrebunt arua rigentes,
Excoquit æſtiuus ſed magis ima calor.
At Boream metuunt montes, Caurosq. niuales;
Hic tamen ardentes temperat aura dies.
I, Calabrum pete longinquis in finibus agros,
Quos æſtas calidis vrit aduſta Notis:
Et Sol immiti renouans incendia curru,
Flagranti propior percutit igne domos.

Nubi-

Nubibus inſurgit gelidas ibi Sila per auras,
Et rupes nigro vertice Sylua tegit.
Vrget adhuc Phœbus Nemesi ſydera monſtri;
Sed fugit auerſus frigida ſaxa calor.
Vixq. duos pluuijs menſes viduata pruinis
Ponunt algenti libera monte niues.
Ergo ibi iam tardis ſtabulant armenta diebus,
Et fallunt rabidum frigore tuta Canem.
Hoſpitio Zephyros pecoroſa cacumina condunt,
Nec ſua frondoſum deſerit aura nemus.
Æſtas interea ſubiectis torrida campis
Munera fœcunda ſpicea meſſis alit.
Sic magnis diſcreta bonis ſe terra viciſſim,
Diuerſoq. ſuas fœnore ſeruat opes.
Quod non arua ferunt, duri dant culmina montis:
Quo caret hic, Domino paſcua rura dabunt,
Montanis bibula guttis implentur arena,
Deciduuſq. *fluit viſcera ad ima latex.*
Et ſubter ſcabra ſudant humore cauerna,
Mox vaga naſcenti flumine lympha ſonat.
Floriferiſq. cauas mordet conuallibus oras,
Aridaq. herboſis flexibus arua rigat.
Sic lato fœcunda ſinu parit Itala *fruges,*
Terra nec externis ſupplicat vna plagis.
Illi pomiferis pugnet non altera ſyluis,
Nulla pares Cereris munere iactet agros.
Quis mihi ſepoſitos laudat procul orbe Britannos?
Quæq. per arctoas exit ariſta plagas?

Molli-

Mollibus Heſperiæ quis fingit nomina lanis,
Quas dat arenoſo paſta capella ſolo?
Hic pecus, hic matura ſeges, preſſuſq. racemis
Effluit ambroſio dulcior amne liquor,
Menſibus hybernis tepidæ dant paſcua valles,
Æſtiuo repetit culmina Sole *pecus.*
Aſpice fœcundos montis ſine vertice campos,
Latior Alpinas quà Padus *vrget aquas.*
Gallia quà gentes ſeponit flaua Togatas,
Et Longobardos flexit Alanus *equos.*
Aſpice fœlici quà ſe Campania tractu,
Explicat, & tepidis littora curua fretis.
Alta maritales ibi Populus implicat vuas,
Atq. *replet dulces penſilis vua cados.*
Cerne vbi ſe campis attollit Roma latinis,
Et domini illabens Tybridis vnda fluit.
Culta Ceres latè grauidis flaueſcit aceruis:
Roriferis habitant mitia poma iugis.
Aſpice montoſis quà ſurgit Hetruria terris,
Et regio ſenis Orbibus vna patet.
Vndiq. naſcentes miraberis arbore fruges,
Caudice & è bifero poma ſecunda leges.
Sed tamen elatis quos Anxurus incola muris
Obſedit montes, quà iuga Ciuis habet;
Non illo frumenta nitent, non vinea cliuo,
Tantum aperit raras ardua ſylua comas.
Nuda pruinoſo pendere cacumina dorſo,
Phœbeis videas torrida ſaxa rotis.

Proxi-

Proxima tyrrhenos attollunt æquora fluctus,
Atq. illiſa altis cautibus vnda fremit.
Vix iter anguſto diduxit ſemita calle:
Seu mons aſtra petit, ſeu mare turbat aquas.
Mox via laxatur, fugiunt quoq. murmura ponti,
It mons perpetuo læuus in aſtra iugo.
Iam campi apparent, ſpatioſaq. iugera terræ,
Et ſilicem feſſis Appia pandit equis.
Intramus veteres frondoſa per æquora Fundos:
Montibus incluſa mœnia valle iacent.
Iam puer hoſpitio tandem ſuccede patenti;
Nocturno elatus ſydere veſper adeſt.

ELEGIA VI.

Cauponis Cœna, Laus Braſſicarum.

VEnimus egreſſi Latiæ confinia terræ,
Parthenope extremis hic vbi regnat agris.
Dicitur auguſtos vbi terra educere Caules,
Et folia ignotus fauſta notare color.
Signabat Laurus lautam præfixa tabernam,
Coponiſq. tenet turba coacta fores.
Ille ait ò veſtris Domini conſidite tectis:
Hæc quid non vobis aurea tecta ferant?

Aëriæ

Aëriæ dulci ſi manant lacte volucres,
Hic etiam lactis dona miniſtrat auis.
Quidquid alit tellus, quod nutrit in æquore Põtus,
Transferet in dulces menſa referta dapes.
Oua tibi croceos vndas infuſa Vitellos,
Nunquam Sorbillis aptior eſca, dabunt.
Poſt Oui criſtata parens, quæ iure ſalubri
Aſtitit heſternis frigida facta focis.
Atq. aderit iuxtà tereti Lucanica fruſto,
Quæq. laboratis turgeat offa globis.
Iamq. vnà Petaſo, iam murice Perna recenti,
Et gabatis Sumen, Vuluaq. pinguis erit.
Stridebit nigra Succidia rubra patella,
Sparget & ignotus fæcula miſta ſapor.
Non omenta Suis, fartaq. Tomacula pultis,
Non deerit Vitulus, non modò coctus Aper.
Cuncta damus pleno dudum ſpectata macello,
Quæ ſapiunt medio carius empta foro.
Lanx mihi Ficedulas teneris componere Turdis,
Et coquere è ſtipula lenta fauilla ſolet.
Fertur & ereptus querula de matre Columbus:
Aſſus agit flammis membra deuſta Lepus.
Quæq. alias fugeret Perdix lautiſſima Cœnas,
Hanc modo venator repperit arte canis.
Quid tibi Paſtillos, Cerealia cruſtula, dicam?
Triticeo ac merſas vellere Cortis aues?
Quid noua diſtentis quæ dantur dona Capellis?
Quæ tribuit fœtis vber ouile Capris?

Can-

Candida ſeu cupias, lauiſq. coagula Lactis,
Quaſq, iterum denſat flamma ſecunda Niues:
Seu quæ ſub calatho glaciant, & vimine texto:
Iunceaquè in viridi tegmine virga premit.
Seu quæ prima replent tepido mulctralia riuo,
Et mox florifero vaſe Coloſtra rigent.
Mitia quid nuper decerpta ex arbore Poma?
Quæq. ſuus pingit turgida Mala rubor?
Cœcuba quid, labris quid Vina educta Falernis?
Quæq notat patrio vecta Lagena mari?
Sed moror incaſſum; ſuccede penatibus hoſpes,
Fœlix delicias experiere meas.
Huc famuli properate, nouis aduertite curis;
Impexos aliquis pectine comat Equos:
Tu celera impaſtæ retinacula ſoluere Mulæ:
Da ſtapedi famulas officioſe manus.
Quin age ſudanti demittis Ephippia dorſo?
Nec graue pondus Equi mantica rapta leuat?
I*te, coloratis dabitur conclaue figuris,*
Quod neq. Gallus habet, Rex nec I*berus habet.*
Me miſerum; tectum ingredior, Regiſq, penates;
Sed fumo obſcuræ pingitur aula caſæ.
Intranturq. humiles demiſſo vertice poſtes,
L*abentemq. leuant ſubdita ligna trabem.*
Non vllo ſoliti C*onopea figere lecto:*
Scirpea & in paruo culcitra fuſa Thoro.
N*octis ab attrita creſcunt Lodice rigores,*
Quæ tegit infeſtis lintea rupta Notis.

Hæc

Hæc aderant, totos facies & lurida muros,
Tectaq. & informis limina ſquallor habet.
Dicebam, ſi tecta nitent hoc regia fumo,
Atq. ita nigranti culmine candet ebur;
Hoc quoq. regali ſuccedet menſa paratu,
Et Cererem duram rodere luxus erit.
Sed iam Cœna vocat: feſtis accumbite menſis
Clamabat famulus: decoquit olla dapes.
Abluit vnda manus, trunco malè credita vitro:
Sedimus; imparili eſt ſella parata pede.
Inſtabilem velant illota toralia menſam,
Inficit os, turpat ſordida mappa manus.
Atra Ceres, qualis lolio, vel qualis auena,
Et male paganis pinſitur vſta focis.
Ipſa videbatur ieiuno pallida vultu
Ducere conuiuas per ſua ſaxa Fames.
Ecce ſubit tenui tandem Lactucula thyrſo,
Vixq. ſuper guttas ſparſit oliua duas.
Atq. olida heſternæ, ſemeſaq. fruſtula Cœnæ,
Mucidaq. & camuræ ſegmina morſa Bouis.
Et quæ fumoſa nimium verſata fauilla
Paruula tingebat luridus Oua nigror.
Frango equidem, at clauſus ſecreta cubilia pullus
Fixerat, & liquidos hauſerat ante crocos.
Quid facerem? riſus animo, curaſq. vorabam:
Et, mirum, impaſto defuit ore fames.
Interea puer in patina noua iuſcula portat,
Atq. ſuper coctæ Braſſica fronde viret.

Ille

Ille etiam veluti diſcerpta Acipenſeris olim
Membra coronatus vexit edenda puer :
Commiſcet lentos dulci modulamine paſſus ,
Et trahit ad lautos carmina feſta cibos .
Lance, ait, hac olerum reſidet Regina minorum ,
Auguſti ſolio Braſſica digna Ducis .
Braſſica pulchra Roſis formoſior : æthere puro
Cùm grauidus rupto purpurat ore calix .
Gratior hæc Violis : viridantis margine ripæ
Cùm teneris pubes prodit odora comis .
Lilia campanis decedunt Caulibus : ornant
Cùm circum erectas luthea fila niues .
Quis ſibi faſciculos, aptat quis flore coronas?
Ceſpite non alio mollia ſerta leget .
Tu viduata cadis Zephyris Anemona malignis ;
Fugit odor crines ò Amaranthe tuos.
Ciuibus ingratos referes Narciſſe ſopores :
Creſcunt in medijs alba Liguſtra rubis.
At mea ſurgentes metuit non Braſſica ventos;
Agricolis cultos culta repoſcit agros,
Cole ſuburbano quid mollius educat Hortus,
Cùm Ver irriguis gramina nutrit aquis ?
Pullulat huic medio ſoboles denſiſſima culmo,
Et circum teneros explicat aucta ſinus.
Ille gerit viridi tumidos à fronde corymbos ,
Et croceas tereti cortice condit opes .
Multiplices aperit mox aureus ordine gemmas,
Seq. ſuo circum flore coronat apex .

Cero

Cernite natiuis fruticantes ſtirpibus agros ,
Tot diuerſa meus Caulis in ora venit ;
Hic tumidum folijs creſcit Capitatus in orbem,
Candidus & denſas condit in orbe niues .
Hic capita extendit patulis latiſſima ramis ,
Et folia elato vertice craſſa leuat ;
Nubiferos propter fœcunda Bononia montes
Semina ceu pingui credita valle iacit .
Hic niger hyberno Criſpatus frigore frondes,
Aſper inæquales explicat ore thoros.
Hic folijs numeroſus agit : ſtat Floreus illi,
Criſtatuſq. alto vertice ſurgit honor,
Hic iucunda parat generoſo fercula Thyrſo ,
Iuraq. dant ſcutulæ, fruſta reſecta natant .
Extulit at magnum, velut inter ſydera Phœbe,
Sic inter Caules Cima ſuperba decus.
Illi non Raphani tantùm, nec agreſtia cedant,
Quæ iuuat Autumni *Rapa globoſa rigor .*
Acrior, *in tunicas tumefactaq. Cepa recuruas :*
Et male membranis Allia clauſa ſuis .
Porre loquuturo cedis dilecte Neroni ,
Cùm iucunda tuo verba liquore dabas .
Non Lactuca tumet ſic dorſo criſpa niuali :
Non teneris albent Intyba fracta comis :
Aſpera non triſtes iactent Cichoræa ſapores ,
Non & acetoſos Oxalis vda ſinus ;
Parua Bipinnella ſtellatis gratia ramis,
Vlla nec Aſparagis, nec Calaminta tibi eſt.

Erucæ, Lapathiq. & odora Siſymbria, longe
Et Bugloſſe tuo murice fuſca iaces.
Cedite vos fatuæ, nec prandia quærite Betæ,
Caulibus illa patent ſola parata meis.
Cyma rubro Pepone eſt, Apianis dulcior vuis,
Maſſice ſiue tuis, ſiue Calene tuis.
Mollior hæc Ficu, tunicas cum diſſita pullas
Illacrymat, madidum pendula rore caput.
Non ita anhelantes Cucumis refrigerat artus,
Labitur aut Cinaræ viſcera ad ima calor.
Fragaq. Fundano non ſic imbuta Lyeo
Ieiunam placant munere prima famem.
Non ita quæ celantur humo, tonitruq. maligno
Calloſi apparent Tubera nata ſoli.
Nec tantum faciles dant ſicca Papauera ſomnos,
Cole velut tenero venit in ora ſapor.
Dulcior hic melle eſt, hic Nectare dulcior: olim
Qui meruit Diuum labra rigàſſe liquor.
Quis calido immergit medicatos Saccare Caules?
Et glacie incretum Teſtula ſeruat opus?
Braſſica nobilior liquefacti Saccaris vnda,
Indica quod patrijs mittit arundo plagis:
Siue quod incoquitur metis glaciale Sicanis,
Et preſſo è calamis flumina melle fluunt.
Nec meliore rapax impleuit Apicius ora,
Cum cœna Auſonias ille vorabat opes.
Condiderat patrios epulis in viſcera cenſus.
At ſola in menſis Cyma ſuperſtes erat.

Iam Capitolinum, nec paſtus ad-derat aurum,
Largaq. Cæſarea munera miſſa manu.
Vnaq. reſtabat Romanis Cyma tabernis,
Sola coëmpta foris, ſola reperta focis.
Roma adeo fortes paſcebat Caule Quirites
Et bello eduros mollior eſca dabat.
Oblitus Cœnæ, admoram concentibus aures.
Atque iterum feſto carmine verna ſonat.
Crediderat menſæ patinam, rurſumq. minori
Sollicitus toſtam Lance ferebat auem,
Hæc ait è pleno direpta Columbula nido,
Oris delicium, quæ modò Matris erat.
Grandia mirabar nigro cum pectore roſtra;
Nec propior fallit lumina, Coruus erat.
Siccine Fundanæ Coruum genuere palumbes?
Hoſpita ſic tellus horrida monſtra parit?
Quærite qui veſtris cupiat pingueſcere cœnis,
Depaſcent aliæ corpora noſtra dapes.
Sic ibam egreſſus, longiq. oblita laboris,
In noctem reficit membra, ſopora quies.

ELE

ELEGIA VII.

Oppidum Iter, Caieta, Phormiæ, Maritimus Digreſſus.

SVrge age: Nox perijt cœlo tumulata ſereno.
Quis dubitet? Noctē clara ſepulchra decēt.
Pergere iter, miſeriſq. iuuat diſcedere tectis;
Fauſta dabit Phœbo iam meliore dies.
Primùm longa aperit grauidis campeſtria culmis,
Mox accliue iugi culmine turget iter.
Sed ſilice antiqua medios ſecat Appia colles,
Et pulſu celeres vngula tardat equos.
Ecce inter virides apparent Oppida frondes,
Quà via ſubiectis vallibus ima iacet.
Non vlla anguſtis prætendit mœnia tectis,
Et notum veteri nomine ſurgit Iter.
Hic (memini) Hetruſcus languēti murice Princeps
Indoluit vitæ ſtamina rupta ſuæ.
Hippolyto pariles ducebat nomine vires,
Indueratq. animo maius, & ore decus.
Occidit externis nimium lacrymabilis oris,
Membraq. in ignoto decubuere thoro.
Heu Pietas! primo veſtibat flore Iuuentam,
Nec bene iam roſeis venerat vmbra genis.

Non illum iuuenile decus, non purpura Tybris,
Gloria Medicea non iuuat alta domus.
Auſtriaci Princeps quærebat Cæſaris ora,
Qui longè ad Libyæ littora marte fremit.
Maurica iamq. ferox intrarat Carolus arua;
Horruit Hiſpanas Africa victa rates.
Non ſua deſeruit cùm Turcicus oppida prædo,
Fugit & æquoreis raptor inermis aquis.
Iamq. reuertentes fœlici marte phalanges
Cæſar, & inuictos ducit in alta Duces.
Ire coronato vidiſſes remige puppes,
Et Lauri in medijs ſerta virere vadis.
Africa per medias veheris captiua carinas,
Et geris auguſta vincula nexa manu.
Illum Parthenope fidas reuocabat in arces:
Gaudia ludenti ciuis in vrbe dabat.
Tum quoq. purpureus ſtimulis agitatus acerbis
Ibat ad incerti Cæſaris ora Pater.
Obſedit Mors atra vias: venientis in artus
Contorſit duræ ſpicula certa necis.
Lethiferi nec parua fuit tibi gloria teli;
Quot ſimul infeſto funere merſa rapis?
Et decus, & princeps iuuenilis gratia formæ,
Purpuraq. & generis lux modò tanta perit.
Mors tamen extincto vilem de Principe palmam
Ducis, & exuuias non opulenta geris.
Gloria viuit adhuc, memoriſq. inuecta per annos
Ictibus illudit viuida Fama tuis.

Hip-

Hippolytus (dicent) rediuiuo è funere ſurgit,
Et Famæ leuibus ſecla pererrat equis.
Itala Mediceos dum gens venerabitur Orbes,
Exanimis magnum viuet in orbe decus.
Perge viam: pellit celeri Sol altior axe,
Et releuat multo Sole ſerena dies:
Semita ſe facili demittit ad æquora cliuo,
Aruaq. Campanis immaduere fretis.
Nec longè viſenda ſinu Caieta marino
Spumea turrita cærula fronte ſecat.
Et quæ littoreas in nubila conſerit arces,
Nubifero pauidas vertice terret aquas.
Cerne: pruinoſo quà Mons ferit aëra dorſo,
In geminum cautes diſſiliere caput.
Fortè ſuperpoſitæ ne ferret pondera terræ,
Diſcidit, vt cœli quæreret alta, vapor.
Laxatoq. ſuper patuerunt culmine moles,
Dum patria erumpens halitus arua petit.
Tunc fragiles imo nutant fundamine rupes,
Vallibus & motis tecta reuulſa iacent.
Hæc alij referent: melior mihi Fama reuolues,
Quod celebrat, memori Ciuis & ore canit:
Extinctũ Solymis Numen dum Phœbus in vmbris,
Dum Tellus fremitu, ſciſſaq. ſaxa gemunt;
Tum quoquè perruptos immani vulnere montes,
Et Caietani culmina fracta iugi.
Suſpirans, magnoq. ſilex patefacta dolori eſt;
Nec dum funus atrox ſaxea corda mouet.

Ipſe quidem ſecti propior miracula montis,
Non-viſam Ciues nobilis ora tuos.
Phormiæ, vbi portus inſedit Mola beatos,
Non procul hinc feſſis hoſpita tecta dabunt.
Aſpice, montano ſe curuat ſcena theatro,
Et ſubter viridi limina valle iacent.
Cuncta adeo ramis circum obſidet arbor opacis,
Et varius pingit pendula poma color.
Æquora pugnatis ſubeunt placidiſſima tectis,
Et compoſta truces exuit vnda minas.
Littore frondoſo paſtus requieſce viator,
Hic vbi Mola ſuas ruſtica iactat opes.
Nec placeat tibi longa quies, nam littus amœnum
Viſere pacata Tethyos arua iubet.
Num libet ire mari? ventiſq. ad vela coactis
Pacatum tenui findere puppe fretum?
Ibimus; atq. iterum puppis conuerſa redibit,
Quà Liris Nerei cærula regna ſubit.
Oſtia Laurenti fluuialia nota Maricæ
Intret, vt aduerſa fluminis erret aqua.
Tum miſſi è ripis ſpatioſa tenebimus arua,
Quà redolent plenis roſcida rura cadis.
Aſpicis? ecce leuis ſoluit de littore funem,
Et ſcindit tenui nauita lintre ſalum.
Doctus ades Zephyri pennas, Libyciq. furores,
Et pelagi incertum dirige Rector iter.
Sic tibi, dum ponto committis vela patenti,
Æquior haud puppes verberet ille tuas.

Sic aliquis dixit, tenuemq. receptus in alnum
Verba recedenti dat quoq. triſtis humo.
Terra vale, tuq. inſtabilis quæ me accipis vnda,
Incolumem caro me cita redde ſolo.
Hactenus haud equidem tranſmittere Nerea pinu
Auſus, & irato credere lina mari.
Sæpius aiebam, pes hæreat alter arenæ:
Tutus in infida ludat vt alter aqua.
Committor iam totus aquis. Heu forte tumeſcet,
Vt ſeſe in noſtrum turbinet vnda caput.
At leuis incedit pacato in marmore puppis;
Mollè tamen Zephyrus marmora criſpa ciet.
Quam bene depoſitis ſulcat nunc cærula remis,
Incita quam placido flamine Cymba natat.
Fiet, vt Æoliis admurmuret Africus antris?
Et quatiat laceram dira procella ratem?
Me miſerum, ſi fortè fremens Aquilonibus æquor
Ferueat, & tumidis ſurgat in aſtra vadis.
O deſerta mihi, nec dum bene cognita tellus
Quò ſine me, pelago iam rapiente, fugis?
Sic ait. aſt alij vanos riſere pauores;
Ipſe abigit dictis nauita corde metus.
Quid trepidas demēs? quæ te modo cærula turbant?
Naufraga Pontus cum ſine fraude ſilet.
Ante procelloſo quàm mugiat vnda tumultu,
Neſcio quid raucis triſtè ſuſurrat aquis.
Lympha reuertentes tum nunciat hoſpita ventos,
In freta cùm venit montibus ima fragor.

Vulnerat obtuſo Phœbe nigra nubila cornu,
Vt patulum nimbis prouida laxet iter.
Clarus & ore fugat, Sol pallidus euocat imbres,
Naſcenti moritur flamine rubra dies.
At cœli bona ſigna vides: & Pontus, & aër,
Auraq. conſpirant: vndiq. tuta quies.
Ergo age pone metus, meliorq. vt pectora ſenſu
Imbuat, hic annos incola viue tuos.
Cædibus infames quid curas viſere terras?
Semper vbi riguo ſanguine feruet humus.
Credite: ſylueſtris puero mihi cultus Apollo;
Mollia Neptuni ſed magis arua placent.
Non alit exitio tot dira pericula Pontus:
Quot miſeranda virum funera Terra parit.
Non ea ſic verno tot parturit vbere flores:
Quot mouet in ſæuas triſtia bella neces.
Vndiquè tela micant, flammis & ahena coruſcãt,
Fluminaq. vndanti miſta cruore tument.
Parte alia morbi ſuperant, & tabida peſtis:
Implent ciuiles mœſta pheretra rogos.
At freta non flammis, non triſtibus effera bellis:
Rarus & Oceano miles in arma ruit.
Quondam etiam gemino ſubeuntia robora maris
Diſiecit ſubitis orta procella Notis.
Quis credat? ſicca Mors errat falce per vndas,
Mitis & humano rara cruore rubet.
Non morbis vita eſt, non vlli obnoxia culpa,
Vix ea longæuos feſſa relinquit auos.

Si

Si Caurus per inane fremit, fluctuſq. laborant,
Non abitura ſuo littore cymba ſedet:
Æquora ſi mulcent Zephyri, cœlumq. ſerenant:
Nauis, & æquoreum cymbula currit iter.
Quid dicam, Eoas rimatus littore conchas
Qui fert rorifero pignora clauſa ſinu?
Quid qui cæruleam populatur arundine pubem
Et viduo laxat retia lenta mari?
Quiq. nouos curſu celeri conuerſus in Orbes,
Produxit fines vltima terra tuos?
Fœlix ora, nigros diues ſeu vergit ad Indos,
Seu tenet aduerſis M*exica regna plagis.*
I*pſe ego ad occiduos direxi lintea portus,*
Quà fluit auriferis vena ſuperba iugis.
Nec metui Oceano ponentes iura procellas,
Occiduas auſus Solis *adire domos.*
S*iquè audire iuuat, referam. Sic fatus, at hoſpes*
A*nnuit; errores tum canit ille ſuos.*

ELE-

ELEGIA VIII.

Expoſitum Iter Peruanum Solamen viæ.

HIſpalis Heſperijs Vrbs eſt clariſſima terris,
Non procul à regnis Maurica terra tuis.
Quà liquidus Bætis, viridi præcinctus oli-(uo
Hoſpita fluminea cærula fronte ferit.
Hoc primum validæ ſoluerunt littore claſſes,
Velaq. conceptis intumuere Notis.
Ante ſed ignifero diſperſa tonitrua ferro,
Fauſtaq. longinquæ ſigna dedere viæ.
Inſequitur populi reſonans per littora plauſus,
Aſtraq. votiua ſoſpitat icta prece.
Triginta ingentes ſulcabant æquora pinus:
Flectitur at princeps ad mea iuſſa ratis.
Neu metuant ſæuas Piratica bella per vndas,
Quæq. fercx Batauus, Maurus & arma mouet;
Sex circum incedunt maiori mole Carinæ,
Et defenſuro milite ſigna tument.
Formidata trucem deducunt robora Martem,
Barbarus auectas ne ferat hoſtis opes.
Et iam Canariæ apparent viridantibus aruis,
Et ſcindunt medijs humida ſaxa fretis.

Inſulæ

Inſula Atlanteo in magno, quas inſidet olim
Heroum generi carmine parta quies.
Tum ſtetit Heſperidum nomen: tum margine ſummo
Limes inacceſſi contigit aſtra maris.
Si quis in has pelagi ſucceſſit naufragus oras,
Vidiſſe extremis regna canebat aquis.
At nunc prima quies feſſas ibi detinet Alnos,
Immenſæ vt repetant nota pericla viæ.
Vſq. adeo ingenijs melioribus aduenit ætas,
Atq. auſis cumulant auſa vetuſta nouis.
Apparent longè virides ex æquore cautes,
Et ſimulat veras ardua ſylua comas.
Saxea mentiti nemoris ſe brachia tollunt,
Spectanteſq. procul decipit vmbra viros.
Digreſſa hinc vaſto credunt ſe carbaſa ponto
Pulſaq. nubiferis puppibus vnda ſonat.
Mobilibus videas volitantes mœnibus Vrbes
Et domitis late ponere frena vadis.
Aëriæ quanto ſurgunt ad ſydera turres
Culmine, ſe tanto vertice malus agit.
Non æques apicem viſu; cum vela recludit,
Non bene ſunt oculis cognita lina tuis.
Sunt ibi millenis diuiſa triclinia nautis,
Multipliceſq. parat menſa refecta dapes.
Aut ſubter diſcreta thoros conclauia ſeruant,
Altior aut latis finibus aula patet.
Xiſte quoq. ſpatijs produceris ampla diurnis,
Porticibuſq. volans obſtrepit aura cauis.

Hic licet ad Zephyros frigus captare tepentes ,
Et calidum medio fallere Sole diem.
Cernere quin etiam monſtris habitata marinis
Æquora, & aquoreos regna per vda greges .
Incultas numeroſa tenet ceu Bellua ſyluas
Et deſolatos ſæua pererrat agros :
Quotq. meat pictis per cœlum diſcolor alis ,
Atque auras curſu præpete findit auis :
Tot diuerſa natant pelago portenta paterno ,
Grandiaq. ignotas incoluere domos .
Terreat haud membris Elephas immanibus arua,
Quem fugis æſtiferis Afer & Inde plagis .
Maior at Oceano fertur Balæna patenti ,
Et pauida elatum verberat aſtra caput .
Qualis ſaxa leuat ſcopuloſi culminis Atlas ,
Nubilaq. inſerto pulſat aperta iugo .
Vidi ego collectas cum vertice mitteret vndas ,
Et tumidum pleno funderet ore ſalum .
Tunc dabat immenſos cœlum ſine nubibus imbres,
Feruebat nimbis altior vnda ſuis .
Non ita præcipiti decurrit vortice torrens,
Aut ſuper effuſo deuorat arua lacu :
Illa velut diffundit aquas , & flumina largo
Fonte, ſed in præceps mox reditura vomit.
Ora duo ſumma pandit fera bellua fronte ,
Diluuio ingenti facta cauerna patet.
Inde natans efflat nimbos ſublimè refuſos ,
Et gemino immerſas obruit amne rates .

Vidi

Vidi etiam feſto Delphinas ludere cœtu,
Et celeres verſo ducere in orbe choros.
Ocyor haud illis volucris, contortauè neruis
Spicula, ferratis aut pila miſſa tubis.
Cæruleam liquido venantur in æquore pubem,
Cognatumq. genus guttura cruda vorant.
Si Piſces petiere fugam, naualia ſaltu
Vela ſuper Delphin concita membra rotat.
Et potitur rapto gaudens: plauſuq. ſecuta
Squamea turba ſalit, ſimaq roſtra quatit.
Vidi etiam, plectris agèrem cùm fila canoris,
Et canerem pulſa carmina blanda lyra:
Inuentas nondum ſaturos deponere prædas,
Agmina & ad numeros plaudere feſta meos.
Quid dicam ignotas trãquilla per æquora formas?
Addita nec noſtris monſtra marina fretis?
Hæc pelagus ſpectanda dabat, cùm ſubdola Ponti
Fœdera pacatos compoſuere Notos.
Lux aderat, domitis qua Mundi rector Auernis
Preſſit nubiferis aſtra recluſa rotis.
Tunc oculis tellus apparuit Indica noſtris,
Et Nautæ lætis vocibus alta replent.
Quin etiam feſto tonitru dant æra fragores,
Fulmine & emiſſo littora viſa tremunt.
Inſula erat calidi patiens Guadalupa vaporis,
Et vario obiectas margine ſcindit aquas.
Illa ſed inuectis ſtatio malefida carinis
Neſcia littoreo carbaſa marte ferit.

Veſti-

Veſtibus informes gens barbara liberat artus,
Cingit & ardentes Solis adusta faces.
Agmina multiplices nigra infecere colores;
Hic viuit nigro corpore veſtis honor.
Vix adeo feſſa ſubeunt ad littora puppes,
Littora cum telis impia turba tenet.
Naufragus optatam ſi nauita prendit arenam,
Iam compoſita truci funera ſenſit humo.
It celer in ſyluam, tutos adit incola ramos,
Penniger aſq. leui corpore vincit aues.
Inde ſagax certis contorquet ſpicula neruis,
Et figit iaculis ſparſa venena ſuis.
Hoc auſus pridem, primis cùm barbarus annis
Vidit ab Heſperio carbaſa miſſa mari.
Nos adeo incerti fugimus mala ſaxa profundi
Quamquam bella premēs temperat Inda quies.
Ipſe iuuat ſpirans auerſo ventus ab ortu,
Et tumefacta ratem flamine vela trahunt.
Bis quater Eois lucem Sol extulit antris,
Bis quater occiduo merſerat amne diem.
Ecce patent iterum Peruana littora gentis,
Atque aperit feſſis Indica terra ſinus.

ELEGIA IX.

Peruanus tractus, Fruges.

INſidet Vrbs primos viſu pulcherrima portus,
Mœniaq. Hiſpani nominis alta leuat.
Et procul impoſitas videas Carthaginis arces,
Imperio vt fœlix aurea regna regat.
Dixi equidem: Longo vidi ſatis æquora tractu.
Hoſpita nunc artus accipe Terra meos.
Iuncea montanos habitare mapalia Ciues
Quis canit? atq. Indos ire ſub antra Duces?
Vrbs viſenda manet numero dimenſa viarum:
Veſtit ciuilis limina picta decor.
Argento ſe cuncta tegunt, auroq. coruſcant:
Fulua repercuſſo culmina Sole nitent.
Irradiatq. ſacris cælatum Altaribus aurum,
Et ſtant gemmiferis edita templa tholis.
Ipſi longa trahunt famulorum examina Ciues,
Quos miſit patrijs Africa victa plagis.
Heu nigra ſeruitio pubes vexatur acerbo,
Et terit aſſiduus corpora feſſa labor.
Pars ſaturos duro proſcindit vomere campos,
Implet & agreſtes pinguis ariſta manus.
Pars & arenoſo rimatur littore gemmas,
Spumoſiſq. legit lucida ſaxa fretis.

Pars

Pars ſcopulis affixa rapit conchilia, fœlix
Et domitas præda diuite nudat aquas.
Pars auri ramoſa imis venatur in antris
Germina, & obſcuris orta metalla cauis.
Intrat inacceſſas pubes male viua cauernas,
Et tenebris merſas cæca retentat opes.
Non bene terra tegis rigidis ſub montibus aurum;
Eſt domus æratis non bene clauſa ſeris.
Adde ſolum, ſolidaſq. iugo ſeptemplice cantes,
Si bene diuitias condis auara tuas.
Sit Labyrintheis vincendus flexibus error,
Et ſpecus, & clauſæ foſſa pericla viæ.
Raptoremq. horror, latebris & inane profundis
Cingat, & æterno nox adoperta gelu.
Proh furioſa fames auri tamen abdita quæret
Nutrimenta; dabunt hæc quoq. ſumpta famem.
Manibus inferior locus eſt, quò deuia cœlo
Vertit inaſpectos turba proterua gradus.
Et fragili imponens terrarum pondera dorſo
Effodit illa ſuas, ante ſepulta, neces.
Me ratis errantem cœlo traducat aperto,
Pauperis & nullas cymbula vectet opes.
Tuque abſconde tuas aurata Peruuia venas:
Non placet hæc curis præda reperta meis.
Et poſſes melior Solis celare furores,
Vreret immitis ne tua regna calor.
Ergo ſapor dulces menſas, & pocula fugit:
Et tepet in cyathis hauſtus ab amne liquor.

Vix

Vix adeo vrbanam veni nouus hoſpes in ædem,
Cùm ſtruxit faciles menſa referta dapes.
Cuncta adeo noſtris frugum gratiſſima coenis
Conſita fœcundo robore ſylua gerit.
Non biferas Ficus, bicoloraq. caudice Mala,
Non Ceraſa ignotus Pontica fallit ager.
Luthea Pruna ſuos ducunt, & rubra colores:
Non ſatis eſt grauibus dextera preſſa Pyris.
Sæpe peregrina carpes tamen arbore poma,
Quæ dabit ad Zephyros terra ſoluta ſuos
Citrinus hortenſi Cucumis ceu turget in aruo,
Maturoq. legi pallidus ore timet:
Sic ibi grandeſcit Platanus, culmoq. virentes
Frumenti ſtipulas planta imitata parit.
Aſt vbi iam plenis oneratur menſa caniſtris,
Illa prior cupidi vulnera dentis habet.
Melle irrorantes credas depaſcere Ficus,
Non aliter dulcis permeat ora ſapor.
Quin tenues cura eſt tunicas auellere cultro,
Et mali in partes ſcindere fruſta pares.
Hic adeo in medijs diſſecta fruge medullis
Apparent picta ſigna videnda Crucis.
Nec potuit gens illa feros dediſcere mores,
Cui manibus ſcripſit poma verenda Fides?
Pendula diuerſos redolent Papaia ſapores,
Atque alia ramis turgida fronte tument.
Vt Pepones ſcabros fœcunda vligine vallis
Nutrit, & irriguis pota rotundat aquis;

Quos Stria rugoſis tumefacta canalibus ambit,
Atque interciſo cortice ſulcus arat:
Arboris haud aliter populi pendentia ramis,
Interſtincta ſinum mala globoſa legunt.
Aſt vbi diſſectam labris admoueris eſcam,
Succus & admota fluxerit ore dapis;
Tum Pyra *materno veſci de Caudice credas,*
Et dare conuiuis craſſa Volema tuis.
Dulcia quin etiam cœnantem Perſica fallunt;
Indam *ſed pomus* Perſica *neſcit humum.*
Poma *ſub* Autumni *ceu ſydere* Punica *turgent,*
Demittitq. parens pondere curua caput:
Grandia ſic implent calathos Mamaia capaces;
Frange, cavo fruges Perſidis hauſta ſapit.
Interea facili teritur Nux ardua morſu,
Et ſimilis viſu pinea texta refert.
Lauibus at tegitur tunicis, tuque Appia mandis;
Diligit *errores lingua, vocatque ſuos.*
Has ego cœnabam tum tecta per hoſpita fruges;
A*ruit at calidis æſtibus ore fames.*
Quin & vicinæ vidi miracula ſyluæ,
Arduaq. in nubem brachia ferre nemus.
Hic vbi ſe rupto trudunt Opobalſama ligno,
Terraq. odorato diues ab imbre madet.
Hic quoque ſe calamis altiſſima tollit arundo;
Nubilaq. aërio vertice victa fugat.
Gaudent multiplices campo conſurgere fibræ:
Tum coit in teretem virgea ſylua librum.

Inde

Inde oriens immanis abit per ſydera truncus,
Spectantiſq. procul lumina vitat apex.
Simiolæ tremulas gaudent inſidere frondes,
Arboris & celeri vincere ſumma pede.
Parte alia ignotæ reuolant, ramiſq. fruuntur
Vmbriferis pennæ verſicoloris Aues.
Pſittace rex volucrum, teneris & concolor herbis
Luſiſti humanos emodulate ſonos.
Et quæ compoſitis imitatur Pegaſon *alis,*
Nubila Campanis nec minor intrat equis.
Cuius & extento Romana decempeda roſtro
Decedit; tanti ponderis ora trahit.
Ergo illo validos nemorum præcidere truncos,
Alta ſolet magnis voluere ſaxa iugis.
Cætera quid referã? iam proxima tangimus arua,
Et vos infidæ reddidit alnus humo.
Tu poſthac dubias nè Ponti *horreſce procellas;*
Vritur infœlix, qui ſibi cuncta timet.

ELEGIA X.

Campania Fœlix.

SIc *ait, atq. olim Nymphæ dilecta Maricæ*
Ocyor adducta flumina puppe ſubit.
Puppis *in aduerſi compellitur oſtia Liris,*
Iuſſaq. per notas velæ relaxat aquas.

Quàq. ſolent lata fluuium tranſmittere lintres,
Conſtitit; aduectos ripa tenebat Equos.
Inde via accingor rurſus, lymphaſq. peroſus
Iam facili ſonipes præterit arua gradu.
Vix illa in noctem raris habitata colonis
Hoſpitibus feſſis hoſpita tecta dabunt.
Dextera in accliues curuantur iugera colles,
Et ſe pampinea Maſſica fronde tegunt.
Pòſt, tumuloſa cadis nimium celebrata Falernis
Spectant Baianos rura propinqua ſinus.
Nunc quoq. deſpumant geneoſis præla racemis,
Viſuntq. externas vina ſuperba plagas.
Hæc magis accedunt vicini ad murmura ponti,
Me longo in læuum tramite torquet iter.
Iamque ſonore tuas video Vulturne nouales,
Quas & arenoſo turbidus amne ſecas.
Et fluctu rapidus Campana ad moenia tendis,
Mox vt tyrrhenam verberet vnda Thetim.
Vrbs clara imperio quondam fluuialia ripæ
Terga ſuper, pauidis incubat alta vadis.
Nec procul hinc magna videas manifeſta ruinæ
Signa, vbi per campos rudera priſca iacent.
Et cauea, & lapſi moles operoſa theatri,
Frigidaq. & calidis balnea iuncta focis.
Atq. effulta olim maculoſis templa columnis,
At modò ſyluoſis templa ſepulta rubis.
Nempe fluunt annis pariter labentibus Vrbes,
Perq. ſuas pereunt tabida regna vices.

Vrbs

Vrbs Capys, antiqui poſt infortunia lapſus,
Tu tamen elatis Vrbibus æqua viges.
Et quà nobilibus fulgentia Ciuibus ornas
Stemmata: vitifera quà ſeris arua manu.
Nec valuit contra, turmis Auerſa coactis
Marte licet victrix fulminet orta ſuo.
Illaq. Normannos iactabat condita Reges.
Atque Atellani fortia caſtra Soli.
Parthenopen, Capuamq. auſi tentare potentes;
Vt geminis ponant bellica frena duces.
Moenia tum campis vtriq. Aduerſa locarunt,
Telaq. Normanni Martis vtrinq. tonant.
Hinc ſubicit dubias agitata Neapolis *vndas:*
Hinc & Campanas victor adegit opes.
Aſt Itala incaſſum quærunt ſibi ſanguine regna;
Non bene regna tepens ſanguinis humor alit.
Heu perit imperijs vnà morientibus hæres;
Mutant Germanas ſceptra parata manus.
Et toties bello quaſſata Auerſa *cruento*
Poene gemit ſtructas interijſſe domos.
Sed quantùm numerat Campania flebilis hoſtes
Tantum diuitias fundit opima ſuas:
Foelix: cui reficis parili certamine fruges
Bacche racemiferas culmiferaſq. Ceres.
Populeæ certant irrumpere nubila Syluæ,
Proximaq. aërium ferre per aſtra caput,
Neue nimis cœlo ramoſa ſuperbiat arbor,
Sæpe dolet lapſas falce reſecta comas.

Scandit adulta ſimul, ſociaq. propagine vitis
Triſtia pampinea vulnera fronde tegit.
Solaturq. amplexa ſinum bicoloribus vuis:
Illa nitens auro eſt, murice at illa rubet.
Accipe formoſis dulciſſima Popule ramis
Pondera, fœcundo caudice & ipſa vires.
Non humilis veſtit maturos Gratia fœtus,
Vertice non humili quos pretioſa geris.
Turgida mox fundet geminos vindemia ſuccos,
Dulcius & domino quàm Ioue nectar erit;
Taliter expreſſus pateris ſeu purpurat humor:
Pendula ſeu croceo diffluit vua mero.
Tu quoq. ſi lacrymas caris viduata racemis,
Cum Lacryma Ciues gaudia miſta bibent.
Sic animis oculiſq. fruor; placidumq. tenebam
Tardus iter: medias peruolat aura vias.
Et iam Parthenope viridi ſub colle patebat;
Sed mihi maiori eſt illa canenda lyra.

LACRYMAE S. MARIAE Magdalenæ ad Chriſti Tumulum.

ERgo iterũ perijt? bifida modo robore Quercus,
Cùm perijt dura Mors quoq. fixa trabi.
Nunc etiam tumulo tenebroſi cõditus antri
Occidit; exanimo dant fera ſaxa necem.
Tunc equidem vidi ſtellas occumbere cœlo,
Et cadere in medium ſigna refixa diem.
Sed ſine Sole diem, atq. vmbras ſine nocte videbã;
Mutuaq. aduerſis manſit vtriſq. fides.
Nunc mihi ſole peris Amor ò: raptuſq. ſepulchro
Me fugis, & ſolam me quoq. vita fugit.
Sed neq. vita fugit; raptos modò perdidit annos,
Cùm fera diuinum rumperet haſta latus.
Nonne meum verſo violauit vulnere pectus,
Quæ lateri incluſas cuſpide ſenſit aquas?
Omnis at ære rigor, ferro quoq. fluxerat omnis;
Vix pupugit noſtrum mollior haſta latus.
Aſt ego iam bifida ſuper arbore fixa peribam,
Et ſatis exanimis illa duobus erat.
Me Dolor hic ferro defixerat: hunc ego ſenſi
Carnificem, vt Regi victima iuncta forem.
Et potui ſpectare, nigris cùm victor Auernis
Igne catenati ſtringeret ora Ducis.

Et nouus illudens tenebris Sol luce profundis
Monſtra per ardentes mergeret vſta lacus.
Me miſeram: tellus dubio diſcuſſa tumultu
Ecce ſepulchrales rupit aperta fores.
Migrauere ſuis rediuiua cadauera buſtis,
Sanctaq. diſiecto corpora miſſa rogo.
Tunc ego quid facerem vitali proxima ligno?
Fugit, & inuito corpore vita redit.
Tu quoq. tanaria ſpolijs ornata Colubra
Fers necis exuuias Arbor onuſta meas;
Crux precor ò noſtris titulos incide trophais,
Qua ſine me viuit, me ſine viua perit.
Fallor. adhuc totis non vixi partibus; & nunc
Dimidium noſtri qui iacet, ille tenet.
Mortua nec totis defeci languida membris,
Ipſe anima partem corde coegit amor.
O adſis quaſite meis dulciſſime votis,
Seu viuis, miſera ſeu mihi morte peris.
Accipiam quodcunq. ſubis: comes vna ſubibo,
Tota vel vt viuam, tota vel vt moriar.
Credo equidem, tu morte iaces. Lapis iſte ſepulchrũ
Monſtrat; at exanimum non habet iſte lapis.
Sunt iuuenes intus gemini, queis vita colorat
Purpureos vultus, nix tegit alba latus,
Fortè alius fuerat, tumuli qui colle propinquo
Scrupea depoſito prabuit antra ſilex.
Obſignata fores claudebant ſaxa rigentes,
Et ſpecus obſcuros condidit arte ſinus.

Hic

Hic eadem ſunt ſaxa loco; tamen oſtia quiſquam
Rupit? an hæc iuuenum robore fracta ſilex?
O mihi crudeles non vno vulnere dextras,
Rupiſtis vitæ ſi modò clauſtra meæ.
Hic Amor æternos mihi iam promiſerat annos,
Olim venturos & ſine labe dies.
Ille mihi Soles oriens feciſſet apricos,
Qui Solis moriens abſtulit axe iubar.
Nullaq. in obſcuro ſe nox celaſſet amictu,
Sol vbi inextincto conderet igne faces.
Huc ego cum pingui duxem medicamina ligno,
Myrrheaq. Aſſyrijs illacrymata iugis:
Quæq. Paleſtinis rorant Opobalſama ramis,
Quæq. ab odorato ceſpite Nardus olet:
Cumq. Onyches arabos, & Eoa vnguenta tuliſſem,
Clauſiſſem rigidas non adeunda fores.
Hic mihi non vllos dederant iam ſydera fines,
Vna mihi exanimus cura fuiſſet Amor.
Illi ego turpatos ornaſſem fronte capillos,
Et costo madidas, ambroſiaq. comas:
Stillantes gauiſa globis componere cirros,
Et niueum intonſa cingere nube caput.
Cæſariemq. ſuper textas renouare coronas,
Maior vt exangui viueret ore decor;
Candida quin etiam crines per colla fluentes
Spargere, per laues aurea fila niues.
Iàm facies Caſiam, facies ſpiraret Amomum,
Temporaq. infuſos lactea rore Crocos.

Pin-

Pinguia iam niueum ſudaret Balſama pectus,
Et Balani, & ſuccos ò Panacæa tuos.
Quid, cum ſecreti medicata cubilia cordis
Tentarem cupida nòn abitura manu?
Huc gaudens plenis effundere Nardina conchis
Et Rhodina, & vacuis Cyprina verſa cadis;
Deſuper ipſa mei fudiſſem Balſama cordis:
Hic mihi præ cunctis puriùs halat Onyx.
Accipe, dixiſſem cara medicamina vitæ;
Illa quibus vixi, nunc tibi corda fero.
Hoc quantus ſtat corde vigor, qui ſuſtinet artus!
Et quæ deſeruit diſſita membra regit!
Tuq. erepte, meo nunquam rapiende dolori,
Forſitan hoc iterum viuere corde vales.
Viue precor, vitaq. meos extingue dolores,
Hic ego ſi peream, tu quoq. fortè gemes.
Si tamen hæc vita non ſufficit aura duobus;
Solam lethiferas me ſine ferre vices.
Ecce tibi feſto mea cludam lumina ſomno,
Talis deuota Magdala morte redit.
Quam bene iam gelido deponam corpora ſaxo,
Regis vbi magni corpora feſſa iacent!
Et video pariles conſpirant artubus artus,
Æqua feret mira pondera ſorte lapis.
Tu quoq. in extinctam ſuperos ſtillabis odores,
Componeſq. meis aurea ſerta comis.
Ipſa nec exangui requieſcam pallida vultu,
Nec blandus gelido riſus ab ore cadet.

Hæc ſperanda mihi dederat, ſi conditus antro
Inter ſaxa meus delituiſſet Amor.
Gaudia nunc fugient, tumulo rapuere iacentem;
Ipſa aberam, & tumulo me ſimul eripiunt.
Reddite me mihi raptores, & reddite amanti.
Quod ſcelus eſt furto ſic rapuiſſe duos?
Quis fuit immanis qui prima repagula ſaxi,
Inuiaq. obiectas rupit ad antra fores?
Saxeus ille fuit, duraſq. imitantia rupes
Traxit de rigido membra reſecta iugo.
Ferreus ille fuit, qui diſcidit oſtia ferro,
Inuictoq. ferox tam bene marte furit.
Qualis erat Sampſon ruptis cum limina portis,
Egeſtoq. ferox obÿce clauſtra tulit.
Talis & hic duro rupit ſignata metallo,
Abſtulit & forti marmora vulſa manu.
Miles erat contrà, ſumptiſq. horrebat in armis
Seruabatq. vigil clauſa ſepulchra cohors.
Ille ferox aditus ferro ſibi fecit apertos?
Quaq. hoſti tulerat vulnera, miles habet?
Ecce iacet totis legio conſtrata maniplis;
Vel moritur, languens vel ſine morte perit.
Nec tamen apparet victor. proh nomina quiſquam
Celat? & infandum cogit abeſſe caput?
Ite ſinus penetrate omnes, nemorumq. latebras:
Si qua iugis, ſi qua eſt vallibus ima domus.
Quærite inaſpectis ergaſtula clauſa cauernis,
Et ſubter tacitis antra repoſta cauis.

Si

Si qua procul virides Libani de culmine Cedros,
Carmeliq. vndas proxima tecta vident.
Non locus, aduerſis iaceat non lucus arenis;
Si qua procul fugiens antra recondit Arabs.
Pergite Erythreis gemmantia ad vſq. lapillis
Æquora, quà Rubro purpurat vnda ſolo.
Ferte catenati tercentum pondera ferri;
Barbarus vltrices ſentiat ille manus.
Ære graui maniciſq. audax, & compede nexus
Auſa latrocinij pendat iniqua ſui.
Cur volitet, ſpolia auguſti qui rapta ſepulchri
Nocte per abruptas traxit opima fores?
Supplicium, ſaxo, referet. vos ſydera teſtor,
Emeruit: prædas fur habet iſte meas.
Ipſa ego mox vindex adero, dabis improbe pœnas;
Nec vultus iterum nox teget atra tuos.
Non, ſi ferratis horrebunt ſquamea cruſtis
Pectora, ſi formet fortia membra ſilex.
Nec tibi profuerint lateri quæ tela coruſcant,
Hæc ſæpe imbellis tela retorquet amor. (tus
Fulmineus me me armat amor. proh fulmina quã-
Ille meis oculis temperat imbre Faber.
Scit Solyma, & lautis inſtrata ſedilia menſis,
Solaq. tunc armis arma terenda meis.
Ipſe thro ro aſtabat, qualiſq. in nube tonanti
Aſſidet intorquens ignea tela Deus.
Noſtraq. iam certo iaculatus fulmine corda
Quærebat gelido figere in ore faces.

Ipſa

Ipſa locum ſpeculata oculis, diſciſſaq. crinem
Formaui auratis ſpicula longa comis.
Et ſimul aſtriferis ducebam vincula plantis :
Pectore figebam fortis & arma ſimul.
Neue meis ardens ignis procul abſoret armis,
Fons geminus calidis ore fluebat aquis.
Vnda dedit, mirum, flammas: lacrymatus inarſit,
Et iaculis iunxit vulnera certa liquor.
Spicula iam ſenſit, iam vincula: vincula plantis,
Spicula corde, vndis ignea facta Deus.
Et mihi (quis credat?) ceſſit, ceſſere potenti,
Quas dabat vltrices ore, manuq, faces.
Ex illo mihi victus adeſt, meus ille per orbem
Viuebat, moriens & fuit ille meus.
Sed fuit; heu fugit ſubito, raptoq. potitus
Non bene poſſeſſas abdidit alter opes.
Et tamen addubitat mihi mens haud inſcia veri,
Nec potuiſſe rapi mortua membra timet.
Appendit magni digitis qui pondera mundi,
Cur grauis humanas non terat ille manus?
Torquere ante humeris ſtellantem comminus axē,
Tollere terreſtres debuit ante globos;
Qui nocturna ſacro voluebat furta ſepulchro,
Expertus quantum pendeat Orbis onus.
Ergo quis eripuit? quis pondera viribus auſus
Tollere, ſed vires non habitura pares?
Magdala nocturnis plorans illuderis vmbris,
Nec potis es dubios condere luce metus.

No 2

Non hic, exanimos tumulus qui condidit artus;
Hic procul, & verè ſic modò rebar, abeſt.
Signa tamen reſtant nec me certiſſima fallent;
Certa mihi fuerint, quæ mihi ſigna feram.
Ipſa ego me (memini) tumulo tunc clauſa reliqui,
Clauſit diuitias cùm lapis iſte meas.
Aſpiciàm, tacitis incuſtodita querelis
Magdala ſi tumulo condita fortè gemam.
Hei mihi, non adſum; non his meus ergo ſepulchris
Defeſſa emoriens membra locauit Amor.
Dicite vbi paſcat, mediaq. in luce recumbat
Ille meus, noſtras quò fugit ille preces.
Roriferum qua fronde caput, qua protegit vmbra,
Quà molli in ſomnos ſternitur herba thoro.
Dicite vos, ſumptis iuuenes velociter alis,
Qui modò inaſpectum fertis in antra iubar.
Sic vos, dum celeres deducitis æthere lapſus,
Terga ſuper famulus tollat odora Notus:
Seu iuuat immenſi decurrere mœnia cœli,
Sol cum flammifero præbeat axe rotas:
Siue habitare ſolum, terraq. immobilis Orbem,
Vos emat imperijs terra fretumq. ſuis.
Dicite vos miſeræ bona verba. quis abſtulit? & vos
Quis putet ancipites fingere poſſe dolos?
Signa equidem noſtis, veſtri ſigna aurea Regis;
At mihi, quas geſſit, dulce referre notas.
Candidus ille meus rubicundo pulcher in oſtro
Ora verecundis pingit eburna roſis.

Indui-

Induitur gemmas, totoq́ caput emicat auro,
Syderaq. arcano fœdere iuncta gerit.
Spiſſa coma: elatis veluti noua brachia Palmis,
Et viridi frondes truditur aucta libro.
Non aliter teneris per amœna fluenta Columbis
Scintillant oculi, ſeq. colorat apex:
Vt gemini radiant, oculorum lumina, Soles,
Atq. immortales dantq. feruntq. faces.
Purpureus malas vernantis tegmine veſtis
Signat, & auratus floret in ore decor.
Non ſecus areolas flores, & aromata pingunt,
Atq. interſecta ſemita fronde viret.
Lilia odoratis redolent inſcripta labellis,
Primaq. ab his, veluti cortice, myrrha fluit.
Quærite opus tereti ciues tornatile buxo,
Candentes format læuior ille manus.
Hei mihi qualis erat! nexis quã pulcher in aſtris
Omnia cum dominis iungeret aſtra comis!
Vos quoq. cœlicolæ veniſtis ab æthere, tantum
Fas foret vt pura cernere fronte iubar.
Tuq. reſiſtentes frenaſti Phœbe *iugales,*
Immotus radijs vt fruerere nouis.
Diſcebaſq. diem meliori fingere luce,
Cum tot vidiſſes crinibus ire faces. *(tris*
Qualis erat, quam pulcher erat! modò condidit an-
At ſua quam turpi pallidus ora nece!
Longâ flagellatum liuebat verbere corpus,
Inq. repercuſſo vulnere vulnus erat.

Et

Et qui floriferas cingebat fronte coronas ,
Dumoſos habuit ,triſtia ſerta, rubos.
Puluere fœdabat concretos ſanguine crines,
Sydere contextus decidit vnde nitor.
Ipſe pedes ferro, palmas quoq. fixus acuto,
Diſſita multiplici vulnere membra gerit.
Illi omnes rupto numeraui in pectore coſtas ,
Vidi perq. omnes oſſa refracta ſinus .
Non oculis, oriq. decus : fugit intus abactos
Lux oculos, nigras mors cauat atra genas .
Atq. ideo paribus liuent mihi corpora ſignis ,
Et cecidere meis luxq. colorq. genis .
Sic vnguenta caput, molliq. è flore coronæ
Sic odor, atq. decor deſtituere comas ;.
Et vos obtutu iuuenes hæretis in vno ,
Quod pallens, vdas ſim quoq. fuſca genas .
Ipſe colorauit mea Sol ſic pallidus ora ,
Extincti refero Solis amica notas .
Pulcra fui, formoſa fui, dum luxit in orbem .
Occidit ; exanimæ nox mihi iuncta venit .
Tantum non rigido pariter ſum clauſa ſepulchro,
Sed tumuli cuſtos demoror ante fores.
Iam fulcite roſis, maliſq. ornate cadentem ;
Ecce recedenti lumine languet amans.
Seu potius rege tu rector terræq. mariſq.
Labentem, ò tandem tu mihi ſolus ades .
Si dilecte fugis, lapides fuge victor auaros ;
Par tibi, quo teneat, nil habet atra ſilex .

Surge

Surge veni: expecto moriens: ni protinus adſis,
Iàm rigeo, & durat frigida corda dolor.
Forſitan optabis noſtro requieſcere corde,
Si rigor & tumuli frigida ſaxa iuuant.
Si neq. corda placent, venias. vox ſcilicet vna
Hæc ſeu viuentis, ſeu morientis erit.

IN MORTE CAROLI Vicecomitis Adoleſcentis.

LVgetis iuuenem iuuenes, ego luctibus adſim,
Inq. meos veniat Nænia pulla modos.
Cerno equidem magno quàm vox non æqua dolori,
Atq. impar cordis queſtibus vna ſonet.
Si cupiam in gemitus lacrymabilis ire ſolutos:
Forte etiam gemitus ſoluere lingua negat,
Pergite vos luctum, vos lugubre iungite carmen,
Verbaq. funereis ducite mœſta choris.
Ipſa ſonos longe ſeptenas Roma per arces
Reſponſaturis reddet amica iugis.
Atq. ego tum dignos videar componere fletus,
Cùm querulo attollet culmine Roma ſuos.
Voſq. adeo hæc gemini ne duro in funere fratres
Spernite; lenitur vate dolente dolor.
Ignarus non ipſe mali prohibere querelas
Heu didici, & triſtes vertere corde notas.

Iam pridem expertus quanto Mors dira tumultu
Intrat inhumanis ciuica tecta rotis.
Et mihi frater erat patriæ ſpes vnica gentiſq;
Ille perit, miſera gens quoq. morte perit.
Vixi equidem, quòd morte prius periſſe iuuabat,
Viuebamq. auctor funeris ipſe mei.
Et dudum arcano fugiebam ſecula letho,
Atq. dabat puros gratior aura dies.
Ex illo maiora tamen mihi pectora fingo,
Atq. aliena meis lenio damna malis.
Scilicet æquè omnes lethali infigimur arcu;
Prima dies vitæ pars quoq. mortis erit.
Vulnera quiſq. gerit; nouit ſua quiſq. nec illum
Corda aliena fero vulnere fixa mouent.
Hic melior, durata malo qui pectora firmat;
Quem magna impauidum mole ruina premit.
Qualem extinctæ tuo traxiſti Carole buſto,
Et tecum claro à vertice vulſa domus.
Quæq. tibi fallax ſenium promiſerat ætas,
Vt caderes, cecidit fraudibus ante ſuis.
Non validæ vires obſtant, non flore iuuentus:
Non rubor, & roſeo fuſus in ore decor.
Quid referã titulos? quid priſci ſtemmatis Angues?
Quæq. gemit medius corpora morſa puer?
Hæc habet, atq. animis condit meliora repoſtis,
Sed cuncta heu rigida Mors ſibi falce metit.
Nec tamen hic duræ fuerant aconita nouercæ
Quæq. gerit ſæua pocula miſta manu.

Nul-

Nullaq. ab incenſo flagrarunt ſtamina ramo,
Et vitæ admotis tempora aduſta focis.
Ceu Meleagre peris, fatali robore mater
Quem rapuit, ſontes ignibus vlta neces.
Lethiferos tamen hauſiſti iam Carole ſuccos,
Condis & occultas immoriture faces:
Ex quo roriferas Zephyris motantibus alas
Naſcentis fugit ſydera veris hyems.
Floribus ingenij tum florea temporis ætas
Inuidit, Latia quos dabat vrbe puer.
Nec tu Ver tantos hortis ſpirabis odores,
Non pariet dulci flumine potus ager.
Cedite littorei bis verna roſaria Peſti:
Tuq. tuis florens concolor Hybla comis.
Quod mens cumq. parit ſtudijs operata Mineruæ,
Non tempeſtiuo noctis ab imbre viret:
Non timet vrentes auſtrinis flatibus auras
Horrida non Scythico tela coacta gelu.
Vrbibus æternos viuens ſeruabit honores,
Spernet & informes ſenta per arua ſitus.
Hæc quoq. erunt duræ ſolatia Carole mortis,
Inuidia flores Ver rapuiſſe tuos.
Mens tamen aucta bonis, pretioſi prodiga veris,
Nunc magis æternas tuta refundit opes.
Cœperat egelidum cœlo Mars ducere menſem,
Iuſſit & æquales noctibus ire dies.
Cum largè effuſis manarunt nubila nimbis,
Et redeunt madidis nubila vecta Notis.

Miratur ruere imbriferum ver Itala tellus,
Et longè refugos currere Solis equos;
Romanæ ardenti tonuerunt fulmine valles,
Lucidaq. obſcura fulgura nocte micant.
Tum noua montano labuntur flumina curſu,
Inq. nouos abeunt prata ſepulta lacus.
Ante omnes Latium pluuijs immergitur vndis:
It ripæ impatiens deuius amne Tybris.
Senſit ad Hetruſcas *quanto ſe flumine* Piſas
Auctus montanis vexerat Arnus aquis.
[illegible]ernere præcipites auſus cùm vortice ſyluas,
Et ſata nimboſis naufraga ferre vadis.
Sed parcit Romæ Tyberis, tibi triſte iuuentus
Exitium & tumidas obſtrepit ille minas.
Continuo properant geminato funere luctus,
Et duplici extincto flore iuuenta gemit:
Alter erat Ligurum *fœlicibus editus aruis,*
Quà dant hybernas littora verna roſas.
Hic & ſtirpe Niger, ſed enim candentia puro
Semper lacte nitens veſtijt ora puer.
Heu patris dolor, heu quondã materna voluptas
Ante diem legeris, concidis ante diem.
Alter at Inſubrum regnis educte ſuperbis
Iampridem Latio romula tecta tenes.
Illorum de gente, vetus qui mœnibus altis
Imperium, & claros impoſuere duces.
Et puero mites ſeruant pereunte Dracones,
Nobilis antiquos ſpiraq. ſignat auos.

Inge-

Ingenio fœlix pulchroq. aſſuete labori,
Difficiles laudis cui placet ire vias .
Viue diu Iuuenis fœlicia tempora, dixi :
Et numeres annis ſecula longa tuis .
Gentiles implere iuuat ſi Marte triumphos ,
Et dextram & fortis robora Martis habes .
Et vultum galeæ deceant, & tempora criſtæ :
Armorumq; humeros æra coruſca graues .
Gallia iam veteres, veteres Germania turmas
Scribet, & arctois caſtra regenda plagis .
Italia ante omnes atauis dominata vetuſtis
Deſtinat inuicta martia bella tuba .
Quin etiam meritos Cyllenius addet honores
Atq. alio dabitur laurea culta ſolo .
Tu pacis ſtudia, & placidos ſectabere mores ,
Pacatæq. feres mitia iura togæ .
Ipſe tibi cunctas diſcendo congeris artes :
Largius hinc animæ prodiga vena fluet .
Ipſe ego teſtis eram, faciles cum ducere Muſas ,
Cum poteras numeris flectere corda tuis .
Et dictis bibulas implere potentibus aures ,
Et dare Phœbeis verba ſoluta modis .
Tullius eloquio, verſuq. redibat Homerus ,
Surgebant veteri pulpita digna foro .
Ecquis ab Herculeis nodos deſcendere labris
Vidit, & innexos orbibus ire viros ?
Flaua catenatas miretur Gallia gentes ,
Quæq. auro ſtringit callidus ora faber .

Tu poſſes vincire Notos, tu ſiſtere nimbos,
Carmen & auritas ducere ad omne feras.
Quid, cùm romulei penetras ſecreta Lycei,
Atq. agitas doctis myſtica verba choris?
Scribite Cecropij manſura volumina ciues,
Et celebres condat pagina culta notas:
Totaq. clamoſis deſudet Græcia campis,
Porticus incertis obſtrepat alta ſonis.
Siue quis in Samios iures taciturne magiſtros,
Et doceas pueros verba ſilenda ſenex:
Siue per Argiuam bonus inſudare palæſtram
Aurea dicta feras Atticus ore Pater:
Seu quis Pellæum Naturæ in caſtra Tyrannum
Duxerit, & multa finxerit arte Ducem.
Tu ſenior, tu cuncta tuis complectere Chartis,
Sparge nouum ſacris vocibus orbe decus.
Italiæ puer adueniet voluentibus annis,
Diſcendi leges qui bibat aure tuas.
Ille alti generoſa teret monimenta laboris,
Clarabitq. virum magna per auſa Labor.
Iam prior argutos quæ tendit callida nodos,
Ancipites iuuenem cogit inire vias:
Et pandit Logice dubios obſtricta receſſus,
Promat vt è latebris cæca reperta ſuis.
Illa ter abducta monſtrat penetralia mentis,
Et ter diſcreto limine clauſtra ſubit.
Seu mens obiectas ſpeculatur lucida formas,
Et nunquam victo lumine viſus hebet:

Res

Res ſeu menſa omnes, partitaq. lancibus æquis
Iudicat, & quod ineſt hinc ait, inde negat:
Siue quid à poſitis gaudet contingere verbis,
Tertiaq. à dictis dicta duobus agit.
Hinc animum partes auidum verſabat in omnes
Et retegit, ſtricta quæ plicat illa manu.
Senſi ego cùm procerũ iuuenumq; aſtante corona
Ens *Dulciloquus doctis ſolueret ora ſonis.*
ra-*Eſt aliquid (dixit) per cæca habitacula mentis,*
tio
nis. *Obiciturq; animis, noſtra ſed ora latet.*
Naſcitur, obiectu tenui dum noſcitur; illi
Sic datur è grauido mentis abire ſinu.
Ortus at infœlix; fragilis quod munere vitæ
Huic tantùm liceat viuere, dum paritur.
Nec natum fœcunda ſinu dignata, nec vlli
Abiecto mater pignore credit onus.
Nuſquã habitat; non intra enixæ viſcera mentis:
Non extra refugo limite quærit iter.
Et tamen aſpicitur viſu deprenſa remoto
Mentis inaſpectis fictilis vmbra cauis.
Quippe nihil ſibi mens ſtudio compulſa videndi,
Format, vt in ſolido corpore forma viget.
Tum leuis incerta ſpectatur imagine vultus,
Et nouus à nihilo corpora fœtus agit.
Sed neq; corpus agit; credas vmbratile monſtrum,
Quale per obſcuras credis adeſſe vias.
Horrida cum nigras interuolat vmbra tenebras,
Falſaq. nocturno currere viſa gradu.

Sic veri ſimulacra mouens, dum vera repoſcit
Plurima concipiet, mens paritura nihil.
Sic ait, inde hoſtem pugnacibus obuia dictis
Arma iacit contra, telaq. miſſa ferit.
Iam Naturæ aditus ardet penetrare latentes,
Cernere perq. omnes corpora fuſa plagas.
Idem ſcita fori, dominaſq. euoluere leges,
Quæq. dedit Latio culmine iura Pater.
Et mox venturis properare volumina ſeclis,
Miſſaq. in æternos poſtera dona dies,
Tantus erat, tantuſq. perit. fugit inclita Virtus
Scilicet atq. imis inuidet alta plagis.
Qui feſtina capis mentis bona, proijcis idem:
Et ſi magna geris, mox peritura geris.
Nonne vides teneris flores erumpere plantis,
Phœbeus ſubito quos vorat igne vapor?
Quæq. audent celeri per culmina ſerpere lapſu,
Autumni primus ſoluit aduſta rigor.
Ah mihi prǽualidam vultuq. animoq, iuuentam
Quis canit, & tutis corpora ſepta bonis?
Ecce opibus iuuenis, roſeoq. exuberat ore,
Et nimis eſt damni fertilis ille ſui.
Nec tantùm lucere dabant tum ſydera ſydus,
Miranti elatum cùm daret orbe iubar.
Fulſiſti nimium claris ſpectate diebus,
Finitimaq. fuit lux ea nocte fugax.
Noxia tum miſera condebas ſigna ruina,
Eruptura mali flamma latentis erat.

Sic

Sic quoq. ſupremas quæ iactant forte fauillas,
Languenti rutilant fortiùs igne faces.
Iam pridem allapſum ſecreta in viſcera virus
Senſerat, & tacitum pectore vulnus hiat.
Ora coloratos mentito lumine ſuccos,
Et retinet fallax mollia membra nitor.
Atra lues tentat tamen alto incumbere cordi,
Et vitæ obſtantes intrat operta fores.
Eſt locus antiquis vbi tenditur Appia ſaxis,
Atq. Antoninæ nobilis ora viæ.
Pulchrius haud illa veteres videre Quirites;
Ruderibuſq. magis deuia nulla iacet.
Durat adhuc priſcæ facies operoſa ruinæ,
Cæſareaſq. notant tecta ſepulta manus.
Moſtrat & humentes tepefacto flumine Thermas,
Qui malè vitifero palmite gaudet ager.
Saxea ſubiectas celabat machina valles:
Et domus innumeras iunxerat vna domos.
Libera nunc cœlum, campoſq. amplexa patentes,
Nunc vario muros limite nexa trahit.
Et quà ciuiles interſerit area ludos,
Pugnaciq. ferit clarus in arte pugil:
Et quà diſpoſitis altè camerata columnis
Cella ſuperducto penſilis ære nitet.
Quærebant tacitæ ſecreta cubilia lymphæ,
Subter & obliquis flumina miſſa tubis.
Quiq. vaporifero fugiens hypocauſta meatu
Incluſus tepidis æſtuat amnis aquis;

Exit,

Exit, & emiſſa reſonat conclauibus vnda;
Intrat ſecretos romula turba lacus.
Roma tui hæc olim fuerint miracula Tybris,
Nil niſi deciduo reſtat ab igne cinis.
Si quid ſemirutis condunt modo Balnea muris
Obſita dumoſis ſentibus arua tenent.
Immenſis occluſa foris Romana iuuentus
Lude hic lætitiæ tempus inane tuæ.
Hic iuuet inſutos in nubila condere Folles,
Præcipiti lapſos ferre referre gradu:
Impellantq. leues tumefacta pellibus aura
Brachia multiplici lignea dente globos.
At te quis celebrat ſolitum verſare volantes,
Carole quid iactas acer in aſtra pilas?
Quid plaudunt comites quoties per inania pulſu
Lenta repercuſſo pondera folle rotas?
Et quoties tactis rediens auellitur aſtris,
Orbis, & attactu perſonat orbe ſolum?
Aut ſaltu ſublimè redit, validoſq. per ictus
Aerium celeri turbine currit iter?
Me miſerum; ludos renouas, ſed conſcia luctus
Artibus ecce peris victa Iuuenta tuis.
Carole præcipitis tibi luditur alea vitæ,
Iactaq. ludenti teſſera Morte ſonat.
Illa quidem veniens occulto ſquallida paſſu,
Contulit horribiles falce timenda manus.
Neſcius horrebat iuuenis, tremefactaq. toto
Corpore ſollicitus percutit oſſa pauor.

Conijcit

Conijcit hæc ſeſe membris, ſudorq. per artus
Voluitur, & gelido lubricus amne rigor.
Vix torquere manu ventoſos cœperat orbes,
Puluere cùm medio languidus ore cadit.
Sæpe recedentes conatus ſiſtere ſenſus:
Aeger & incerto lumine ſenſus erat.
Sæpe refixurum deſcriptis nomina chartis
(Augurium inſœlix) pagina verſa fugit.
Quid faceret? molli deponit corpora lecto;
Nec fouet inſomni corpora nocte quies.
Febris adhuc nullos interplicat oſſibus ignes:
Non ſingultu animæ clauſtra recuſſa gemunt.
Sed tamen arcano peſtis violenta veneno
Allapſu grauior viſcera ad ima furit.
Sanguineus fluit ecce liquor: rurſumq. refuſus
Exilit irrapto ſpumeus ore cruor.
Tuſſis anhela ſubit, latebriſq. emiſſa profundis
Ambeſas fauces ægraq. corda quatit.
Fauſtaq. vitales ne temperet aura calores,
Occludunt teretes ilia quaſſa tubos.
Aut obſtat madido deſcendens vda cerebro
Bilis, & obſtrictas frigore cogit aquas.
Iamq. exundanti tumefactum flumine corpus
Aeſtuat, ac torrens veſcitur oſſa calor.
Nec mora, nec requies; ſtat inexuperabilis ardor,
Et magè crudeſcens membra deuſta vorat.
Peruigil inſomne queritur dum voluere noctem;
Excubat, vt laceret pectora nocte dolor.

Rurſus

Rurſus & ex imis penetralibus euomit vndam,
Miſſa ſed heu roſei ſanguinis vnda tepet.
Quin agite, irriguas cultro reſcindite venas;
Claudite quas aperit noxius amne cruor.
Ferte quod expreſſum glaciatur arundine nectar,
Quod tunſis medica purpurat arte roſis.
Vtraq. quos lucis fœlicibus India ſuccos,
Et lacrymata ſuo balſama rore parit.
Spargite cantharides, & mollia cingite lina:
Crura, nouus tollat brachia nexa tumor.
Lethifer occultis exudet ductibus humor,
Et ſubeat faciles membra per aucta vias.
Seu potius (quid enim ſupereſt) iam parce Iuuēta,
Et temerare tuas Mors violenta manus.
Expectata nouis petitur ſi præda triumphis,
Vectus aget currus quid puer ante tuos?
Tunc raptu melior cum iuſto plenior æuo
Tempora longa opibus diues onuſta geret.
Aurea tum ponent pretioſas pectora merces;
Siue tuas Mauors, ſiue Minerua tuas.
Tunc Mors æterna furabere nomina Famæ;
Ibit & ante tuas Gloria vincta rotas.
Nunc pueri imbellis teneros depaſceris artus,
Gloriaq. à parui funere parua venit.
Sed quærimur, fruſtraq. ſonos iactamus inanes;
Mutus in extremis vocibus ille perit.
Vos ſaltem iuuenes ſolatia ducite mortis;
Veſter eat circum mœſta feretra nitor.

Dum

Dum facibus primam colluſtrant ſydera noctem,
Augeat accenſas cerea pompa faces.
Romula lucifero ſignentur compita ſulco.
Atq. triumphali fulgeat igne puer.
Sic inter veſtros extinctus viuat honores:
Longæuus numeris viuat & ille meis.

FINIS.

INDEX.

AGnes Virgo. 61
Alexandri Card. Farneſij magnificentia. 219
Antropophagi qui, & vbi. 286. & deinceps.
Aquæductus 331
Arbores Medicæ defoſſæ hyeme transferuntur. 333
Aſtrorum aſpectus excitat ad æterna. 286. 298
Auri fodinæ. 404
Bellum Marcomannicum Marco Imperatore. 42
Bellum Boemicum. 230. & deinceps.
Braſilij. 289
Byzantium captum à Turcis. 270
Clementis VIII. effigies, & res geſtæ. 199. 333
Cometæ varij, & ex quo fiant. 299. & deinceps.
Cometes viſus Antonino Pio Imp. 40

Deſcriptiones.

Angeli arma ferentis. 56
Animantium, rerumq; è tonſili fronde. 209. 335

Aqua-

Aquapendentis oppidi. 49
Aræ cum ſacro ornatu. 183
Aræ exquilinæ Virginis. 205
Arcis. 124
Arcus triumphalis. 160
Bombardæ æneæ. 117.118
Braſſicarum. 347
Cancri marini. 95
Chriſti Domini ferentis Crucem. 7.9
Circi Maximi. 190
Circi Agonalis. 33
Cœmeteriorum in Vrbe. 188
Cœnæ. 334.386
Collis Caluariæ. 8
Cometæ. 296
Concharum gemmiferarum. 98
Entis rationis. 27
Epheborum nobilium. 186
Equi. 184
Equitatus. 163.& deinceps.
Exequiarum. 242
Ficus. 327
Florum. 210
Follis,& ludi. 11
Fontis. 213.214.297.328.331.357
Habitus paganæ fœminæ. 164
Sacerdotis antiqui Hæbreorum. 181
Sacerdotis Chriſtiani. 183
Hortorum. 218.& deinceps.
Ignei turbinis. 296
Indiæ cis Gangem. 99
Indiæ trans Gangem. 111
Luctus in funere. 369.& deinceps.
Maritimi æſtus. 78
Mortis,& pompæ mortiferæ. 133

Naui-

Nauigationis Peruanæ. 398.& deinceps.
Naualis pugnæ Luſitanorum. 112
Naualis pugnæ contra Turcas. 277.& deinceps.
Obſidionis. 20.107.269
Organi Hydraulici. 215.342.& deinceps.
Palatini Collis,& palatij Auguſti. 31.32
Picturæ Annunciatæ Virginis. 136
Pœnarum apud Inferos. 62
Pomarij. 325.& deinceps.
Pomorum Peruanorum. 405.& deinceps.
Regiæ,& Hortorum Alcinoi ex Homero. 283
Ruſtici Setini. 368
Sacelli marmore,& pictura ornati. 195.& deinceps.
Supplicationis ſolemnis. 191
Supplicationis quadraginta horarum. 224
Templi ſacro ornatu fulgentis. 187
Templi Pacis,& Sacrificij. 39.40
Templi Exquilinæ Virginis. 195
Templi Nominis IESV. 221
Templi S. Viti Pragæ. 228
Terreſtris prælij. 234
Viæ Pontificiæ triumphalis. 263
Vrbium. Burdigalæ. 78
Hieroſolymæ. 18
Olyſipponis. 225
Pragæ. 236
Valentini tractus in Hiſpania. 244
Vitis Populo adiunctæ. 409

Federicus Secundus Italiam bello infeſtat. 47
Henricus IIII. Galliæ Rex laudatus. 249
Hieroſolymæ clades variæ. 88
Hippolyti Medices Card. mors. 391
Imago B. Virginis peſte Vrbem liberat: 206
Indorũ arma 100. Idola,& ritus ſacrificãdi. 90 91. 152
Initium Idololatriæ. 172

S. Iſido-

S. Iſidorus Madritanus. 132
Italiæ ſitus,& varietas. 280.& deinceps.
Labyrinthus quid in Creta Inſula. 274
Logica erudiri. 426
Mare terris infuſum. 331.& deinceps.
Marmorum varia genera. 196
Mater filio veſcitur. 287
Mauri pulſi ab Hiſpania. 243.& deinceps.
Nauticæ vitæ laus. 396
Parallaxis. 302
Pauli V. effigies,& geſta. 201
S. Paulinus ſeruitio ſe mancipat. 80
Petri Aldobrandini Card Legatio,& geſta. 337
Philippus III. Hiſpaniæ Rex laudatus. 248
Pius error S. Nataliæ. 70
Piſces Oceani. 400
Pontinæ Valles. 366
Prodigia. 17
Remedia medica. 432
Rhodus emerſa,oppugnata,defenſa. 272. capta 273
Ritus varij Sacrificiorum. 179.& deinceps.
Romani ſua nomina pomis imponunt. 226
Sacerdotis vis,& poteſtas. 174
Sanguinem extuſſire. 431
Solimanus Turca Venetis bellum infert. 85
Sacra ob relatum inter Beatos Ignatium Loiolã. 251
Tempeſtas ſedata. 94
Titus Cæſar Hieroſolymam obſidet. 19. & deinceps.
Thermæ Antonianæ. 429
S. Thomæ Aquinatis res geſtæ. 55. mors. 377
Tractus Latinus Sabinuſq. 351.& deinceps.
Volſcorum. 366
Veneficæ facinus. 379
Vis ſolis, quod carmen mutilatum eſt. 306

FINIS.

A01 1465308

Ac1 1465308